COLLECTIO SCRIPTORUM

RERUM

HISTORICO-MONASTICO ECCLESIASTICARUM

VARIORUM RELIGIOSORUM ORDINUM

TOMUS IV

IN QUO CONTINETUR

FRANCISCI PETRI Can. Reg. S. Auguſtini Imperialis ac celeberrimæ Canoniæ Wettenhuſanæ quondam Senioris ac Hiſtoriographi, Germaniæ Canonico - Auguſtinianæ, Ordine Alphabetico conſcriptæ Pars II. Littera C. D. E. F. Pars III. G. H.

CURANTE

MICHAELE III

ad Exemptas Inſulas Wengenſes Cann. Regg. Ulmæ Suevorum Prælato, Sacræ Cæſareæ ac Cathol. Majeſtatis Conſiliario ac Sacellano Perpetuo.

PERMISSU SUPERIORUM.

ULMÆ

Sumptibus GAUMIANIS 1757.

PRÆFATIO.

Quæ in veſtibulo Tomi III. hujus Collectionis meæ de GERMANIÆ CANONICO-AUGUSTINIANÆ Authore, Ejusdemque Continuatoribus diſſerui, non opus eſt repetere. Partem II, & III. nunc Benevolis Lectoribus exhibeo, utinam! addere licuiſſet & IV. quam tamen Tomo V. ex voluntate Bibliopolæ noſtri, de cujus ſumptibus agitur, reſervare oportuit, à qua ſeſe dimoveri haud paſſus eſt, ne Tomus iſte mole ſua præcedentes ſuperaret. Prodit ille quidem fors multorum exſpectatione ſeriùs. Lubens tamen longiores inducias concedebam Typographo, dum aliud Opus Canonico & Apoſtolico Ordini noſtro non minus honorificum ac glorioſum interea excuderet. Nec puto eruditi Operis hujus Fautores ac Amici propterea ſuccenſebunt mihi; non enim hæc aliquot menſium mora præſenti GERMANIÆ obfuit, cùm ſat multis illa, novísque Acceſſionibus nunc auctior compareat in publico, quas partim propria induſtria, quantum ſcilicet per temporis opportunitatem & horas vacuas licuit, ex variis Scriptoribus excerpſi, partim Amantiſſimis meis Dominis Concanonicis & Confratribus ſtrenuè mecum pro augmento hujus Operis collaborantibus debeo. Varii quoque extranei Reverendiſſimi Antiſtites ſuam pro complenda Collegiorum ſuorum hiſtoria contulêre operam, quo favore nullus mihi gratior potuiſſet accidere. Communicata Supplementa ſuis inſerta ſunt locis, quæ verò ſerius venêre ad manum inter additamenta collocare oportuit. Quare omnium denuo, quotquot adhuc ſuo in flore perdurant, Aſceteriorum noſtrorum Reverendiſſimos Præſules, Bibliothecarum & Archiviorum Præfectos, aut Hiſtoriæ Religioſo-

Ecclesiasticæ Amatores hìc imploro, ut quibus ad præsens Opus suam conferre symbolam lubet, hanc gratiam suam maturare, & desiderata Complementa Historiæ adhuc in tempore transmittere dignentur. Absit! ut ullam ego hìc prodigalitatem improvidam in communicandis documentis, ac propalandis sacrorum Cætuum arcanis postulem. Novi enim probè, plurima sæpe in arctè clausis custodiri scriniis, quæ si emanarent in publicum, periculosis hisce temporibus, fors plus nocumenti suis Possessoribus, quàm utilitatis afferre possent in tanta harpyarum frequentia, quæ alienis, præsertim Religiosarum Sodalitatum Juribus, per fas & nefas avidissimè inhiant. Est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos transgredi absque periculo haud licet. Nec veritas historica quidquam deperdit pretii, si ea sileantur, quæ secreta in hodiernum usque diem Deus ipse voluit, & absque damno sive proprio sive alieno publicari haud possunt. Quodsi plura, quàm desiderent Lectores, prætermissa putent, cogitent *esse quandam etiam in omittendo artem*, *cujus circumspectione* (ùt sapienter monet Vir quidam doctissimus, qui tertiam editionem *Metropolis Salisburgensis* HUNDII Ratisbonæ anno 1719. adornaverat) *quidquid inutili & invidæ Curiositati subtrahitur*, *omittentis prudentiæ & æquitati accrescere.* Sed nec in hanc prudentiæ & æquitatis regulam peccâsse Historiographum nostrum quis credat, quòd in recensendis Religiosorum Virorum, ac Reverendissimorum Antistitum Actis quædam in publicam lucem protraxerit crimina, quæ melius Constantini Imperatoris obtexisset Pallio; aut enim talia sunt, quæ dudum à probatæ fidei Authoribus Librisque propalata jam fuêre, aut in facie populi olim gesta hominum memoriæ subtrahi non amplius possunt absque ingenui candoris dispendio, qui tamen inter Historici Scriptoris dotes facilè primum locum obtinet. Intemperantiori hac Critica vapulavit ante annos haud admodum multos ANNALIUM PRÆMONSTRATENSIUM Parens Reverendissimus Perillustris ac Amplissimus D. LUDOVICUS CAROLUS HUGO Stigaviensis Abbas. Quàm autem felici calamo omnem à se culpam removerit, mox intelliges, si verba Illius rècitavero, quæ Præfationi Partis I. Tomo II. præfixæ, inseruit. „Audio, inquit Reverendissimus Author, audio, quòd à doctis & indoctis, „à subditis & Superioribus nonnullis expostuler, tanquam alienæ famæ dilapi„dator, & quasi crimen, ipsis criminibus, quæ argui, commisissem grandius, „queruntur amarè de revelatis Patrum pudendis, quæ vel silentio premere, „vel interpretatione benigna minuere debuissem, honori Ordinis, mortuorum „nomini Christianè consulens, & parcens misericorditer. Queruntur, quòd „Abbates, quòd Præpositos inutiles, quòd suis Domibus Superiores funestos, „Ecclesiæ Dei diligentiam non habentes, oppignorantes bona Crucifixi, & „dissipantes patrimonia Pauperum, publicæ luci exposuerim condemnandos. „Quidni jure eodem in sacros Scriptores insurgunt, qui Petrum tertiò abne„gantem, qui Paulum in Christianos barbarè sævientem, qui Matthæum ad „Telonium sedentem & immersum usuris, qui Thomam de Mysterio Resurre„ctionis Christi dubitantem æternis consecrârunt monumentis, qui Genealo„giam Christi contexentes, graduali successione Proavos, & Proavias inter„seruerunt profligatæ vitæ? Quidni in Authores Veteris Testamenti velut in „prodigos famæ Patriarcharum & Prophetarum insurgant, quorum vitam in„sperserunt nævis. Sed quanto amplius in Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores „antiquos & nuperos exasperentur, qui Romanorum Pontificum, qui Episco„porum, qui Abbatum acta alternis boni & mali, vicibus variata Posteritati „tradiderunt: nonne damnabiliores evadent, qui Ecclesiam in dialanianda Pa„storum ejus vita conspurcârunt? Quodsi veniam obtinent, imò & laudem, „quòd veritati servientes, bona & mala fideli calamo transcripserunt Posteri„tati. Cur nos in malevolentiam & odia incurreremus, & notaremur censu„ra, ingenuitatis ejusdem sectatores? an decuisset exponere nostros gloriosos

„tantùm,

„tantùm, & illaudabiles reticere, continuata ſeries bonorum, nullis interpo-„lata malis, omnem etiam credulis credendi ſpeciem abſtuliſſet, & repetita „toties à ſex Sæculis Reformatio Ordinis noſtri, Ordinis deliquium in ipſis-„met verticibus accusâſſet. Graviſſimæ hujus Apologiæ ſcuto tueri etiam In nocentiam ſuam poterit Scriptor noſter.

Videtur tamen tam lugubre Argumentum ſilentio potius & lachrymis quam tractatione eſſe proſequendum, ſi Petrum Damianum audiamus, qui Opuſ. 12. c. 11. in fine ait: *qui ſpretis divinæ militiæ Caſtris, ad mundanæ vertiginis molam ſiniſtro poſtliminio revolvuntur, quàm judicabiliter agant, quàm inconſiderabiliter vivant, referant qui volunt. Nobis conſultius videtur, eos pia compaſſione deflere, quàm execrandæ converſationis geſta conſcribere: ne quibus ſolas compatiendi lacbrymas debemus impendere, bis videamur cenſoriis Litteris obtrectare.* Nunquid enim, dum Virorum ſacrorum, & Religioſorum Aſceteriorum Antiſtitum mali mores, ventris ſtudium, dilapidationes bonorum, defectio à fide, & alia crimina ceu in publico Theatro exhibentur, Religionis noſtræ, & ſacrorum Ordinum hoſtibus, quorum planè numerus exiguus non eſt, anſa criminandi præbetur, ac gladius in manus traditur, quo Religioſorum cætuum famæ impudentiùs noceant, Perſonas Deo dicatas audacius contemnant, & ex paucorum delictis omnium reliquorum dijudicent mores? hanc peſſimam depravati Sæculi conſuetudinem jam olim deploravit Auguſtinus qui in Epiſtola 137. ſic ait: *Ad quid aliud ſedent iſti* (de Clero-Maſtygibus & Oſoribus Religioſorum Ordinum loquens) *& quid aliud captant, niſi ut quisquis Epiſcopus, vel Clericus vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? & tamen etiam ipſi, cùm aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt Uxores ſuas, nec accuſant Matres ſuas. Cùm autem de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falſitatis ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc agatur.* Meminerint hujusmodi ſupercilioſi Catones, etiam Religioſæ vitæ addictos Viros & ſacrarum familiarum Antiſtites juxta illud Pſaltis Regii: *bomines impoſuiſti ſuper capita noſtra*, & homines fuiſſe, & adhuc eſſe, homines, inquam, fragilitati humanæ ex peccato originali ortæ obnoxios, homines, non Angelos jam confirmatos in gratia, ac in bono inflexibiles. Sanctiſſimus Legislator noſter Auguſtinus, cùm de gravi flagitio ageretur, quaſi ſua in familia perpetrato, in citata jam Epiſtola ad Clerum & Populum Hipponenſem ſequentem in modum diſſerit: „Quantumlibet vigilet „diſciplina domûs meæ, homo ſum, & inter homines vivo, nec mihi arro-„gare audeo, ut domus mea melior ſit, quàm Arca Noe, ubi tamen inter „octo homines, reprobus unus inventus eſt, aut melior ſit, quàm domus „Abrahæ, ubi dictum eſt: *ejice ancillam & filium ejus:* aut melior ſit, quàm „domus Iſaac, cui de duobus Geminis dictum eſt, *Jacob dilexi, Eſau autem* „*odio babui*, aut melior ſit, quàm domus ipſius David, cujus filius cum So-„rore concubuit, cujus alter filius contra Patris tam ſanctam manſuetudinem „rebellavit, aut melior, quàm cohabitatio Pauli Apoſtoli, qui tamen, ſi inter „omnes bonos habitaret, non diceret, *foris pugnæ intus timores.* Nec diceret, „cùm de ſanctitate & fide Timothei loqueretur: *neminem babeo, qui germanè* „*de vobis ſollicitus ſit, omnes enim ſua quærunt, non quæ Jeſu Chriſti:* aut melior „quàm ipſius cohabitatio Domini Chriſti, in qua undecim boni perfidum & „furem Judam toleraverunt, aut melior ſit poſtremò, quàm Cælum, unde „*Angeli ceciderunt.* Ex una calcei forma omnes metiri inepti Sutoris, unius mores omnibus affingere, peſſimi Chriſtiani eſt. Quis Chriſtianorum cætus, quæ Nobilium familia, quæ Congregatio Civium innocens, ſi, uno aut etiam pluribus peccantibus, rei pronuntiari debent cæteri? Si malorum Antiſtitum, qui in hoc Volumine occurrunt, ineatur numerus, pauci illi ſunt, Boni verò

 prope-

propemodum innumeri, qui Optimi Animarum Pastores, forma Gregis facti eximiis exemplis, egregiis virtutibus, & sanctitate morum inclaruêre, qui prudentia, & rerum agendarum peritia præclarissimi, summa cum utilitate commisso sibi populo præfuêre, ac veluti stellæ primæ magnitudinis in firmamento Canonico-Augustiniano fulgebunt in perpetuas æternitates. Audi, quàm eleganter, quàm solidè *Gregor. Nazianz.* pessimam hanc ob unius delictum reliquos omnes calumniandi artem retundat in suo *de Pudicitia* Carmine.

At! corruerunt dixeris quidam. MALE
TIBI SIT, LEGIS QUI DEBILES, NON OPTIMOS,
ILLI PROBRUM SUNT NAM SIBI: HI NOBIS DECUS:
Dirámne propter grandinem tellus coli,
Seríque vitis desinit? Quid? Littori
Pontúsne omnes applicat, quos accipit?
Longinqua verò quid sequor, cum Phosphoro
Utrum Angelorum sunt simul lapsi Chori?
Quid? nonne Christi carnifex Judas erat?
Apostoli verò decus?

Concludo cum gravissimis S. Hieronymi verbis, quæ habet in calce Consolationis ad Julianum; *Noli respicere Judam negantem, sed Paulum respice confitentem. Jacobi ditissimi Patris filius, solus & nudus in baculo suo pergit Mesopotamiam; jacet lassus in itinere, & qui delicatissimè à Rebecca Matre fuerat educatus, lapide ad caput prò pulvillo utitur. Vidit Scalam de terra usque ad cælum, & ascendentes per eam Angelos, & descendentes, & desuper innitentem Dominum, ut lassis manum porrigeret, ut ascendentes suo ad laborem provocaret aspectu. Unde & vocatur locus ipse* BETHEL, *id est* DOMUS DEI, *in qua quotidie* ASCENDITUR & DESCENDITUR. *Et sancti enim corruunt, si fuerint negligentes, & peccatores. Pristinum recipiunt gradum, si sordes fletibus laverint. Hoc ideò dixi, ut non te terreant* DESCENDENTES, *sed provocent* ASCENDENTES. NUNQUAM EXEMPLUM A MALIS SUMITUR. ETIAM IN SÆCULI REBUS, SEMPER A MELIORI PARTE, INCITAMENTA VIRTUTUM SUNT.
Vale, Benevole Lector, & ne inter DESCENDENTES & malos, quod metuo, sed potius inter ASCENDENTES & bonos aliquando inveniar, mecum DEI misericordiam & gratiam tuis precibus implora.

GERMANIA CANONICO-AUGUSTINIANA

PARS II.

Littera C.

CANONIA CALMONSTRATENSIS.

CALMONSTRATENSIS Monasterii olim in Ducatu Lotharingiæ celeberrimi temporibus nostris vix nuda solùm superest memoria, & quidem apud unum Penottum in histor. tripartitâ lib. 2. cap. 39. num. 12. de eodem vel paucis in hæc verba scribentem: *in Tullensi Diœcesi Provinciæ Trevirensis sunt duo Monasteria Canonicorum Regularium ex libro taxarum Apostolicarum, quorum unum dicitur Calmonstratense &c.* Cæterum hujus suppressæ & exstinctæ hodie Canoniæ notitia nulla per nos obtineri potuit.

CALMOSIACENSE Monasterium Sacræ Congregationis Salvatoris Nostri seu *Abbatia nostræ Dominæ Calmosiacensis* communiter appellata, in antedicto Ducatu Lotharingico & Diœcesi Tullensi hodiedum inclyta: cujus summariam descriptionem hìc damus, qualiter eam accepimus nuper inde transmissam, prout sequitur: *Hujus Abbatiæ fundationis historia scripta fuit à primo ejus Abbate Sebero, qui cùm adhuc sæcularis esset Presbyter, Canonicorum Abbatiæ S. Leonis Tullensis* (de quâ pluribus infrà) *cura ei demandata fuit, qui dignè hoc munere functus versùs Spinalium* (vulgò Espinal Urbem Lotharingiæ ad Mosellam fluvium versùs Vogesum montem quatuor leucis distantem à limite Comitatûs Burgundiæ in Borean, uti paulò minùs à Romarici monte, quinque à Mirecurtio in Eurum, & decem Nancejo in meridiem) *se contulit, à qua Urbe non procul Nobilis quidam nomine Theodorus, prole sibi bonorum hærede succedente carens, omnes facultates & possessiones suas Ecclesiæ donare proposuit: quo circà Sumptuosam cum Monasterio Ecclesiam Spinalium inter & Domperium ruri pro Canonicis Regularibus extrui curavit; cujus regimen assumens Seberus pias & largas dotationes à prædicto Nobili Domino Theodoro factas ope summi Pontificis ac Serenissimi Lotharingiæ Ducis protectus, contra adversantes aliquot nobiles maximè Abbatissam Remiremantis invicto animo sustinuit, adeò ut ex eo tempore magnis & amplis privilegiis à sede Apostolica datis & obtentis nunc Ecclesia hæc perfruatur: quam Episcopus* (RICARDUS) *Albanus in Galliam Legatus missus à Paschali II. consecravit, dedicavitque. Sedi Apostolicæ immediatè subest; Canonicus in Abbatem electus potest à solo Episcopo Tullensi absque ullâ Bullâ Pontificiâ confirmari; Infulatus gaudet jurisdictione quasi Episcopali in plures insignes Ecclesias, Prioratus, Paræcias &c. habet etiam Jus Patronatûs in alias, & dominium Sæculare in plures pagos &c.*

Series Abbatum Calmosiacensium.

I. Seherus. anno 1128. In ejus tumulo sequens Scriptura est inventa: anno ab Incarnatione Domini Millesimo centesimo vigesimo octavo idibus Maji obiit piæ memoriæ Dominus Seherus Abbas primus & fundator hujus Cænobii & S. Leonis Tulli.

II. Joselinus. anno 1137.

III. Romanus. anno 1140.

IV. Richardus de Betigny. anno 1168.

V. Videricus de Betigny. anno 1170.

VI. Guido. anno 1177.

VII Petrus. anno 1187.
VIII. Hugo. anno 1189.
IX. Humbertus. anno 1197.
X. Guilielmus. anno 1229.
XI. Hugo. anno 1241.
XII. Guilielmus. anno 1257.
XIII. Reginaldus. anno 1274.
XIV. Dominicus. anno 1297.
XV. Guilielmus. anno 1299.
XVI. Joannes. anno 1313.
XVII. Theobaldus Authoritate Pontificiâ ſine electione proviſus anno 1354.
XVIII. Theodoricus de Dompere anno 1366.
XIX. Joannes de Buſignicourt. anno 1427.
XX. Joannes de Grand Maiſon. anno 1473.
XXI. Philippus de Craincourt. anno 1505.
XXII. Carolus de Frenet. anno 1520.
XXIII. Joannes de Frenet. anno 1560.
XXIV. N. Abbas Commendatarius.
XXV. N. Abbas Commendatarius.
XXVI. Gerardus de Hautoy. anno 1580.
XXVII. Franciſcus Paticier. anno 1601.
XXVIII. Franciſcus Paticier Nepos præcedentis anno 1653. Hujus ſub regimine reformatio ſecundum ſtatuta Congregationis Salvatoris Noſtri in Lotharingiâ hìc loci fuit introducta.
XXIX. Antonius de Bourg. anno 1654.
XXX. Antonius à Lenoncuria omnia ſollicitè reſtaurans.

CAMENTZUM. Taliter ſuo nomine dictum primùm ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini Cænobium, idem tamen poſt annos ad Aſcetas Reformationem Ciſtercienſ. Profeſſos translatum: occaſione cujus Dubravius in ſuâ Boëmicâ lib. 9. fol. 53. retulit ſequentia: Uladislaus Polonus Boleslaum Filium adhuc Tyrunculum amat Rectore ei dato Militiæ gnaro, qui illum ad Moraviam modis omnibus vaſtandam, quibus nuper Sileſia vaſtata fuit, deduceret. Rector juſſa Regis promptiùs accepit, quàm executus eſt, non auſus ultrà extremos Moraviæ fines & Sileſiæ conterminos progredi, ne quis fortè intra penitiorem Moraviam caſus Juveni Regulo contingeret, ob quem ipſe quantumvis inſons noxæ dederetur. Pagis itaque incenſis, pecoribúsque abactis retrahit copias, ac Patri filium quaſi Victorem reſtituit, & Bretislaus (Boëmiæ Dux ſecundus anno 1260. terrîs emortuus) intimam rurſùm Sileſiam percurſat, ſimilémque priori calamitatem incolis cis ultráque Nyſam flumen incolentibus affert, ac mox arcem Brigam ripæ Oderæ impoſitam cum ipſo oppido vi arripit, militíque illam diripiendam, demoliendámque tradit. Ipſe haud procul inde novam ſibi conſtruxit arcem indito illi nomine Camenſe, nunc ibi Cœnobium viſitur &c. quod à Gab. Bucelino part. 4. fol. 20. in hæc verba refertur: *Camentzum Ducatus Sileſiæ in Diœceſi Uratislavienſi Cœnobium Canonicorum Regularium, quod hi Ciſtercienſibus ſpontè ceſſerunt, vigétque usque hodiè ibidem ſub Prælato Regularis diſciplina. Eſt filia lubens de lineâ Morimundi.*

CASSELA, ſeu Caſſelæ Haſſiæ inferioris civitas, atque etiam totius cognominis Landgraviatûs Metropolis ſub Archiepiſcopatu Moguntino comprehenſa, ſuperiori ætate Religioſiſſimum quoddam Ordinis S. Auguſtini Parthenæum habuit, quod ceu Venerabilis Congregationis Commembrum Montis S. Annæ titulô decoratum (quamvis de tempore & authore primæ fundationis nondum conſtet) circa annum 1450. ſtrenuè reformâſſe novimus Joannem Dulmannium piiſſimæ memoriæ Priorem Bodecenſem jam ſuprà laudatum ex monumentis Canoniæ Bodecensîs. Cæterùm Venerabile contubernium iſtud jam pridem Sacrilegè ſubvertit, & iniquiſſimo jure cum attinentiis ſuis ſuum eſſe fecit damnata hæreſis, iniquiſſima loci Dominatrix.

CAZIENSE. aliis COZIENSE dictum; item apud Joannem Stumpfium in Chronico Helvetiæ lib. 10. cap. 17. fol. 632. Germanice *Cäz* appellatum, vel olim Canoniſſarum primùm quidem Regularium de Sacro ordine Auguſtiniano, ſubindè verò ſæcularium perilluſtre Collegium Diœcesîs Curienſis in Superiori Rhetiâ in Valle (uti vocant) Domeſtica, ſeu *Domeſche*, ſen *Tomeſchen* priſcâ ætate conſpicuum; idem tamen jam dudum à tumultuantibus terræ hujus Inquilinis, Veſanis Iconoclaſtis; iniquiſſimè debellatum, ac penitùs everſum. Hoc autem omninò Nobiliſſimum Gynæceum primitùs inſtituiſſe ſcribitur

bitur Victor hujus Nominis primus, successionis verò ordine decimus quintus Curiensis Episcopus anno 760. terris demortuus & in eodem spectatissimo quondam Nobilissimi Parthenonis hujus Caziensis templo condignis honoribus appositus teste Bruschio de Episcopis Germaniæ tom. 1. cap. 3. Gabriel Bucelinus part. 1. cap. 2. fol. 21. quasi ex more sibi congenito etiam Parthenium hoc Caziense Collegium Benedictino ordini suo priscâ ætate subditum fuisse quidem scriptitat, verùm nobiles Domicellas antiquitùs isthic loci commorantes sacræ Regulæ Canonico-Augustinianæ, secùs verò Monasticæ morem gessisse satis apertè constat ex collecto Abbatissarum catalogo, quem memoratus Bruschius apponit de Monast. German. cent. 1. fol. m. 38. ubi disertè legitur Venerabilem Dominam Guttam adhuc anno 1358. in regimine Claustrali constitutam sese nomine suo signantur subscripsisse. *Magistram Ordinis S. Augustini*; cui proin priores saltem (posteriores enim uti fama fert, successu temporis ad instar aliarum plurium in Germaniâ nostrâ degentium Canonissarum sæcularisari maluerunt) Religiosæ hujus loci Antistitæ cum Domicellis suis pariter eidem Canonico Ordini Augustiniano fuerunt addictæ.

CELLA S. MARIÆ, taliter ex proprio nomine suo dicta, eadem tamen à vulgari populo terræ ineptâ vocis mutilatione communiter *S. Margen* appellari solita florentissima quondam Canonicorum Regularium S. Augustini Diœcesis Constantiensis Abbatia in Herciniis constituta, eadem tamen hæc lapsu temporis secum possessiones & appertinentia jura sua plurimùm angustiata tantùm non omninò defecit, quam tamen anno 1120. de suo & in suo territorio proprio Divæ Virgini Sacram omninò novam fundavit, eámque liberalissimè dotavit Bruno de Hochenberg Cathedralis Ecclesiæ Argentoratensis Præpositus, qui claustrali Domicilio isthic locorum undequaque completo Canonicos Augustinianos immitti voluit, locúmque de posthac *Cella S. Mariæ* nominari constituit.

Tota fundationis series authoritate Pontificiâ legitimè comprobata legitur ab Honorio III. cujus Bullam seu copiam illius, item Syllabum Abbatum, & alia litteraria documenta plura ad Marianam Cellam istam adspectantia prolixè satis explanata dedimus in nostra Sueviâ Ecclesiasticâ fol. 237. & sequentibus.

CHARZAWICENSE, taliter patrio nomine suo dictum Monasterium seu Regularis quædam Præpositura Canonici Ordinis Augustini de Congregatione S. Sepulchri apud Silesios in Diœcesi Uratislaviensi tempore & authore non notato fundata sub decursum sæculi decimi sexti tumultuante hæresi secundùm omnem existentiam suam ad nihilum redacta, vel solùm reliquit sui memoriam seræ Posteritati servandam.

CHIEMENSE, florentissimum hodiè apud Bavoros Ducatûs inferioris Inquilinos in cognomini Insulâ Chiemensi Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Cathedrale (sub Metropolitano Salisburgensi constitutum) Collegium, de cujus genuino (quoad memoratum Ordinem suum) initio Miræus de Canonicis Regularibus ex Aventino & aliis Patriæ scriptoribus cap. 20. fol. 96. profert sequentia: *In Norico Conradus Juvaviæ Episcopus ex Albersperg ensi familiâ oriundus* idem anno 1106. die 7. Januarii sedi Metropolitanæ impositum) *Chimium templum à Thassilone secundo Duce Bavariæ Divo Benedicto Conditum ab Ugris ad egestatem redactum Monachis Augustinianis tradit, hoc est Canonicis Regularibus S. Augustini. Eberhardus secundus hujus nominis Archiepiscopus Salisburgensis Ecclesiam hanc Chiemensem anno 1214. Cathedralem fecit, & propriam sedem Episcopalem in eâ constituit;* de quo dilucidè videri poterit Franciscus Dückher in novo Chronico Salisburgensi fol. 143. Bulla fundationis novi Episcopatûs hujus tota recitatur ab Hundio in Metropol. Salisburg. tom. 2. fol. 231. atque Episcopi isti quamvis hodiè ad libitum Metropolitani assumantur seu denominentur ex meris Salisburgensis Ecclesiæ Canonicis, ipsi tamen Cathedrales Canonici Chiemenses (ut & Secovienses, & Lavantini) nihilominùs in regulari tramite secundùm antiquam sacri Ordinis sui observantiam seu Canonicam S. P. N. Augustini regularitatem firmissimè persistunt. Hundius tom. 1. fol. 11. & tom. 2. fol. 235. Nebridius in antiquo Monastico Epist. 139. fol. 630.

Porrò in Cathedrali Ecclesia ista Archi-Diaconatus Chiemensis fuit (ut ait Hundius loc. cit. fol. 235.) ante Episcopatum; de cujus tamen institutione nec quicquam certi constat; Catalogus verò Cathedralium Præpositorum & Archi-Diaconorum Chiemensium reperitur apud citatum Hundium sequens.

Catalogus Prælatorum Chiemensium.

I. B. HARTMANNUS, qui ab initio Pataviæ ad S. NICOLAUM Canonicus erat: postea instituto Ordine Canonicorum Regularium Salisburgi anno 1121. assumptus est ibidem

ibidem in Decanum. Deinde primum anno 1131. factus Præpositus & Archidiaconus Chiemensis, ubi tres imperavit annos: sed hoc dignitatis gradu quoque relicto, postulatus Novenburgi in Austria Præpositus efficitur, ubi cum aliquamdiu commoratus esset, petitus & consecratus est in Episcopum Brixiensem.

II. CHUNO, qui sub anno 1142. electus, annos decem imperavit.

III. UDALRICUS. rexit an. 26. sub hujus regimine Eberhardus Archiepiscopus Salisburgensis Advocatiam Ecclesiæ Chiemensis rogatu Udalrici & fratrum suorum Canonicorum contulit Sigobotoni de Nuümburg ea lege, ut remoto omni gravamine, quod Advocatorum plerique sub nomine Patronatus Ecclesiis heu! damnabiliter inferre consueverunt, bonus & fidelis advocatus existat, & nec ipse nec ullus de suis hæredibus, qui sibi legitimè in Advocatia succedent, justitiam quolibet ausu, quolibet surreptionis astutia præsumat irrumpere. Videatur Hundii metropolis Salisb. cum additionibus Gewoldi T. II. p. 237. &

IV. SIBERTUS. rexit anno 25.

V. ADELBERTUS. Imperio præfuit annos 25.

VI. CONRADUS. præfuit annis 17.

VII. ENGELSCALCUS. annos 14.

VIII. HENRICUS. rexit annis 19.

IX. FRIDERICUS annis 23.

X. FRIDERICUS hujus nominis secundus, præfuit annos decem; post electus est in Episcopum Chymensem.

XI. GOTTSCHALDUS seu GOTTSCALDUS. annos 5.

XII. OTTO. annos 15.

XIII. GRIMOLDUS. an. 1.

XIV. SEUFRIDUS. annos 11.

XV. HENRICUS secundus. 15.

XVI. JACOBVS I. an. 2.

XVII. JACOBUS II. an. 1.

XVIII. HENRICUS III. an. 7.

XIX. CONRADUS II. an. 7.

XX. JOANNES I. an. 27.

XXI. NICOLAUS an. 7.

XXII. STEPHANUS an. 11.

XXIII. UDALRICUS II. an. 33.

XXIV. LUDOVICUS. an. 1.

XXV. UDALRICUS III. ann. 7.

XXVI. SIGISMUNDUS. an. 10.

XXVII. JOANNES II. an. 10.

XXVIII. RUDBERTUS. an. 24.

XXIX. ADAMUS. an. 19.

XXX. VIRGILIUS. an. 2. ½.

XXXI. ERASMUS. an. 15.

XXXII. JACOBUS III. an. 2.

XXXIII. CHRISTOPHORUS I. an. 20.

XXXIV. ERASMUS II. qui primum factus est Administrator Officii Archidiaconalis, tandem per Commissarios in Præpositum & Archidiaconum confirmatus. An. 1½

XXXV. CHRISTIANUS. an. 3½.

XXXVI. JOANNES tertius, qui prius fuit Canonicus Rorensis, menses tres & dies octo.

XXXVII. UDALRICUS tertius. An. 1½.

XXXVIII. SEBASTIANUS. an. 5.

XXXIX. MARTINUS qui fuit Canonicus Rorensis. Incertum quamdiu rexerit.

XL. JOANNES JACOBUS RAIGER nobilis, & suæ familiæ ultimus, qui prius fuit Canonicus Baumburgensis. Rexit annos 8. & quatuor menses, postea resignavit.

XLI. JOANNES IV. cognomine Ruam, fuit prius Canonicus in Ror. præfuit annos 10. & menses duos.

XLII. CASPARUS SPINDLER, annos 3½. hucusque Hundius l. c.

XLIII. AUGUSTINUS DASCHNER. Præpositus & Archidiaconus Chiemensis natus, delectus ex gremio anno 1617. præfuit annis 9. mensibus totidem.

XLIV. ARSENIUS ULRICH è Cœnobio S. Crucis Augustæ Vindelicorum anno 1627. postulatus rexit annis 26. & diebus octo, terris in Domino demortuus anno 1653.

XLV. RUPERTUS KEGEL, natione Suevus Neoburgi ad Camlachium oppido infrà limites Marchionatûs Burgoviensis situato sub annum 1618. progenitus Reverendissimi

ac

ac Amplissimi Domini Francisci piæ memoriæ Canonicorum Regularium ad S. Crucem Augustæ Vindelicorum Præpositi Germanus frater Præpositus & Archidiaconus Chiemensis natus ex proprio gremio delectus adhuc infans vix cœpit (ita sonant litteræ mortuales obitum illius Religiosis Confratribus denuntiantes) cum ratione vivere, jam coactus est fugere. Fugienti (Suecis patriam depopulantibus) asylum fuit Salisburgum, ubi ingenium & judicium utrumque à natura planè sapida salsum Scholastico insuper sale acuit. Insulsus deinde mundus ipsi desipere, & sitire cœpit aquam salientem in vitam æternam. Chiemensem igitur Insulam nostram quasi Religiosas thermas pro animæ suæ curâ sitibundus Aspirans gratioséque susceptus tam generosos fecit in Spiritu haustus ut accepto vix Presbyteratu aliis etiam propinare ageréque jussus sit Moderatorem Novitiorum, Cellarium, in Parochiis incorporatis Vicarium, Vice - Decanum, & Decanum. Dum Pruttingæ pestifera lues invaluit, Rupertus tum Vicarius parcens binis, quos domesticos habebat, cooperatoribus ipsemet propriis manibus concreditas sibi pavit oviculas tam imperterritè & fervidè, ut coràm edixerit, si citra fatalis temeritatis notam liceret, se venenosum homorem proprio ore sine horrore extracturum. Verè Pastor fidelis ponens animam suam pro ovibus suis, ac proinde dignissimus Pontificio Pastorali, quod unà cum Cathedrali mitrâ per Canonicam electionem anno 1653. accepit, vel potiùs obtrudi sibi passus est. Ne sublimis Cathedralis Præposituræ & duplicis Archidiaconatus dignitas Religiosissimum titillaret animum, cæpto statim regimine pedum ligneum suo tempore tumulo inferendum (eheu jam illatum!) genuflexorio suo affixit, in ejus aspectu quotidianæ devotionis pensum persolvens. Ad aram dum per morbos licuit, stetit quotidiè. Privilegium liberandæ animæ certo altari affixum sanctè observavit, ut non dubitemus, fuisse pariter à purgatorio privilegiatum. Erga Religiosos suos mirè fuit discretus, affabilis & usque adeò paternus, ut amore filiorum abreptus quondam dixerit, malle in se ipsum flagello animadvertere.

Subditi & pauperes quàm gratiosum amiserint Dominum & Patronum, loquatur fama, quæ Rupertum pauperum & pupillorum parentem passim proclamavit! loquantur lacrymæ, quibus gratiosum funus erat circumfusum! Inter pauperes gratissimi erant Seraphici seu RR. PP. Capucini, quibus nonnunquam amorosè minitatus; omne subsidium sese de posthac subtracturum dixit, nisi frequentius necessaria peterent, ut vel mediante jejunio appetitum dandi satiaret. Abjectissimis etiam colonis patebat accessus, eò frequentior & liberior, quò plus etiam eorundem saluti dignissimus per multos annos statuum Provincialium Superioris Bavariæ Deputatus & Commissarius laborabat. Egentibus subditis Laudemium & Canonem vel remisit, vel mitigavit optimus in Clementinis Canonista, & Clementissimus fundi Dominus in fundo misericordiæ profundè fundatus. Ut ut autem habuerit manus liberales, non habuit tamen prodigas, sed novit frugalem contrahere dexteram, ne sinistrè quidquam dilapidaret. Adstant tot testes, quot ædificia splendida è fundamentis surgere fecit. Eminet inter ea Cathedrale templum cujus vel sola Cathedra sine Panegyristâ satìs deprædicat Ruperti laudem. Verbô, fuit Oeconomus & Architectus omnibus numeris absolutus in serâ etiam senectute itentidem habens negotium cum lapidibus. Sed tandem ipsi lapides gravissimum facessere negotium, dum dolorosa ex calculo rupes in Ruperto concrevit emolliri nescia nisi per patientiam rursùs saxeam. Et licèt habuerit naturam pariter, uti loquimur, lapideam, imò ferream, sensit tamen sensim eam deficere: unde humana nauseare, soláque cœpit cælestia sapere. Vnicum adhuc habebat appetitum. Et quis ille? desideriô, ajebat, desidero manducare cum Conventu, antequam moriar. Fit, die festo S. Josephi, qui simul erat Anniversarius Electionis, deducitur succollantibus alienis humeris; senili amabilitate, & certè paternâ si non fraternâ Charitate conversatus, redit cum animi satietate ad hypocaustum, & omnia se consummâsse tunc putans solam expectabat, si non provocabat, mortem, ejus desiderio ita exardescens, ut pedum funebre cum osculo amplexus in hæc verba suspiraverit: ah, quando tandem te tenebo! efficax, eheu! suspirium, morbi enim gravescere, Medicus de vitâ dubitare, & inspecto, quem misit, sanguine tacitè desperare: apertè verò Rupertus voluntati divinæ se resignare: & quoniam sandapilam, lapidem sepulchralem, fasces, insignia, totumque funebrem apparatum multis jam annis habebat paratum, soli nunc animæ præparandæ vacare. Igitur præmissa Exomologesi ipso festo S. Ruperti (natali, vix non fatali) sacro viaticô refectus, & sequenti Dominica Lætare extremè inunctus amantissimo Conventui inter singultus & lacrymas benè valéque dixit. Mirabile adhuc penultima nocte humilitatis exemplum dedit, dum Confessarii sui dexteram coram adstantibus exosculatus est in gratiarum actionem fidelis, ut ajebat, assistentiæ. Tandem post terribilem generosi cordis cum suffocante phlegmate luctam, sub qua exquisitissimas mittebat Jaculatorias, dum Confessarius adgeniculante corona Canonicorum iterum & ultimò absolvit, solvitur anima 30. Martii die Martis

post Dominicam Lætare, numeratis annis vitæ humanæ 70. Religionis 50. Sacerdotii 46. Regiminis 35. Rupertus noster, cujus vita erat labor, dolor, & Passio, meritò sub hebdomade Lætare ad proximas palmas & Pascha avocatus in cælos anno 1688.

XLVI. SEBASTIANUS ZOLLNER Cathedralis Ecclesiæ hujus Chiemensis Professus Burghusii è quatuor excelsis Bavariæ Regiminibus claris Civitatibus una vitalem auram primò cum studiis humanioribus hausit, non genere quidem sed animo & virtutibus nobilis, quibus jam tunc nulli secundus esse voluit. Subinde candoris amans, ut jugum Domini suave portaret ab adolescentiâ suâ candidam Religionem in nostrâ Cathedrali Ecclesia est amplexus candidissimus Sebastianus. Mox ob Indolem præclaram & ingenium minimè angustum Augustam Vindelicorum in Aristotelis Lycæum, ac posteà doctas Germaniæ Athenas Dilingam missus, SS. Theologiæ, atque Juris Pontificii studium velut Olympicum stadium, defenso publicè summo omnium applausu insigni de Jure & Justitia tractatu felicissimè est emensus. A litteris domum redux litteratissimus ac Sacerdos factus pro vacantiis vacantem Philosophiæ & Theologiæ moralis Cathedram, atque paulò post Decanatùs sedem invenit, semper de honore in honorem, sicut de virtute in virtutem pari passu ambulans, donec tandem 5. May 1688. plurium votis ad supremum Præsulatùs nostri apicem, licèt plurimùm reluctans sit evectus, nempè quos superi amant, fovent, & ad magna ducunt. Quâ dignitate condecoratus tantùm abfuit, ut mores (quamvis honores) mutarent, quin potiùs absolutissimi Præsulis ideam in se exprimere inter potissima habuerit. Omnibus omnia factus omnium animos sibi conciliavit, amatus ab omnibus soliùs invidæ mortis odium evitare non poterat; quâ cum ipsi altero statim à suscepto regimine anno frequens erat velitatio. Et licet ipse ex 46. Infulatis hujus Cathedralis Ecclesiæ capitibus Sebastianus secundus esset, haud tamen secundè cum morte conflixit. Hæc enim ut citiùs dejiceret gratiosum caput nostrum, omniàque in uno membra læderet, vulnus inflixit capiti incurabile, quia occultum & ipsi Æsculapio ignotum multiplicato nomine anonymum. Primò siquidem polyponares obsidente, cùm via naturalis negaretur, viam pituitæ aperuit ingens fistula eandem è cerebro ad genas dexteras veluti canalis deducens. Inde tumor variabilis: dúmque neglectâ fistulâ tumori resistit manus medica, ex pituitâ fit ulcus, ex ulcere putredo, quam intùs venulas arteriásque paulatim inficientem, & circum quaque exedentem secuta est Anastomosis, atque exinde copiosa & frequens sanguinis per os & nares fontis instar effusio. Crescente verò in dies tumore, ut òculo dextro jam pœnè periclitanti consuleret & ulceri, ut ipse credebat, viam aperiret, approbante medico incisiones varias atque vulnera patitur aperta, jam verè Sebastianus, quia Martyr. Ut verò nec sic quidem mali finem, (nam præter sanguinem profluentem, carnem spongiosam, & vehementem arteriarum pulsum cernebatur nihil) sed posteriora vidit deteriora prioribus, ne quidpiam intentatum relinqueret, Monachium secundâ vice proficiscens optimos quosque Archiatros convocat, quia periculum in morâ, consilium capturus in arenâ. Sed ecce consilium arenaceum! dum multùm de cancro (quo laborare aliquibus videbatur) disceptant Medici, ipsos iteratus terræ motus retrogrados fecit, immobili intereà parúmque territo à terrâ Sebastianô, utpote qui semper virtutis alumnus, nunquam non æternitati maturus, semper mortis memor, mortem ubique exspectare jam pridem didicerat. Et quia non ex eorum fuit contubernio, quibus omnia casu metientibus omnia accidunt, non eveniunt, jam satìs, intellexerat verius magnæ matris in sinum, seu ad tumulum vocantis consilium. Quare misso Hypocrati, Galenóque, quorum opis & opera in cassum abierat, nuntio, sacros lares suos repetens, postquam omnem firmiorem valetudinis pristinæ recuperandæ spem deposuerat, in prochodochium sese lectum cunctantem adhuc mortem fortiter exspectaturus composuit. Interea tamen semper stetit etiam dum jacuit pro spartâ Ecclesiæ sibi commissæ, atque inter privatæ ægritudinis anhelitus non nisi salutem publicam anhelans in id decumbens maximè incubuit, ne disciplina succumberet Ecclesiastica. Ad extrema tandem deductus, omnísque jam calamitatis hospitium factus, & vivum funus oculos amiserat, quia videlicet Miseriarum in compendio jam viderat satìs: at nondum satis audierat, nam unum ipsi in tantâ miseriâ lamentum deerat, quod dum in profesto S. Michaëlis Angelorum antesignani ob anniversariam consecrationis recordationem felix ipsi *Vivat*, intonarent Musici, unicè appetebat, fortè quia ipsi tunc non alius magìs decebat cantus, nisi lamentabilis? fortè quia suum incolatum dolebat prolongatum? miserius enim est misero vitam trahere, quàm tradere; fortè ut post lamentum (quod idem est, ac Graduale apud Gavantum) gradi mereretur ad verum gaudium? quidquid sit, lamentum hoc inchoatum pleno Choro ipse postea continuavit ferè per triduum voce solâ, usque dum Spiritu deficiente optimus malorum omnium Medicus mors silentium indixit: & ipse in Divinam voluntatem resignatissimus omnibus Sacramentis iterato munitus inter Canonicorum suorum

preces

preces & suspiria placidissimè expiravit Religiosus annis 17. Sacerdos 10. modò pausat exanguis & exanimis, nam fistula eum exanimavit, qui aliàs ad majorem Dei honorem fistulas in Choro egregiè satis animavit. Diximus hactenùs quàm malè vixerit æger corpore, nunc breviter etiam dabimus, quàm benè. Ut quotidiè viveret Religiosè, quotidiè renovavit tria vota sua Religiosa, hinc indies evadens se ipso perfectior, defectus etiam minimos studiosè evitabat, ut propterea sermo exierit inter Fratres Canonicos suos, Sebastianum nullam levitatis notam unquam incurrisse. Ad aram stetit quotidie, etiam dum æger potuit quotidiè cultûs divini studiosissimus æmulator. Ut silentio involvamus singularem & quotidianam ipsius devotionem erga Beatissimam Cæli Reginam, sanctúmque Tutelarem Angelum, è quorum nutibus totus pendebat; illud certè non prætereundum, quòd SS. Triadem increatam & creatam summo semper quo potuit affectu deperierit, cujus haud dubiè occultâ dispositione factum, ut numerum ternarium sanctè ad mortem usque observaverit; dum postquam per triennium Meritissimus Decanus, per triennium Præsul Infulatus Vigilantissimus etiam tandem vivere desiit trigesimo Septembris anni currentis tertio quadrante ad tertiam pomeridianam, ætatis suæ vix uno supra annum trigesimum tertium. Hic consummatus in brevi explevit tempora multa, quia non annis sed annalibus vivit mortalitas, ætas quippe senectutis *ejus vita immaculata*. Ita tenor mortualis, ut vocant rotulæ ad Confœderatos emissæ.

XLVII. JACOBUS

CITIUM seu *Cizium*, vulgò *Ceitz* Saxoniæ Superioris civitas in Misniâ jure ac titulo Suffraganeatûs Sedi Magdeburgensi subdita priscis temporibus Cathedralem Ecclesiam habuit Regularem, cujus Canonicos fuisse tales, ex eo novimus, quia nimirùm Citiensis ista de Saxonicis una fuit, quæ haud dubiè ad instar aliarum similium Comprovincialium pariter regularitatem coluit; de quo ampliùs sermo redibit infrà V. *Magdeburgensis*.

CLAUSTRO - NEOBURGICUM, Magnificentissimum ac inter omnes, quas hodie tota tellus nostra Teutonica hinc inde dispersas habet Sacri Ordinis Nostri Canonico - Augustiniani Ecclesias pinquissimis reditibus suis Opulentissimum (nisi fallor) Archi - Ducale Collegium *ad S. Mariam Leopoldinam* intitulatum duabus circiter leucis Viennâ Inferioris Austriæ Metropoli dissitum, idque communi suo Archi - Canoniæ titulo ac nomine totâ præstantiâ dignissimum secundùm primam fundationem suam à S. Leopoldo Marchione Austriæ anno 1136. Idibus Novembris cælis recepto gloriosè factam à R. P. Mathæo Radero Soc. Jesu in Bavariâ Sanctâ volum. 3. fol. 147. & seqq. ex authenticis descriptum habetur, prout sequitur: Marchio Leopoldus Agnetem Mulierem castissimam & nobilissimam Henrici IV. Rom. Imperat. filiam divino nutu sibi sacro matrimonio copulavit anno Domini 1106. servans continentiam laudabilémque castimoniam ante oculos semper habens matrimonium magnum esse in Deo & in Ecclesiâ Sacramentum, in quo fides thori conjugalis & proles verum testimonium divini nutûs perhibent, perseverantes enim in eâdem fide & castimoniâ usque ad extremum vitæ exitum & sicut in vitâ unus Spiritus & una caro fuisse noscuntur, ita & morientes alter ad latus alterius consepeliri voluit. Legitur namque de eo, cùm ad honorem Dei & animarum salutem Ecclesiam construere, & dotare decrevisset, & locum pro construendâ Ecclesiâ Deo placitum scire ex aliquo divino indicio affectâsset, statim sub quieto & tranquillo aëre surgens ventus validus flammeolum capiti præfatæ Agnetis avellens in longinquum suo impetu deportavit, deinde elapsis novem (aliis sex) annis Marchio prædictus venationis actum exercens flammeolum capiti suæ Conjugis avulsum (ut prædicitur) super frutice Sambuci invenit integrum & illæsum; quod ut bonorum credulus pro divino indicio loci construendæ Ecclesiæ gratanter excepit, locúmque pro ædificio Ecclesiæ disponi fecit. Cùm autem ab eo tanquam à Fundatore à cunctis corâm adstantibus exigeretur, ut fundamento Neoburgensis Basilicæ primum lapidem poneret, ipse, ut erat Vir piissimus, omninò contradixit, & hoc à Clerico debere fieri dignum & justum constantissimè affirmavit. Itaque ipso jubente & præsente Otto primus ejusdem loci Præpositus hoc anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo Undecimo quinto Idus Junii primum lapidem imposuit in honore Domini N. Jesu Christi, & Gloriosæ Virginis Mariæ, & posuit illic Canonicos Sæculares.

Hic Leopoldus bellum habuit cum Rege Hungariæ Secundo & eum de Austriâ vi compulit, & laudabilem triumphum de Hungariâ obtinuit. Dein anno Christi 1127. fundavit Monasterium Sanctæ Crucis Ordinis Cisterciensis S. Bernardi, in cujus Capitulo Patruus suus Albertus Facilis est olim sepultus. Hic Leopoldus habitavit cum Curiâ suâ in Castro Kalnperg. Defuncto autem Imperatore Electores hunc Leopoldum, Fridericum Ducem Saxoniæ, & Carolum Comitem Flandriæ in Regem designarunt: sed

Electio Lotharii prævaluit, cum quo in Italiam ivit. Cùm autem Otto Præpositus Collegii Neuburgensis Ecclesiæ diem obiisset, prius Marchio S. Leopoldus Filium suum Ottonem adhuc Scholarem dictæ Ecclesiæ præfecit Præpositum, substituens ei Vicarium Opaldum nomine. Dum verò idem Otto ex Parisiis secundò reverteretur, in Cœnobio Morimontensi Monachum se fieri fecit. S. Marchio Pater ejus cùm jam videret locum Filii vacare, & Ecclesiam Neuburgensem provisorem non habere, sicut erat providus & Deo devotus mittens invitavit in domum suam Venerabiles Viros Archi - Episcopum Salisburgensem, Conradum de Abensperg, Raymarum Pataviensem, Romanum Episcopum Gurcensem & alias quàm plures Religiosas Personas. Horum ordinatissimum ad Dei voluntatem consilium secutus Canonicos Sæculares, qui sibi videbantur negligenter & nimis remissè agere, decentissimè commutavit in Regulares B. Augustini viam regiam, & optimam formam tenentes.

Anno Incarnationis Domini 1130. eundem locum eis perpetuò tenendum potestativâ manu tradidit Præpositum eis præponens Venerabilium eorundem Virorum consilio Præpositum Chiemensem Hartmannum nomine Sanctissimæ vitæ Deo & hominibus acceptum: sed post aliquot annos in Brixinensem Episcopum assumptus est. Hic primus Præpositus regularem constitutionem omninò congruam scripsit, & scriptam legendam & imitandam suis Canonicis Regularibus reliquit. Habet autem hoc initium: *Sub testimonio Christi & Ecclesiæ Dei. &c.*

Anno ab Incarnatione Domini 1131. Indictione 15. tertio Calendas Octobris dedicata est Basilica Neuburgensis à Beato Conrado Juvaviensis Ecclesiæ Archi-Episcopo cooperantibus S. Sedis Pataviensis & Gurcensis Ecclesiarum Episcopis Raymaro & Romano in honore S. Dei Genitricis Mariæ & omnium Sanctorum Spirituum, Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & quarum reliquiæ ibi conditæ sunt. De vestimento Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus virtutum patrocinio privilegiata & fundata est, de aliis reliquiis ibi contentis, & de indulgentiis eidem Ecclesiæ concessis brevitatis causâ pertranseo pro præsenti.

Hoc itaque solemne Monasterium Neuburgæ Claustralis Beatæ Mariæ Virginis sub ordine Canonicorum Regularium B. Augustini usque in hodierna tempora famosum atque gloriosum laudabili observantiâ perseverat. Donavit siquidem illi magnam sui patrimonii partem, cujus rei testimonium perhibent irrefragabiles litteræ authenticæ donationis illius, quarum tenor sequitur in hæc verba: *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Leopoldus Marchio Orientalis fundator Ecclesiæ Neuburgensis. Quoniam negotiis sæcularibus impediti Deo per nos ad summum placere nequimus, eos quos illi placitos & maximè mundialibus studiis exemptos probamus diligere, congregare, confovere, ac modis omnibus eorum quieti providere debemus operam dare, hoc enim modo fit, ut & præsentis nobis vitæ incolumitas, temporum tranquilitas, pacis & omnimodæ salutis prosperitas arrideat, & quæ ipsis in futuro sunt in Cælis reposita, non usquequaque privabimur bonis. Igitur ego Leopoldus Marchio Orientalis cum Nobilissima Conjuge Agnete cum unanimi omnium filiorum, & filiarum nostrarum consensione, omnium quorumcunque mortalium sopitâ contradictione Sigefridum & Prunicum, qui tunc præsentes erant, cum omni familiâ & possessionibus, quos vel ipsi vel alii fideles tradiderunt cum Davidicâ devotione in simplicitate cordis mei lætus universa Deo, & Ecclesiæ Neuburgensi* (quam ipse in honorem S. Dei Genitricis Mariæ fundavit) *obtuli, ut fratribus sub Regulâ S. Augustini Christo servientibus in perpetuum deserviant.* In qua traditione semel, bis, térque omnibus libera data facultas est requirendi, siquid sui quisquam recognosceret, in omnibus, quæ oblata sunt, sed nec Vir, nec Mulier, quidquid contradiceret, inveniri potuerunt. Proinde in consecratione Ecclesiæ ejusdem Basilicæ Domino Conrado Salisburgensi Archi-Episcopo, & Raymaro Pataviensi nostro Diœcesano, & Romano Gurcensi Episcopo cum Clero & populo, qui eâ die in infinitum confluxerant, notificavi, quòd locum prædictum cum possessionibus suis Sancto Petro & Beato Innocentio Apostolico ipse obtuleram per manum Wolframi Nobilis Viri de Pubenkirchen. Quo Legato in Pisensem Synodum veniente, & coram Episcopis 56. delegata delegante B. Apostolicus in liberam defensionem prædictam Ecclesiam suscepit, & omnium unanimi Episcoporum, qui aderant, banno & subscriptione confirmatum pro libertate loci ejusdem nobis remisit privilegium, quod etiam coram frequentiâ totius populi recitari feci. Huic rei testificantur Comites, & quinque Nobiles Orientalis Regionis, Ottocarus Marchio Styrensis, Dietricus de Grisanstein, Conradus de Pusenstain, Gebhardus de Pingen cum fratre Adelberto & Filio Herimanno, Luitholdus de Plengen, & filius ejus Luitholdus, Ekebertus de Putonens, Sigehardus, & Gebehardus de Purkheusen Comites, Adalramus cum fratre Adalberto de Pergen, Otto de Lengenbach, & Hartwicus, Haiderricus quoque fratres ejus,

Val-

Valtherus de S. Andreâ cum fratribus ſuis Adalramo de Epinperge, Hertnico de Rudinche, Erneſto de Triesmo, Otto & frater ejus Valchius de Mathlande, Henricus de Lummaningen, Rudolphus de Peche. His itaque geſtis in talem ſententiam prædicti Pontifices aſſurgunt, poſſeſſiones huic Eccleſiæ traditæ Apoſtolico privilegio communitæ ſunt. Dominus enim noſter Apoſtolicus omnem invaſorem & raptorem hujus ſubſtantiæ anathemate damnavit. Vos quoque pauperes Chriſti Regulam S. Auguſtini absque proprietate ſequentes quietos ad Dei laudes eſſe volumus, & ideò Domini Apoſtolici ſententiam ſequentes, & quod cœpit, perficientes omnem invaſorem & raptorem à Domo Dei, quæ eſt Eccleſia ejus, perpetuo anathemate ſeparamus, qui de vitâ eorum temerè quicquam vel mutare, aut ſubſtantias eorum invadere, vel diripere præſumpſerit, à die qua Ordo eorum in Generali Synodo Apoſtolico privilegio munitus, & poſſeſſio authoritate Summi Pontificis eſt defenſata. Ad confirmationem omnium, quæ vel dicta vel geſta ſunt in hoc ſolemni negotio, hanc Chartam propriis placuit inſigniri ſigillis anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo centeſimo triceſimo ſexto Indictione undecimâ tertio Calendas Octobris in Chriſto feliciter acta ſunt. Per quæ omnia ſatis evidenter apparet Deum altiſſimum magnam gloriam cum illo feciſſe, ut ſic meritò inter Sanctos & Electos Dei debeat annumerari ac publicè venerari. Pius itaque Marchio S. Leopoldus & ejus devotiſſima uxor poſt eum vidua conſepeliri ſimul volebant. Prius tamen ſolemni pœnitentâ præmiſſâ cum vera cordis contritione, oris confeſſione, & operis ſatisfactione, & omnibus ſignis veræ pœnitentiæ in illis concurrentibus, pectoris ſcilicet tunſione, lacrymarum emiſſione, & Chriſti nominis aſſiduâ invocatione extrema pariter Sacramenta unctionem & animæ commendationem ſalubriter ac devotè conſecuti, more non ſolùm cujusque Chriſtianiſſimi, atque fideliſſimi Servi Dei, ſed etiam cujusque utique Sanctiſſimi atque Beatiſſimi. In quorum cujuslibet obitûs die eorum ſepulchra circum vicinis populis ſingulis annis viſitari, illisque per manus Canonicorum Regularium ejusdem Monaſterii Neuburgenſis, in quo conſepulti jacent, magnæ & laudabiles eleemoſinæ ſingulis advenientibus diſtribui hilariter conſuevêre panis utique atque vini, nec non & carnium, ſi dies illa in diem, quâ carnibus veſcimur, incidit. Mortuus eſt igitur Pius Leopoldus currentibus annis Domini 1136. die 15. Menſis Novembris, qui ſicut cum cunctorum hominum in Partibus converſantium gratia & benevolentia admirabili ſemper vixerit, ita moriens cunctos moeſtos non mediocriter dereliquit, per ampliùsque dolore non vulgari, plurimóque luctu Patria illa ſe deſolatam prorſus deputaſſet, niſi Miraculorum coruſcatio & proles magnis virtutibus & gratiis illuſtrata illi ſucceſſiſſet. Eſt autem Catalogo Sanctorum inſcriptus & Canonizatus per Papam Innocentium VIII. anno ſalutis 1485. in feſto Epiphaniarum ſub Friderico tertio Rom. Imperatore de Romæ in publico Conſiſtorio, cujus feſtum celebratur 15. Novembris. Hactenùs Raderus loco citato, ubi & additur ejusdem S. Leopoldi Marchionis Fundatoris Epigraphe, cujus copia talis eſt:

Auſtriaco Princeps fueram Leopoldus in Orbe
 Juſtitiâ populos & pietate regens.
Hoc ego fundavi divino Numine templum
 Flammeolo ſignum dum mihi ab arce datum eſt,
Innocuus Papa octavus dum ſederat Urbe
 Tertius & Cæſar dum Fridericus erat.
Hi juſſêre mei transferri corporis artus
 Atque inter Sanctos me retulêre Viros.
Ut vota exciperem, quæ totus dat mihi mundus,
 Nec finerem caſſas ullius eſſe preces.

Syllabus & Ordo Præpoſitorum.

I. Otto I. ſtatu & conditione ſuâ Clericus ſeu Sæcularis Canonicus moribus, pietate, & ſcientiâ præſtantiſſimus idem dehinc à S. Leopoldo Fundatore ſuprà dicto in primum novæ Eccleſiæ Clauſtro - Neoburgicæ Præpoſitum delectus, ejusdem etiam primum lapidem ritu ſolemni in fundamenta repoſuit, demùm etiam Primogeniæ huic dignitati ſuæ feliciter immortuus anno 1133.

II. Otto II. S. Leopoldi fundatoris antè dicti Filius, generatione quintus ob perſpicacem ingenii felicitatem, & congenitum virtutum fulgorem à piiſſimo Parente ſtatui Clericali mancipatus liberalium & Theologicarum ſcientiarum ergò ad celeberrimam Univerſitatem Pariſienſem eſt ablegatus, ubi in perfectiſſimum Eccleſiæ Hierarcham evadens Sereniſſimos Parentes reviſens, nominatiſſimas reliquias inclytæ Canoniæ ſuæ dono tulit, quæ in piiſſimorum Parentum præſentiâ proceſſionali ſolemnitate in publicam po-

puli venerationem summo in altari sunt expositæ; dum interim inter Neophytos Clericos Claustro - Neoburgenses oppidò vacillavit.

His gestis Beatis Parentibus filiali osculo valedicens ipse Otto Præpositus Lutetiam Parisiorum abiit, & dum ex itinere suo ad Burgundiones deflectens quindecim nobilibus juvenibus religiosi desiderii sociis sibi assumptis in asceterio Morimundano Divi Bernardi Claravallensis Abbatis claustralem habitum ex Religionis fervore suscepit, ibidem paulò post & ipse pro meritis in Abbatem delectus. Verùm cùm adeò præfulgidum Ecclesiæ lumen sub modio diu latere nequiverit, Conradi III. Romanorum Imperatoris voto & plenitudine potestatis anno 1138. in Episcopum Frisingensem est sublevatus, quem millenis vitæ discriminibus Religionis zelô terrâ marique est secutus; redux cum eodem Conrado Cæsare, & Brenrico germano Fratre Marchione Austriæ non modò diversa Bavariæ Monasteria immanissimâ Hungarorum & Avarorum feritate miserrimè diruta sumptuosissime restauravit; cujus ejusdem sumptibûs & operâ etiam Neocellensis Præmonstratensis Ordinis Ecclesiæ Frisingæ propiùs adsita recens fuit erecta, Gallias ter, Syriam totam, Sacra Palæstinæ loca & Græciam universam individuus Cæsaris suprà dicti Comes peragravit; Jordanis undis & arenis in sacram Divinissimi Baptismi recordationem sese quasi pœnitens absterfit, & ubique quasi Apostolici Spiritûs, nec non sanctissimæ vitæ vestigia ac monumenta reliquit. Ad Episcopatum reversus sacratioris vitæ studiis omnique virtutum exercitio incumbens celeberrimum ab orbe condito usque ad Friderici Primi Cæsaris Ænobarbi tempora Chronicon continuavit, quod in præsens usque omnium Scriptorum encomiis, præsertim ob Orientales expeditiones, quas oculatus testis conscripsit, celebratur, fidissimus alioquin Friderici Amicus, attentatis tamen adversùs legitimum Ecclesiæ Pastorem Alexandrum tertium Cæsaris Machinis minimè parens innumeris commendatur præconiis Babenbergensis sanguinis Gloria, statûs Ecclesiastici firmamentum, eruditorum Magister, sacræ militiæ zelosissimus Promotor dictus, quem Cardinalis Baronius ipse sanctum compellare non dubitavit, eique non absimile inclamavit elogium: *E terris sublatus, ne malitia facinorosi in Sedem Romanam Schismatis perverteret intellectum ejus.*

Anno 1158. vigesima secunda Septembris totius Bavariæ & Austriæ luctu in Domino moritur, & ad Summam Ecclesiæ Cathedralis aram inhumatur. Cujus tumulum frequentia celebrarunt prodigia, & à Christi fidelibus usque hodiè piè frequentantur. Cujus invictam animi in Cæsarem constantia fortissimo ausu secutus est etiam Germanus Frater Conradus Archi - Episcopus Salisburgensis, æquè Religiosus, & Pataviensis Antistes: uti non minùs inclyta Canonia Leopoldina à vetustissimâ tunc ætatis scripta tabula ob pariter inconcussam erga Sedem Romanam Constantiam mirâ laude decoratur.

III. B. Hartmannus ex Canonico - Regulari (uti certâ traditione constat) Divi Augustini ad S. Nicolaum extrà muros Patavienses primò Præpositus Salisburgensis, dein Collegii Chiemensis, quem Sanctus Fundator anno 1133. adhuc vivens cum Religioso Cœtu Clericis sæcularibus usque hactenùs immorantibus priùs indè dimmissis unicè divini cultûs fervorem propagandi causâ ceu novas colonias isthuc Claustro - Neoburgum introduxit. Quantæ in Deum pietatis, devotionis, temperantiæ, & Religionis fuerit zelator ob nimiam materiæ prolixitatem ad ejus à Mathæo Radero Soc. Jesu Presbytero in Bavariâ Sanctâ volum. 2. fol. 262. & Annales Brixinenses remissum volumus. Id ex pervetustis Canoniæ hujus Leopoldinæ manuscriptis apertâ veritate comprobatum manet, Hartmannum in vita & post mortem prodigiosum fuisse Antistitem anno 1142. in Episcopum Brixinensem elevatum maxima sanctitatis famâ fulsisse compertum habemus. Cùm adhuc vivus in Canonia ista Claustro - Neoburgica cum suis sacræ lectioni intentus mensæ accumberet, derepentè exiliens ad domum quandam propero pede accurrens (ubi negotiorum causâ aliqui de suis detenti morabantur) altùm acclamans, ut protinùs sese ex ædibus proriperent: iis vix pedes è domo moventibûs stupendâ Dei providentiâ præcipiti casu integra moles corruebat. Non minùs Nautas gravissima tempestate jactatos, & cum non paucis vectoribus ad scopulos allisos videns hisce verbis: *Adjuvet vos Deus & Beata Virgo Maria*, fluctuantes Danubii procellas sedavit, omnésque à præsenti naufragii periculo liberavit. Dignus proinde, quem Sacra Sedes Pontificia Innocentius II. post Piissimi Marchionis sanctum obitum, viduatæ Beatæ Agnetis amoribus unicè commendaret. In Divini amoris & Religionis ardentissimo Spiritu animam suo reddidit Salvatori in Cathedrali Basilica Brixinone funerali pompâ sepultus, miraculis clarus, Ordinis Canonici novus Augustinus, Collegiorum piissimus Informator, Ecclesiarum fundator, Religiosissimus Christicolarum Pastor, in tumulo Christianorum devotione invocatur: in cujus honorem ut officium & sacrificium Deo offeratur Brixensibus Sedes Romana indulsit.

IV. Rudge-

IV. Rudgerus. Hujus ſedulo ſub regimine Canonia iſta Clauſtro-Neoburgica Friderici Ænobarbi nunc minis nunc blanditiis incredibiles ſuſtinuit afflictiones & preſſuras, quam ab obedientia Alexandro III. legitimo univerſalis Eccleſiæ Paſtori debitâ mordicus avertere conabatur idem Imperator. Quare Diœceſano ſeu Provinciæ Ordinario in execrandam Schiſmaticorum ſententiam pertracto, ſeu veriùs dicam, coacto, compluribus annis nullus de Religioſo Cœtu Regularium Canonicorum Iſtorum S. Leopoldi Clauſtro-Neoburgici ad ſacros ordines ſuſcipiendos valuit aut voluit promoveri; quapropter Rudgerus iſte Antiſtes verè Catholicus, etſi ſemper corpore infirmus, nec minis deterritus, nec promiſſis commotus ſub directione Wernheri cujusdam Diaconi Religioſos Canonicos filios ac fratres in Domino longè Clariſſimos ad Hierarcham Metropolitanum Conſtantiſſimum S. Leopoldi Marchionis Filium Archi-Antiſtitem Salisburgenſem ſacris ordinibus inſigniendos delegavit: quibus ſuſceptis paterno Charitatis oſculo, & Archi-Præſulari Benedictione inſigniti læti ad propria remeârunt, unde Canoniam iſtam, verè omninò piam & fidelem primo Eberhardi, deinde Conradi utriusque Salisburgenſis Beatique Hartmanni Brixinenſis Epiſcopi ſupradicti ſententiam ſecutam nullis aut machinis aut pollicitis ſtomachatus Cæſar à Romana obedientia valuit dimovere.

V. Marquardus electus anno 1185. quo ad clavum ſedente Diabolicum ſchiſma contra legitimum caput Eccleſiæ Alexandrum III. à Friderico I. Cæſare ſuſcitatum univerſam penè Auſtriam, atque una ſimul etiam Eccleſiaſticum Provinciæ hujus ſtatum nequiter involvit, quousque tandem anno 1177. ipſo eodem Cæſare pro meritis ſubmiſſo voraciſſima diſſenſionis hujus flamma rursùm cœpit reſtingui, & ſic quidem immortalem Canoniæ hujus Leopoldinæ commendationem; dum ſcilicet ejusdem conſtantia & imperterrita in Sedem Romanam fides totum Clerum Auſtriæ ad Pontificia traxit obſequia, quibus omnino ſtabilitis Marquardus Antiſtes optimus vix uno ſolùm expleto regiminis anno fatis urgentibus ad plures abiit evocatus anno 1186. die 3. Januarii.

VI. Pabo electus anno 1186. itidem uno ſolùm & quidem non integro præfuit anno; unde præter œconomicam illius induſtriam de rebus geſtis ipſius vix pauca reſtant teſtimonia, quem tamen piiſſimum fuiſſe ſui Ordinis Prælatum notatu digna, quæ ſuperant, monumenta, teſtantur, deceſſit & terris emortuus Succeſſori locum reliquit anno 1187. die 26. Auguſti.

VII. Werengerus electus anno 1187. vigilantiſſimus Eccleſiæ ſuæ Præſul ob admirandam, qua præiitit, doctrinæ & virtutum eminentiam in Epiſcopum Gurcenſem apud Carantanos delectus; qui in Catalogo Eccleſiæ iſtius *Wernerus* ſuo nomine dictus, ordine ſeptimus legitur fuiſſe Gurcenſis Antiſtes anno 1192. in id muneris aſſumptus, dum priùs aræ tabulatæ arte fuſoriâ ex ære fabrefactæ hiſce tunc in partibus pretioſiſſimæ fuerit Author: quam incendiô deſtructam Nicolai Epiſcopi Virdunenſis operâ Stephanus de Syrndorff (itidem recenſendus infrà) rursùm ex integro renovari curavit digniſſimus S. Leopoldi Clauſtro-Neoburgici numero decimus ſeptimus.

VIII. Gotſcalcus electus anno 1192. vidit is in diebus ſuis, quando Leopoldus cognomento Virtuoſus Auſtriæ Dux ex Palæſtinâ reverſus Richardum Angliæ Regem Auſtriæ Vexillum quinque alaudarum aurearum expugnatâ Ptolomaide dehoneſtantem propè Viennam Erdbergæ captivum detinet; duobus verò poſt annis graviſſimo lytro redemptum libertati reſtituit; atque ob admirandam hujus Principis generoſitatem ſcutum ſeu Inſigne Auſtriacum ab Henrico VI. Romanorum Imperatore Leopoldi conſanguineo mutatum fuiſſe perhibetur in clypeum rubicundum cum albo tranſtro. Ipſe verò Gotſcalcus Præpoſitus vitâ temporali deceſſit anno 1193. die 3. Auguſti.

IX. Wernerus electus anno 1193. iniquiſſima ſuſtinuit tempora, quando nimirùm perdurante Præſulatu ſuo, & quidem ſolùm breviſſimô maximè ſub annum 1195. peſtilentiſſima Albigenſium Hæreſis non tantùm in Gallias proſerpſit & Italiam, ſed & plures quoque pervagata eſt Germaniæ noſtræ provincias, & ſic quidem haud ſine maximo Romanæ Eccleſiæ ſcandalo & horrore. Interim ipſe Wernerus Antiſtes iſte Clauſtro-Neoburgicus immortalis factus tumulo conſepultus, & illatus fuit anno 1195. die non notato.

X. Rudolphus I. Electus anno 1195. terminavit præſulari regimine ſuo usque ad annum 1216. pertracto primum Leopoldinæ fundationis Jubilæum; quo perdurante ſedes Apoſtolica ut puta Innocentius II. Romæ, Eugenius III. Viterbii, & Urbanus III, Viennæ Spiritualibus, Conradus III. Imperator verò Leopoldus II. cognomento Largus, & Henricus itidem II. Marchiones in Duces Auſtriæ temporalibus, & quidem quam plu-

rimis Ecclesiam seu Canoniam Leopoldinam respectivè donârunt, & firmârunt, & auxerunt gratiis ac privilegiis. Cæterùm obitus Rudolphi Præsulis hujus incidit in annum gratiæ 1216.

XI. Dietmarus electus anno 1216. præstitit usque ad annum 1223. cujus temporibus ad sepulchrum Divi Marchionis Piissimi Fundatoris propè innumera Superûm ope patrata sunt miracula. Quantus enim ad sacrum tumulum plurimarum gentium fuerit confluxus, sepulchralis ex marmore lapis, qui erat ad ostium monumenti, solâ devotorum genuflexione magnâ ex parte incavus testatur.

XII. Gissento electus anno 1223. præfuit usque ad annum, quem sibi fatalem habuit Christi 1234. die non notato.

XIII. Waltherus electus anno 1234. Hic dum admodùm laudatus ad clavum sedit anno sui regiminis penultimo, Christi verò Salvatoris 1253. Indictione decima inter Odolphum Equestris ordinis Teutonici supremum per Austriam & Styriam Commendatorem unâ & Canoniam Claustro-Neoburgicam partibus ex altera contractus quidam fuit initus & firmatus, quo præfatus ordò Teutonicus Hiezinganam (de qua pluribus mox infrà) Capellam cum queisvis attinentiis absque ulla pactorum restrictione aut reservatione perpetuis futuris temporibus tenendam ac possidendam concessit. Quæ eadem Capella cùm anno 1529. à Solymanno Turcarum Tyranno in primâ Viennensium obsidione penitus fuisset devastata, à Georgio Claustro-Neoburgico Præposito hujus nominis tertio novam in formam restaurata, & de mandato Clementis Papæ VII. per Conradum Scotorum Viennensium Abbatem sæpè factæ Canoniæ Leopoldinæ pleno jure fuit incorporata; Item propter immensa Sancti Leopoldi miracula Serenissimi Austriæ Duces & Successores suos certatim eo sæculo favores & gratias contulerunt: quàm Leopoldus & duo Friderici Navalium vectigalium onere ad Anisum usque exemerunt, sacel'úmque pervetustum rubro interiùs marmore affabrè incrustatum ædificârunt, rarisque donationibus Albertus & Otto Austriæ Duces Canoniæ concesserunt, aliisque alia annuerunt beneficia & privilegia: occurrit verò peculiarissimâ observatione dignum, quòd Elisabetha Austriæ ac Styriæ Ducissa &c. Carniolæ, Marchiæ, Portusque Naonis Dominatrix, ultima Divi Leopoldi ex Babenbergensium Austriæ Principum Prosapiâ hæres, quam Rudolphus I. acquisito Imperio Filio suo Alberto primo dein Cæsari fausto junxit conjugio (postquam anno 1264. ab Urbano IV. Augustissimi Corporis Christi festiva solennia sunt instituta) per Wernhardum & Luipoldum Pataviensis & Secoviensis Ecclesiarum Episcopos anno Christi nati 1288. ipsâmet Palmarum Dominicâ perpetuæ Eucharistiæ adorationem & Processiones solennissimâ ordinaverit ritu & instrumento: ut jam tunc Rudolphina in sacro-sanctum Altaris Mysterium devotio in sacram Canoniam Claustro-Neoburgicam fuerit transplantata. Indubium videtur sæpè memoratam inclytam Canoniam istam inter omnium primas Germaniæ Ecclesias, si non primam Sacratissimi Instituti numerari cultricem; cùm ab eo sæculo usque in hodiernum diem festivissimâ solennitate Divinissimi Corporis Christi processiones publicæ omni feriâ quintâ per anni circulum irremisse ac devotissimè continuentur.

Eodem quoque sæculo Alexander Papa IV. Septimô, Urbanus IV. secundò & Martinus IV. primò Pontificatus anno omnia tam Ecclesiastica quàm temporalia ab Austriæ Ducibus indulta Authoritate Apostolicâ confirmarunt privilegia.

XIV. Conradus electus anno 1259. provixit in regimine Prælaturæ usque ad annum 1296. quo currente vocante Nemesi requievit cum Patribus suis die 12. Martii.

XV. Bertholdus electus anno 1296. terminavit in diebus suis secundum Leopoldinæ fundationis Jubilæum, & ad plures abiit anno 1317. die 29. Maji.

XVI. Nicolaus I. electus anno 1317. in regimine regularis Prælaturæ suæ salvus & incolumis perrexit usque ad annum Christi 1319. quo principiante vitæ terrestris metam attigit die 4. Januarii.

XVII. Stephanus de Syrndorff electus anno 1319. Hujus sub regimine & quidem anno gratiæ 1321. Cathedrale Capitulum Pataviense inter & Canonicum istud S. Leopoldi Collegium præter alia piæ confœderationis pacta perpetua & indissolubilis quoque fraternitatis societas fuit stabilita & firmata, ut quoties unum de Claustralibus S. Leopoldi Canonicis ad Pataviensem Ecclesiam, & vicissim de Pataviensibus unum ad S. Leopoldum divertere contigerit, quivis istorum à die adventûs sui ad octo dies, continuos præbenda

&vi-

& victalitio toties quoties Charitativè hoſpitetur & honoretur. Atque hæc eadem pia fraternitas inter Albertum Præpoſitum, & Wolfgangum Decanum, totúmque Illuſtriſſimum Patavienſis Eccleſiæ Capitulum ex unâ, ac Stephanum Prælatum Clauſtro - Neoburgicum partibus ex altera in perpetuum ſinceri amoris ſignum ſolemniſſimo fædere fuit ſancita. Poſt hæc anno 1322. Canonia iſta Clauſtro - Neoburgica caſuali incendio tota quanta periit adeò quidem, ut præter unam altaris aurei tabellam nihil prorsùs fuerit ſalvatum, Vulcanus in civitate ſubortus, eandemque etiam ultra medietatem peſſimè deperivit. Miro non impar, quòd in feſtivitate Dominicæ Crucis inventæ omnia vineta gelidiſſima pruina & frigore adeò fuerint deſtructa, ut celeberrima octo jugerorum vinea vulgo Incunabula ſuo nomine dicta vix mediam vini vecturam germinarit, ac eodem anno in Exaltatione S. Crucis præfatum incendium univerſam quoque (ut dictum eſt) Canoniam aſſumpſerit. Unde Stephanus Præpoſitus ante dictus de reſtauratione quantocyus facienda ſollicitus ſimul ac neceſſitate compulſus Canonicos ſuos usque ad quatuor in Miniſterium Eccleſiæ neceſſarios aliò emiſit: duodecim ibidem campanæ flammarum æſtu diffluxerunt, quibus ægrè reparatis idem ipſe Stephanus eandem Canoniam ſuam priùs lateritiam, & ſacellum marmoreum ſtanneis anteà & plumbeis laminis tectum urgente neceſſitate tegulis ligneis reſtauravit.

XVIII. Nicolaus II. electus anno 1335. perpaucis ſolùm menſibus anteſtitit, cujus tamen temporibus iteratis vicibus in ſummo feralis incinerationis periculo & diſcrimine verſabatur Leopoldina Canonia iſta; pullulare itidem id temporis cœpit damnatiſſima illa nota flagellantium ſecta; quam metuenda in Cœlo ſigna, ſed vel maximè formidabiles duo Cometæ præceſſerunt, quorum unus quatuor, alter verò tribus ampliùs menſibus, Junio, Julio & Auguſto incumbentem Superùm iram minitabantur. Mortuus eſt autem ipſe Nicolaus Præpoſitus, & ſopitus eſt cum Patribus ſuis primo ſtatim ſui regiminis anno die 5. Martii.

XIX. Radwinus ex Nobiliſſimâ Rapiorum familiâ progenitus, & in ſummum Canoniæ hujus Leopoldinæ Antiſtitem electus, fuit antehac Sereniſſimi Principis ac Ducis Auſtriæ Alberti II. primarius Miniſter à Secretis, qui pro Collegio ſuo ſat magnis impenſis maximam ſui temporis ſonoram fabrefieri fecit campanam, ſed vel maximè Zeloſus Paſtor iſte Vigilantiſſimus ſuper gregem ſuum antedictam flagellantium ſectam ex toto Clauſtro-Neoburgenſium oppido longè proſcripſit idem demùm mortuis accenſus anno 1352. die 13. Octobris.

XX. Odulphus de Wolckensdorff prænobili ſtemmate procreatus & electus anno 1352. præ cunctis in Prælatura venerandis Anteceſſoribus ſuis omnium primus authoritate Apoſtolica Innocentii Papæ VI. Mitrâ Præſulari aliisque cohærentibus juribus ac privilegiis donatus hujuscemodi prærogativam etiam ad Poſteros derivatam accepit. Idem ipſiſſimus hic multæ laudis Præpoſitus Odulphus ſubſcripſit quoque litteris primæ fundationis Collegiatæ (quæ poſtmodum Cathedralis evaſit) Eccleſiæ Viennenſis ad S. Stephanum, quas eosdem litteras anno 1365. Dominicâ tertia Quadrageſimæ unà cum ambobus Sereniſſimis Fratribus Rudolpho & Alberto Ducibus Auſtriæ &c. nec non cum Sereniſſima Domina Catharina Caroli IV. Romanorum Imperatoris Filia, præfati Ducis Rudolphi Conthorali, & cum altera Catharina Auſtriæ Duciſſa Moniali ad S Claram Profeſſa. Cæterùm Odulphi dies obitus in Necrologio Domeſtico notatur anno 1371. die 24. April.

XXI. Colomannus de Laa generatione ſua prænobilis electus anno 1371. fuiſſe commendatur redituum ac bonorum forenſium augmentator egregius, cujus induſtria hodiedum conſtat commune Refectorium grata vetuſtate ſua contuendum, ut & ambitus eodem Colomanno Præpoſito dictante in ſplendidiorem & quidem Gothicam formam innovatus. Cæterùm idem ipſe Colomannus in cauſa propria ad-Synodum Baſileenſem profectus gravem Alberti Ducis indignationem incurrit, paulò tamen poſt cura & Sollicitudine Patrum denuò Serenitati ſuæ reconciliatus emerſit, idem denuò mortuis accenſus anno 1394.

XXII. Petrus I. electus anno 1394. vel eo in regimine ſuo felix & beatus, quòd temporibus illius univerſæ terræ Auſtriacæ Benedixerit Cœli & terræ Dominus, ut in partibus iſtis tanta agrorum æquè ac vinetorum abundarit fertilitas & copia, qualem nemo Poſterorum credere vel comprehendere valeat; quale tamen terrigenarum gaudium admodum turbavit ferale incendium, quo magna pars Civitatis Clauſtro - Neoburgenſis interiit. Deceſſit ipſe Petrus Præpoſitus, & cum Patribus ſuis in Domino requievit anno 1399. die 17. Julii.

XXIII. Bartholomæus à Pierbaum electus anno 1399. tertius is regimine suo clausit suum primæ fundationis Leopoldinæ sæculum ac brevi post initium sequentis, huic sæculo defunctus fuisse perhibetur Bertholdus à Wahingen Episcopus Frisingensis, qui consecravit sacellum, quod est in ambitu Claustro-Neoburgensi, qui idem consecrator totis propemodùm annis purgatorii flammis expiatus fuisse dicitur primum ætate nostra seu parvo tempore ante ingressum anni sæcularis 1700. & sic quidem piis precibus & meritis Monialis cujusdam in Parthenone Monacensi vulgò auf dem Anger nuncupato de tertio ordine S. Francisci tunc imorantis. Atque memorati Frisingensis Episcopi istius etiam Frater Germanus N. miles strenuus, qui anno 1365. cum civibus Claustro-Neoburgicis Burggravium Crypho-Steinensem ad faciendam deditionem coëgit, in eodem sacello fuit tumulatus. Porro delabente tertio isto Leopoldinæ fundationis sæculo tam in sacris quàm respectivè etiam in Politicis donata & augmentata fuit gratiis ac privilegiis, ut puta à Joanne XXI. Romæ, & Urbano V. Avenione item sub Carolo IV. Rom. Imperatore, Friderico Duce, item Albertis duobus Wilhelmo & Ottone; qui cognomento jucundus inaudiit, Clementissimè fuit decorata; de quo nimirum Principe ultimo seu memorato Ottone pervetustæ narrant historiæ, ipsum eundem Ducem facetorum duorum Joculatorum Aulicorum videlicet Neidhardi Fuchs ex Franconia progeniti, sed vel maximè Wigardi de Theben nugatoriis gestis & sermonibus admodum fuisse delectatum, quorum prior cognomine Baurn-Feind (cujus lapidea statua & tumulus in introitu Cathedralis Ecclesiæ ad S. Stephanum Viennæ hodiedum spectatur) alter verò vulgari cognomento der Pfaff zu Kalenberg inaudiit, quæ eadem Parochia ceu filialis Matrici Canoniæ Claustro-Neoburgicæ manet incorporata.

XXIV. Albertus electus anno circiter 1413. fuit toto perdurante regimine suo quorumvis Jurium Ecclesiasticorum pro Canonia sua Leopoldina defensor & propugnator acerrimus, opere & sermone potentissimus, & dehinc à compatriis statibus tam sacris quâm politicis in Oratorem Austriæ specialiter exoratus anno 1413. cum spectatissimo famulitii comitatu personis 40. plùs minùs apparato Constantiam digressus ac ibidem anno proximè sequenti inde denuò regressus, ubique locorum cum maximo concurrentium applausu lætanter exceptus nimirum ob res undique benè gestas; dum interim eadem Sacrosancta Synodus Oecumenica quosvis Canoniæ Claustro-Neoburgicæ invasores & Depopulatores gravissimo fulmine Excommunicationis feriit, ac ipsam sæpè memoratam Canoniam in specialem sedis Apostolicæ tutelam (proprio diplomate in id clementissimè datò) clementissimè suscepit. Porro idem ipse Albertus Præpositus, tum Thomam S. R. E. Cardinalem & Archiepiscopum Mediolanensem, ut & post hunc etiam Augustissimum Romanorum Imperatorem Sigismundum Regem Boëmiæ ceu gratissimos hospites in domum seu Canoniam suam hospitio recepit; demûm idem ipse meritissimus Antistes temporum vicissitudini cedens ad Religiosam quietem sese composuit ac Præsulatu suo sub annum 1423. spontanea resignatione derelicto in diem usque mortis suæ privatus vixit.

XXV. Georgius II. electus anno 1423. vir communi omnium judicio pluribus titulis dignissimus, eò maximè quòd coram Synodo Constantiensi ante dicta citatus an invitatus personaliter comparere pertinaciter detrectans gravem Patrum indignationem incurrit, eximiis tamen Ludovici Aquileiensis Patriarchæ favoribus brevî fuit reconciliatus. Quapropter unanimi Regularium Canonici Ordinis Prælatorum Austriæ voto de gremio suo Leopoldino eruditissimum quendam alium ablegavit Colomannum Knappium in Decretis Magistrum, qui singulas conciliorum orationes & acta manu propria in unum conscripsit volumen pretiosum. Cæterùm ipse Georgius Præpositus inter mortales ampliùs comparere desiit tumulo illatus anno 1442. die 30. Septembris.

XXVI. Simon I. de Turre cognominatus nobilis ac virtutibus in omni conversatione sua electus anno 1442. fuisse laudatur, qui anno 1450. feriâ quinta ante festum Assumptionis B. V. Mariæ die 13. Augusti primum lapidem fundamentis alterius turris ad Divum Stephanum Viennæ ex latere Curiæ seu Aulæ Episcopalis solemni ritu immersit. Basilicæ Cathedralis primus Author fertur Henricus Primus Austriæ Dux Divi Leopoldi Filius ad annum 1157; quam in præsentem magnificentiam erexit Albertus secundus cognomento *sapiens* seu *contractus* dictus, & Albertus Episcopus anno 1340. Dominicâ in Albis Divi Stephani Proto-Martyris honoribus dedicavit. Turritæ molis ex adverso sitæ posuit fundamenta Rudolphus quartus, qui primus Archi-Principem se scripsit circa annum 1362. ideò cognomentum *Ingeniosi* est fortitus, sed ad suum non perduxit fastigium, Albertus autem Quartus *Mirabilia Mundi* vocatus eminentissimam ac Superbissimam Machinam regiis sumptibus per artificem Georgium Hauser perfecit, operique stupendo desidera-

ſideratiſſimam impoſuit coronidem, ſed vel maximè ſummam gloriæ memoriam laudiſque immortalitatem eſt promeritus, eò quòd in Cathedrali hac Superûm Regiâ primum cultui omnium Sanctorum, nunc verò ſancti Proto-Martyris honoribus dicata nobiliſſimam inſtituerit Præpoſituram, ac viginti quatuor fundaverit Canonicos, quibus coccinei coloris togas talares cum aureâ cruce pectorali gratioſiſſimo privilegio tunc deſignavit. Fornices Baſilicæ omnes & gradus cochlificos abſolvit, ibidémque ſuam & Fratrum Principum ſepulturas ſtrui ordinavit. Memoratam verò Præpoſituram Fridericus quartus inclytiſſimus Palladis cultor cognomento *Pacificus* in Epiſcopatum cum adiacentibus Paræciis Cæſarea munificentia permutavit, uti in præſens ſacri Romani Principatus titulo gloriatur, atque inter hæc glorioſa geſta Simon Præpoſitus ſupradictus leni mortis dormitione ſeſe Prælaturæ ſubducens in fata declinavit anno 1451. die 30. Auguſti.

XXVII. Simon II. electus anno 1451. qui quanta ſapientiæ rerumque gerendarum dexteritate polluerit vel inde patet, quòd à Ladislao poſthumo Alberti ſecundi Imperatoris Filio Hungariæ ac Boëmiæ Rege Archi Duce Auſtriæ anno 1453. ſplendidiſſimo famulantium & Equitatus apparatu ad ſacram ſedem Pontificiam in primarium Legationis Oratorem fuerit denominatus, nec non aliis quoque legationibus Archi-Ducatus Auſtriaci nomine ad Fridericum IV. in Hungariæ Regem tunc deligendum ac Salisburgum ad Hierarcham Metropolitanum fuerit perfunctus. Exinde poſt annos 14. Simon Præſul iſte Glorioſus de communi Patriæ ſalute plusquam optimè meritus, laborumque ſudore madidus ſolitariam ſpirans ſanitatem Præpoſituræ ſuæ ceſſit Infulis anno 1465. die 16. Aprilis.

XXVIII. Joannes electus anno 1465. Hujus ſub optatiſſimo regimine ad Inſtantiam Friderici Quarti Romanorum Imperatoris, Mathiæ Corſini Hungariæ Regis, Maximiliani Archi-Ducis, nec non Inclytiſſimorum Hungariæ, Boëmiæ, & Auſtriæ ſtatuum Divus Leopoldus piiſſimus Marchio & Canoniæ Clauſtro-Neoburgenſis Fundator anno 1484. die 6. Januarii ab Innocentio Papa VIII. Sanctorum Confeſſorum Catalogo fuit adſcriptus, quorum dictorum Magnatum mandatariam Legationem ad Curiam Romanam ſuſcepit Thomas Liſtius meritiſſimus id temporis Canoniæ Leopoldinæ Decanus, & alter cum illo Marquardus Pryſacher J. V. Doctor Sacræ Cæſ. Majeſtatis Conſiliarius. Ipſe verò Joannes, Præpoſitus demum in Domino requievit anno 1485. die 27. Junii Innumera Divi Marchionis ſunt prodigia, quæ ad ejus tumulum eo ſæculo ſunt patrata, quibus Deus ſancti Principis ſanctitatem voluit teſtatam, claudi namque, cæci, ſurdi, muti, aliisque infirmitatibus preſſi integræ ſunt reſtituti ſanitati, quod mirum amplius; mortui ad ejus invocationem non pauci ad vitam ſunt reſuſcitati.

XXIX. Jacobus I. electus anno 1485. Hujus ob ſingulariſſimas doctrinæ, ſapientiæ, prudentiæ ac devotionis dotes Imperatores duo videlicet Fridericus IV. & Maximilianus I. tanta Præſulem iſtum Jacobum proſecuti ſunt veneratione & gratiis, ut non modo Proto-Capellani Aulico-Cæſarei, ſed & intimi Conſiliarii titulo eum decorarint; ejuſdem quoque perdurante Regimine & quidem ſub annum 1506. die 15. Februarii ſacra Leopoldi oſſa in præſentiarum Maximiliani Primi Cæſaris Maximi (qui in Archi-Ducali Paludamento & diademate roſtrato redimitus feſtiviſſimo faſtu cum univerſis Aulæ Proceribus comparuit) aſſiſtentibus Leonardo Archi-Epiſcopo Salisburgenſi, Wigulæo Epiſcopo Patavienſi, & Mathæo S. R. E. Cardinali & Epiſcopo Gurcenſi aliisque plurimis Eccleſiæ Prælatis in tumbam argenteam repoſita ſolemniſſima Proceſſione ſunt tranſlata, publicoque cultui in Eccleſiam ſunt expoſita & venerationi. Cæterum ſpiritualia Canoniæ hujus privilegia Sixtus Papa Quartus, & Julius ſecundus, temporalia verò Albertus Archi-Dux, nec non Sigismundus, Fridericus IV. & Maximilianus I. ambo Cæſares confirmarunt, Concilia quoque Conſtantienſe & Baſileenſe quosvis bonorum Canoniæ hujus invaſores & turbatores anathemate percuſſerunt. Idem poſthac ipſe Jacobus Præpoſitus multa laude promeritus terreſtrem mortalitatem exutus in fata declinavit anno 1509. die 12. Auguſti.

XXX. Georgius III. Cognomento Hausmanſteter, electus anno 1509. Vir fuit experientiæ œconomicæ ſtudioſiſſimus Paterfamilias, vigilantiſſimus ovium ſuarum paſtor, Jurium Canoniæ ſuæ propugnator acerrimus, qui fundorum ac diſtrictuum circum circa longè patentium volumina propria propriis manibus ſtudioſiſſimè concinnavit, & quod amplius eſt in ſolemni Illuſtriſſimorum Statuum Provinciæ Diæta Auguſtam Vindelicorum & Spiram ad generalia Imperii comitia fuit applicatus, atque inibi intimus Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius dehinc eſſe & talis permanere declaratus excelſum Auſtriæ Inferioris regimen cum ſuis ſibi adjunctis expeditiorem in ordinem diſpoſuit. Inclytorum quoque Statuum Deputatus anno 1514. Oenipontum ad Cæſaream Majeſta-

tem in difficillimis Provinciæ causis missus felicissima expeditione remeavit. Sæpius in negotiis Imperatoriis supremi momenti à Statibus Provinciæ ad Ferdinandum I. Archi-Ducem Neostadium, Græcium, Oenipontum, Norinbergam ad Comitia Imperii, dein ad diætam Provincialem Linzium, & Cremhsium est deputatus, ubi primum novæ Ecclesiæ lapidem fundamentis imposuit. In Canonia sua Cameram fundorum ac redituum meliorem in ordinem direxit, armamentarium ob metuendum belli Turcici periculum in certiorem Collegii sui defensionem armis instruxit. anno 1529. propter insperatam Solimanni in Austriam irruptionem & obsidionem Viennensem cum Canonicis suis & sacro Ecclesiæ Thesauro pernix Passavium fugam arripuit, hostibus Uienna rejectis devastatam Uirginis Thaumaturgæ Hiezinganæ Ecclesiam præ cæteris Dominiis ad unam omnibus hostiliter incineratis pro posse restauravit. Ita & hic gloriosus Antistes anno 1537. fortunæ dolendam adeo expertus est varietatem; turris enim major cum Campanis & ipsa Canonia terrifico nimirum fulminis ictu magna ex parte conflagravit. Unde de Patria & Canonia sua optimè meritus, curisque tam publicis, quàm privatis consumptus & consummatus, in senectute admodum provecta Religiosam anhelans quietem, famosissimus Austriæ Minister fidelissimus Cæsarum Consiliarius in Domino terris est defunctus anno 1541. die 3. Decembris.

XXXI. Wolffgangus electus anno 1541. Idem quandoque in absentia Prædecessoris sui adhuc in officio Decani constitutus, & rerum gerendarum Vicarius adeò fideliter ad Cæsaris jussa boni viri officiis est perfunctus, ut communi omnium suffragio ad Infulas Religiosæ Prælaturæ sit elevatus, inter alia, quæ pro bono publico præclarè gessit, in certissimum Collegii sui præsidium tormenta bellica comparavit; tum ob continuas hæresis Lutheranæ perniciosas Reipublicæ Religiosæ luctas gravissimam Prælaturæ sarcinam fastidiens omnem sui muneris & officii dignitatem otii spiritualis cupidus ultrò despexit & abdicavit, siquidem id ævi hæretica pravitas in universis penè Germaniæ provinciis, uti & in Archi Ducatu Austriæ ad subversionem Religionis Orthodoxæ terribiliter adeò est grassata, falsissimisque sedem Romanam dogmatibus impugnavit, deplorandus certè tunc erat Ecclesiæ Status.

XXXII. Christophorus I. Superstite etiamnum Wolffgango eloquentissimus Verbi Divini præco Præsul est electus, qui ea lege & conditione in Præpositali confirmatus est dignitate, ut simul Prælati ac Orthodoxi Pastoris obeat munia & Apostolicis prædicationibus plebem Christianam in fide Romana & antiquo Ecclesiæ obsequio confirmet simul & conservet, devixit demum anno sui regiminis sexto, Christi verò anno 1558. die 17. Aprilis.

XXXIII. Petrus II. electus anno 1558. ob truculentum universæ Patriæ statum de tota administratione sua Posteritati parùm notus dehinc actis publicis non nisi folio nigro inscriptus solo notatur tempore obitus sui qui fuit anno Christi 1562.

XXXIV. Leopoldus electus anno 1563. toto tempore regiminis sui nullum non movit lapidem, omnemque navavit operam de communi ovium suarum salute solicitus omninò Pastor & vigil attentissimus, ne fœdissimum Religionis monstrum videlicet Lutheranismus in adspectantibus Canoniæ Claustro-Neoburgensis ditionibus ultrà prosperaret. Diætæ Viennensis contra metuendas Turcarum irruptiones, & Catholicæ Religionis illibatè conservandæ pro communi Patriæ salute conceptæ simul ac statutæ perquàm strenuus fuit Cooperator. Interim, quod malum ampliùs augescit, perdurante luctuosissimo totius Patriæ statu Domus Præposituræ Leopoldinæ casuali incendio tota quanta miserrimè periit, qua eadem pro posse reædificata inferioris Austriæ Archi-Ducalis Camera ad Collegium istud Leopoldinum vel ad tempus fuit translata, & Leopoldus Præsul optimus morte interveniente in longinquam alterius sæculi regionem translatus abiit anno 1577. die 13. Aprilis.

XXXV. Casparus Christiani Cathedralis Ecclesiæ Viennensis Canonicus & Decanus SS. Theologiæ Baccalaureus de speciali mandato Gregorii Papæ XIII. vacanti sedi Leopoldinæ impositus anno 1577. atque communibus suffragantium votis gratanter acceptus Basilicam suam Mariano-Leopoldinam pretiosa admodùm exornavit suppellectili & paramentis in opus ministerii divini necessariis, oppidò pretiosis, tum quod amplius est piis Christianæ Religionis operibus constanter æquè ac largiter intentus captivis miseris & egenis propriis ipse manibus tum Claustro-Neoburgi, tum Viennæ copiosissimas elargitus est eleemosynas sanè quoad vixit Pater pauperum Amantissimus demùm complorantibus bonis omnibus tumulo illatus anno 1584. die 13. Jan.

XXXVI.

XXXVI. Balthasar Polzmannus electus anno 1584. qui quantorum meritorum Apollo fuerit, inde maximè commendatur, quòd Lutheranæ Impietati oppositus Achilles opere ac sermone potens hæreticorum persecutus fuerit pertinaciam simul, ac Judæorum seu de gente non sancta perversorum omnimodè detestandam extinxerit perfidiam, fuit autem is olim Metropolitanæ Ecclesiæ Strigoniensis in Hungaria, & Tyrnaviæ famosa ejusdem Regni Civitate Concionator omninò celeberrimus, qui de salute suâ certior fieri cupidissimus, Leopoldino cœtui præoptavit aggregari; ubi postmodùm pro meritis simul in Parochum & Decanum constitutus fuit, iterùm anno 1580. ad Abbatiam Jeruntinam est vocatus, bienniò verò post unanimi voto & applausu in Caspari Christiani successorem delectus. Novitius Prælatus, novus Antistes laborioso studio vitam, miracula & officium Divi Leopoldi Fundatoris latino idiomate concinnavit, turrímque sectô lapide erigere cœpit. Plagas Neoburgensi Canoniæ proprias ac circum circà positas salutaribus documentis, Apostolico zelo, & virtutum exemplis præservavit, veluti Sydus sapientiæ ac pietatis luce Austriæ universæ ad fidei constantiam præluxit juxtâ tamen aliis serviendo seipsum consumpsit, cui omnes Viennæ status & Ecclesiastici ordines tristi ac lugubri solemnitate extra portas (uti vocant) Scotenses usque piè parentârunt.

XXXVII. Thomas Rueff Cathedralis Ecclesiæ Viennensis Canonicus Juris Utriusque Doctor, ejusdémque geminæ facultatis in universitate Viennensi Professor, pro tempore Styræ Archi-Ducali ac Provinciali in Superiori Austriâ Civitate Parochus de speciali mandato Augustissimi Cæsaris pro debellandâ pravitate hæreticâ constitutus utpotè Concionator celeberrimus post quadriennem Præpositurae Leopoldinæ vacantiam (electionem de se factam interim bis humiliter renuente Andrea Weisenstain SS. Theologiæ ac J. U. Doctore, nec non in antedicta Academia Professore publico, & totis 14. annis Decano &c.) liberâ omnium voce postulatus, atque instantissimè devotis precibus in id adductus & sacrum Religionis Canonico-Augustinianæ habitum indutus, & mox etiam in Regularem Canoniæ Leopoldinæ Præpositum constitutus, tum Viennæ, tum Hiezingæ apud Beatissimam Virginem Thaumaturgam, tum etiam alibi locorum haud sine communi omnium etiam Principum applausu Verbum Dei imprætermissè prædicavit; & jam in Prælatura sua authoritativè confirmatus ob præsentissimum belli Bozkajani periculum Divi Leopoldi reliquias cum reliquo Sacrarii Claustro-Neoburgici thesauro ad comprovinciale castrum & Monasterium Melliciense transportavit, ibique in præstiti assyli thesseram Casparo Abbati sancti Fundatoris pollicem unum sacro dono concessit. Posthæc ob præstantissimas scientiæ, & congenitæ facundiæ dotes Rudolpho II. Romanorum Imperatori, Mathiæ Hungariæ Regi, ac Leopoldo Archi-Duci, Episcopo Passaviensi à secretis consiliis annis compluribus Inclytorum Statuum Austriæ fuit deputatus, à quibus iisdem anno 1608. Posonium ad delectos Hungariæ Status in causâ Religionis missus est Caduceator, miro ingenii acumine die decima Novembris in debita Regi obsequia Regni Magnates reduxit. Postquam concreditæ Canoniæ immortali nominis & gestorum laude annis 12. præfuisset, cum immenso Civitatis Viennensis non modò, sed & universæ Austriæ luctu inclytissimus verbi divini Præco, sapientissimus Legislator, fidei orthodoxæ Seminator, & pacis publicæ Restitutor ex hac mortali in beatam transiit æternitatem anno 1612. die 10. Novembris.

XXXVIII. Andreas Mosmüller vir desideriorum sanctorum justè vocatus, electus fuit ad finem anni 1612. qui priùs officio Decanus ob ingentem Religionis fervorem, excellentem morum ac vitæ integritatem in Præpositum ad S. Dorotheam Viennæ est vocatus, deinde ad Insulam à morte Thomæ Excellentissimi Venerabilis memoriæ Prælati toto jam quadriennio vacantem fuit revocatus, de posthac ergò non solùm ad S. Dorotheam, sed & in Leopoldina ista Canonia absolutissimi œconomi partes explevit, paternóque & æquo utrobique Concanonicos suos est complexus affectu; complures in Dominiis & suo Collegio erigere cœpit fabricas. Chorum, Vestiarium, novámque Præposituram construxit in informandâ Cellariorum œconomiâ summè industrius, cujus laboribus abundè satis per omnia benedixit Dominus, Thesaurum Ecclesiasticum ad Reliquias S. Leopoldi Fundatoris adspectantem pretiosissimis ex auro & argento vasis artefactis, calicibus, & novâ Beatæ Agnetis statuâ multiplicavit, & ita pariter reliquam ejusdem Canoniæ suæ suppellectilem; arcem, villas, molendina, aliáque domicilia, possessiones, prædia, & Jura partim multo ære comparavit, partim restauravit, & ædificavit: Dormitorium in formam elegantiorem distinxit, affabréque decoravit. Statuum Inferioris Austriæ Deputatus longè dignissimus congenitâ humanitate simul ac civilitate Magnatum, civiúmque omnium amorem sibi conciliavit, apud cunctos summa exitit in veneratione, cujus præclara gesta protensum merentur præconiorum Ele[illegible]

cùm & œconomicæ induſtriæ religioſiſſimam junxerit pietatem, ſed eâdem demùm, quâ orbi natus eſt, die Divo Andreæ ſacrâ Apoſtolicus devixit Andreas anno 1629. die 30. Novembris.

Accedit obſervatione æternáque memoriâ dignum, quod in tanti Eccleſiæ Hierarchæ reverentiam in ipſis Præpoſituræ auſpiciis Sereniſſimus Archi-Dux Auſtriæ *Maximilianus Tertius* Rudolphi Secundi & Mathiæ Imperatorum germanus frater Maximiliani Secundi itidem Imperatoris filius electus Poloniæ Rex Provinciarum anterioris (uti vocatur) Auſtriæ Gubernator, nec non inclytiſſimi Ordinis Teutonici ſupremus Magiſter ſuæ erga *Divum Leopoldum* ardentiſſimæ devotionis immortale teſtimonium Orbi Auſtriaco palàm exhibuerit, & argenteam Sancti Marchionis Statuam arte fuſoriâ elegantiſſimam, & Diadema ſeu Archi - Ducalem coronâ roſtratâ redimitum cum arcuatâ cruce ſplendidiſſimum ac inæſtimabilem pileum in Baſilicâ Clauſtro - Neoburgenſi præfati Fundatoris honoribus conſecraverit, eo privilegio, quo Præpoſiti univerſi cum ſuis Canonicis memorati Diadematis mirâ arte fabrefacti perpetuorum aſſervatorum titulo gaudere valeant, omnéſque Archi Domûs Auſtriæ poſteri & Succeſſores in Provinciæ Homagio ſolemni, Majeſtate eodem inaugurentur. Cautum prætereà, ut prædictum Diadema ad inaugurationem ex inclyta Canoniâ Leopoldinâ aulico apparatu & pretioſiſſimo equitatu feſtivè inſtructo cum Quardiâ militari in Archi- Ducali holoſerico rubrô auróque fimbriatô geſtatoriô à mulis abductum poſt inaugurationem ultrà trigeſimum diem ſub excommunicationis fulmine ex conſtitutione Pauli quinti ab inaugurato Archi- Duce nequeat detineri, & quoties feſtiva homagii ſolemnia celebrantur, eâ, quâ per duos Illuſtriſſimos Ablegatos Aulicos aſportetur reverentiâ comitante in Archi-Ducali curru ſemper Reverendiſſimo loci Præpoſito, eâdem reductum in omnium Canonicorum coronâ ipſiuſmet Præpoſiti manibus cum aulicâ gratiarum actoriâ oratione utrinque perſolutâ debeat reſtitui, & ad gazophylacium reportari. Atque de eodem hoc Archi-Ducali ſeu potiùs Regio diademate ampliùs notandum eſt, quòd iſtud à Ducalibus omninò differat pileis, quòd nimirùm iſti coronâ quadam rotundâ non erectâ aut aſcendente, ſed circumquaque altitudine æquali in modum zonæ circumdati ſint abſque ullo ulteriori ornatu. Illud verò coronæ roſtratæ ſeu pinnitæ priſcis Romanis uſitatæ ſpeciem aliquatenùs refert, cujus uſum ſpeciali indulto Cæſareo-Auguſtæ Domui indulſit etiamnum in petitione feudorum ſive homagio præmiſſa Fridericus Ænobarbus anno 1166. circulum aureum ad ſimilitudinem coronæ Imperii Romani adjecit Henricus Rex Romanorum Friderici Primi Imperatoris Filius anno 1228. in hæc verba locutus, *ut ſui Principatûs pileo noſtræ Regalis coronæ diadema ſolemniter ferre poſſint &c.* atque hanc coronarum differentiam ſive circuli aut ſphæræ transverſæ majeſtatem ſedulò obſervârunt Sueciæ Proceres, cùm Sereniſſimam Principem Chriſtinam Sueciæ Reginam ac Carolum Guſtavum Generalem militiæ Ductorem hæreditarium Sueciæ Principem declararent impoſitâ nimirum coronâ circulo ut vocant clauſâ, Principi Palatino autem altera ſupernè tectâ. Crucem in ſuperficie ſphæræ adjecit Fridericus Imperator Secundus ſub his formalibus: *Crucem noſtri diadematis ſuo principali pileo ſufferendam &c.* quas prærogativas uti & alia Principum Auſtriacorum privilegia roboravit Auguſtiſſimus Cæſar Carolus V. æterna digniſſimus memoria aurea Bulla deſuper confecta: Item Cruci huic raræ magnitudinis ac coæqualis ubique coloris Saphyrus magno æſtimabilis pretio, auro dextrè incluſus ad augendum diadematis ornatum fortè ſuppoſitus, anſam Imperatoribus Suecicis familiam Auſtriacam ſua ætate hujuſmodi honoribus cumulandi præbebant ingentia gentis in univerſum Imperium ac Suecicam Domum merita, ac cognati ſanguinis propenſio ad invicem, ex eodem enim materno ambæ derivabantur ſanguine à Beata Agnete deſcendentes, quæ raro fortunæ exemplo fuit Imperatoris filia, Soror, avia; fuiſſet etiam Conjux, ſi maritus ejus Leopoldus uti reliquorum Sacri Romani Imperii Principum, ita Moguntini Præſulis in actu electionis favens habuiſſet votum, nec ei Conradum ejuſdem Agnetis ex primo matrimonio Filium dictus Archi-Epiſcopus præpoſuiſſet quamvis reluctantem ac invitum.

XXXIX. Bernardus Waiz electus anno 1629. Prædeceſſoris eximius in cunctis æmulus Baſilicam ſuam fornicibus opere cruſtatorio elegantiſſimè reparavit, Dormitorio veteri novum adjecit ædificium ingentémque molem turritam ex quadris ſectíſque lapidibus ad coronidem fermè ſublimavit, totum ejuſdem Baſilicæ pavimentum puriſſimo marmore ſtravit; organum in plagis Auſtriacis facilè maximum miro compendio conſtruxit, Arcem Azenbruggianam ad delicias erexit, bonis, prædiis, ſylvetis, ovilibus, paſcuis, ac dominiis ſuam cumulavit Canoniam. Lites quàm plurimas ſuo S. Leopoldi Collegio à Civitate Viennenſi, tum etiam Clauſtro-Neoburgenſi, imò etiam à diverſis Provinciæ Magnatibus, hinc indè ſuſcitatas plerumque felici ſententiâ terminavit;

porrò

porrò Jurium suorum firmissimum sese murum violatoribus quibuscunque constanter opposuit dignus propterea, quem & ipsa Sacra Cæsarea Majestas in arduis scripto consuleret. Visitator insuper sui Ordinis per universam Austriam constitutus mira audiit dexteritatis & prudentiæ sua testimonia; univoco namque calculo ab universis non tam Visitatoris quàm Illustratoris præconiô est decoratus. Podagræ tandem doloribus nimiùm quantùm attritus vitâ temporali defecit perfectissimus sanè ac zelosissimus Elias Canoniæ suæ, quam de posthac Successori possidendam reliquit anno 1643. die 7. Aprilis.

XL. Rudolphus II. Müller cognomine dictus electus anno 1643. seu communi ac univoco suffragantium calculo ad vacantem Prælaturæ sedem promotus continuò funestissimis Bellonæ Suecicæ motibus, & abominandis Hungarorum tumultibus agitatus, populares subditos suos ab hostili devastatione summâ viligantiâ studuit servare liberos & immunes, artificiosissimam conflavit campanam, quæ post Viennenses in Austriâ & pondere, & soni suavitate omnibus hucusque insonat celeberrima, quam ipse Rudolphus Præpositus anno 1644. die 12. May perenni cultui Divi Leopoldi Fundatoris consecravit cum inscriptione sequenti

Ad sacra compello, tempestatésque repello,
Horas vulgo sonó, tumuloque cadavera pono.

Eodem prætacto anno dum truculentissimus Mars Aquilonaris triduano molimine Castrum Crucisteinense & mox oppidum Corneoburgense in maximum partium transdanubianarum ruinæ discrimen efferámque Canoniæ Leopoldinæ direptionem expugnavit, inde tamen istud quarto post anno Ferdinandi III. Cæsaris & quidem longâ cruentáque obsidione reparatum, Rudolphus Præclarissimus Antistes iste prælegit (ob innumera malorum fastidia) mundo valedicere, quàm miseram suorum conditionem & afflictionem intueri. Decessit ergo Rudolphus Præpositus iste anno 1648. 13. Septembr.

XLI. Bernardus II. Schmiding cognominatus electus anno 1648. in accessu Prælaturæ suæ non tam propriam, quàm totius Austriæ faciem ex omni parte deprehendit tristem nimis & infaustam non aliô, quàm anno eodem 1648. adventante pacis nuntio spei remedio componendam, à primordio Præpositturæ corruptelas, & Suecorum menda cœpit emendare, in ædificandis granariis thesaurum paravit, in Cellariis construendis multiplicavit; dolia ligneis passim cincta in aureum fœnus ferreis conpressit vinculis, novámque inde reperit aurifodinam successu adeò secundo, ut nec fœnerator scrutatus sit substantiam ejus; unde Canoniæ huic totus etiam post cineres aureus Prælatus Pacturam Hagiopolitanam, jura montium, plurésque decimas parato ære Canoniæ juribus acquisivit. In primo Præpositturæ lustro dolorifera Podagræ sensit incommoda: ita tamen cum Alberto sapiente Austriæ Duce sellæ gestatoriæ affixus, ut sicut Austria universa per suum Albertum contractum, ita Canonia Leopoldina ista per continuam Bernardi vigilantiam plurima contraxerit commoda, quam Dominiis, bonis, censibus, Juribus, villis, subditis, vinetis, domiciliis, vini ac montium reditibus ditavit, & auxit. Meritò aureus dictus, quia ferrea omninò in aurea mutavit sæcula, licèt variantem causarum & litium expertus sit fortunam, in cunctis tamen gestis plerúmque secundus, solâ valetudine minùs secundus, nil suo optavit studio magis; quàm Canoniam suam ad ultimum usque orbis occasum reddere secundam, ut & omnes Præpositturæ Successores vivant secundi; cujus laborum, & vitæ finis fuit repentinus, ut in alterâ virtutum, Justitiæ, Innocentiæ, pietatis, vigilantiæ cultúsque divini merito vivat æternum magis secundus. Cæterum idem ipse Bernardus Præpositus in censum Libitinæ proreptus terris disparuit anno 1675. die 11. Novembris.

XLII. Adamus Scharrer gente Austriacus Patria Crembsianus Ernesti Theophili Præpositi Subensis in inferiori Bavaria Germanus Frater anno 1675. die 19. Decembris ex meritissimo Canoniæ Claustro-Neoburgicæ Decano in dignissimum ejusdem Præpositum electus, & sic talis anno proximè sequenti die 19. Januarii Dominicâ tertiâ post Epiphaniam ritu solemni de more mitrâ Præsulari redimitus ob res nunquam non benè gestas Canoniæ hujus Cælum ultrà quinquennium constantissimè portavit idem ipse non solùm Atlas, sed & Boanerges quoque meritò dicendus, mox enim post aditum Prælaturæ quasi alter David restaurandæ simul ac innovandæ Canoniæ suæ lapides numeravit, sed & insuper contagionis lue videlicet anno 1679. prohibitus, Salomon templi Divini esse nequivit: Mausolæum tamen in sanctissimi Fundatoris Leopoldi honorem, & adeò percelebre construxit gazophylacium, eáque magnificentiâ, ut hodiedum coronati Imperatorum, Regum, ac Archi-Ducum utriúsque sexûs vertices venerabundi eò

se flexis etiam genibus inclinent, anno verò 1681. die 13. Febr. summæ spei Archi-Ducalis Canonia hæc amisit Religiosissimum Antistitem, qui non modò in omnium ore ac amore, sed & ab Imperatoris aulâ nunquam non peculiari habitus est in veneratione.

XLIII. Sebastianus Mayr, natione Bojus ab Eberswangen electus annô 1681. fuisse commendatur toto regiminis sui tempore verus Nathanaël Israelita, in quo dolus non fuit, Religionis fervore, prudentiæ dono, devotionis omnigenæque virtutis gratiâ, Hospitalitatis verò apprimè cultor, miserorum, exulúmque fautor, cunctis facilè Mæcenatibus Superior, Novitiorum quondam Magister zelotes, inde Sub-Decanus animarum magis quàm saluti corporum intentus, dein officiô Decanus nunquam non viva Thomæ Nostri Kempensis in suorum timore & amore Idæa, qui anno 1687. fœdifragam belli Turcici irruptionem non sine apertissimo vitæ & totius Thesauri, ipsarúmque Divi Leopoldi Exuviarum discrimine expertus Passavium usque fugitivam Imperatoris aulam contrario flumine secutus, obvios quosque pariter sibi familiares recipiens, rebus in Austriæ interitum adeò angustis navalem fugam arripiens ad S. Nicolaum, & ipse exul cum suis à Reverendissimo ac Amplissimo Domino Eustachio ibidem id temporis Præposito tenerrimô affectu receptus est, tum rebus Ottomannicæ Tyrannidis infectis ac Viennensi obsidione pridie Idus Septembris soluta secundo Danubio in propria renavigans, Dominia Canoniæ suæ tam cis, quàm transdanubiana complura in cineres acta, & unà cum Ecclesiis funditùs vastata & eversa territoriales subditos bonorum copiâ prorsus exutos, miserandámque ad inopiam redactos Concanonicos suos in varias regiones & loca dispersos, tandem remanentes nullo superstite solatio conspexit, quàm quod Canoniam suam Tartarorum, Turcarúmque insultibus petitam sed invictam repererit, quorum efferatissimorum constans usque modò traditur assertio, sese sereno etiam meridie, die nominatim autem Divæ Annæ Matris Genitricis Dei festo S. Leopoldum suo cum vexillo in aëre non semel tremebundos conspexisse, horrendámque semper in vallorum Viennensium expugnatione stragem perpessos esse. Porrò non propriæ sed suorum saluti consulens benignissimus ipse Præsul Sebastianus Ecclesias, domos, Dominia reficiens, subditos operâ & consiliô, quemque suæ restituit ditioni, ratus, opem divinam sibi nunquam defuturam, Deum interim diu noctúque abstinendo, & sustinendo pro temporali æque ac æternâ suorum salute devotissimè sollicitans tandem anno 1686. die 21. Julii virium languore Paralysi tactus, ac demùm etiam totus hydropicus factus, eáque fario plusquàm fortiter obmersus, annos natus 57. Religiosissimo fine diem vitæ simul ac humanæ clausit miseriæ anno 1686. die 21. Julii.

XLIV. Christophorus Mathæi è natione Franconica Neostadianus ad Salam anno 1686. die 16. Octobris electus, atque hujus prima post cultum divinum cura fuit boni Pastoris, melioris Patrisfamilias, optimi verò œconomi munia ex amussi adimplere; olim ut alendæ matri unius ex Con-Canonicis beneficio foret, ultrò beneficium Parochiæ Enzersdorffensis & ex animo lubens cessit, Vicarii denuò, dein Parochi in sanctâ (uti vocant) civitate functiones annis plus 16. maximo zelo constanter obiens eam anno 1679. & proximè sequenti dirissimâ tunc lue grassante ovium suarum curam gerens animam quotidianæ eíque apertissimæ toties morti ac martyrio charitatis exposuit, quoties publica Sacramentorum administratione quietis nescius ovium saluti prospexit. Inde vel invitus ad Decanatûs officium Con-Canonicorum suffragiis vocatus, toto officii sui quinquennio eâ discretionis trutinâ, vigilantiæ zelo, & prudentiæ normâ ad clavum sedit, ut singulis admirationi esset ac exemplo, tandémque febri licèt correptus in condignam laborum suorum mercedem ad Præpositalem elevatus tiaram communi & vivo omnium oraculo Spiritu principali confirmatus asserebatur. Insignium enim suorum naturam vivus adeò vivè expressit, ut simul serpentis sagacitatem, ac optimi Pastoris industriam non sibi sed suis laborando, arando, & metendo numeris omnibus absolutè sit imitatus. Tertio Præposituræ anno gravissimum debitorum pondus redimens subditis universis Patrem sese benevolum magis quàm Dominum exhibuit, cujus laboribus ac immensæ pietati Deus ter Optimus Maximus omnium bonorum largitor adeò benedixit, ut pagos, dominia, arces &c. aut meliorem in formam instauraverit, aut innovârit, ut Canoniam suam bonis accedentibus, pluribúsque aliis adauxerit proventibus; adeò intenso Dei Deiparæque gloriæ ac honoris promovendi ardebat studio, ut nullis parcens sumptibus Canoniæ Basilicam (uti & sæpè memoratam Thaumaturgæ Virginis Hiezinganæ) opere crustatorio & vermiculato cum picturis circumquaque absolutis, aris octo ex selecto marmore cum imaginibus artificiosissimè pictis, nec non Cathedrâ ex Porphyretici coloris lapide, & operculo ex cupro inauratô non minùs sumptuosè, quàm opiparè admodùm fabrefactis, atque in devotionem oculos animósque rapientibus, obsistente licèt semper infirmâ valetudine affaberrimè exornarit. Tantis interim pro

Deo

Deo & Ecclesia, pro aris & facis ausu Religioso cœptis laude immortali exantlandis ac tandem consummandis laboribus industriè nimis intentus apoplexiæ impetu bis obrutus, maloque in pejus semper vergenti manuum, pedum, linguæque usu penè destitutus lugentem merito induit Tobiam, *quale gaudium mihi?* Non quòd lumen cæli non viderit, sed quòd annos propè 13. in sella solum gestatoria oneri oportuerit invigilare Pastorali Lazari ad instar pedis utriusque doloribus ac carne diffluente licèt exulceratus, Jobi tamen patientis æquanimem tolerantiam hilari semper fronte æmulatus. Priusquam verò laborum finis cederet in funus, coadjutoriam desiderans manum, sed eventuris forsan inde periculis ultro cedens an. 1706. duodecimo calendas Martias honorem oneris, aut potius onus honoris precabundus resignavit; qui quatuor ferme annorum lustris annis nimirum 19 mensibus quatuor diebus 2. sibi consummatus alienæ servivit propriæ victurus animæ saluti, linguæ licèt, membrorumque languore penitus exhaustus, primum tamen in Ecclesia orationis & bonorum operum Spiritum cum S. Martino Turonensium Episcopo minimè relaxabat, tandemque morbo ipsa senectute decimo sexto Calendas Januarii prætacti lacrymas inter & oscula Patris, pietatem mœrentium Filiorum omnibus Sacramentorum mysteriis devotissimè susceptis sibi præsentissimus, de Deo, de Ecclesia sua meritissimam animam uti compunctissimè ita placatissimè suo reddidit Creatori & Salvatori ætatis anno ferè 71.

XLV. Jacobus II. Cini cognominatus Leytopontanus SS. Theologiæ Doctor, Proto-Notarius ac Pœnitentiarius Apostolicus, olim Studiosorum Canonicorum director, mox Thesaurarius Thaumaturgæ Deiparæ Hiezinganæ tum emeritus in Canonia sua Camerarius Prælatus suis titulis ac elogiis sanè dignissimus, ac in paucis famosissimus, vix namque in tanta dignitate sua confirmatus Præsulque salutatus actu factuque usque inaccessa moliri cœpit, totamque Canoniæ suæ machinam funditus diruere, nobilioremque in formam restituere ducta jamjam fundamentorum delineatione decrevit. Ejus virtuti invia nulla via, quem jure optimo versatissimum imò centoculatum rerum gerendarum Argum, quin potius providum præteritorum, futurorumque Janum, & in cineribus suis revereri dignum, qui duobus solùm cunctorum in se se oculos rapuit, & admirationem, cujus illustres animi dotes, affatus suavitatem, vitæ integritatem, doctrinæ sublimitatem, maturamque in consiliis sapientiam Inclyti Provinciæ Status suspicientes uno in unum ferebantur affectu, ac in rationum Deputatum adsciscentes Collegium suum ad altiora abs dubio honorum culmina, Eundemmet elevare verbum & sensus in unum est, febri Lethali in Scyrum sensim degenerante tanti nominis & insignis Hierarcha dolorifera nimis morte in optatissimo ætatis vitæque flore Con-Canonicorum suorum abreptus est oculis, septimo Idus Decembris anno superius memorato 1706. postquam regimine mensium novem, dierum sex in brevi complevit tempora multa, cujus ad tumulum manes coram amariùs nemo, quàm resignans senecio deploravit, quem & ipse undecima die in æternitatem comitatus, uterque in tumulo sepulchrali lapide & præsenti insignitus Epitaphio

Christophorus Pater hic: ibi filius ecce Jacobus,
Quos pia vota dabant, pessima fata negant.
Filius ad mortem Patris prævenerat annos,
Cini nunc cinis est: sed Pater ipse cinis.

XLVI. Ernestus ex Horn notissimo Austriæ inferioris Oppido prognatus electus anno 1707. tertio Calendas Februarii SS. Theologiæ Doctor, Orbis & Urbis famosissimus Universitatis Viennensis Rector Magnificus; idem jam olim ad administratorias Ecclesiæ Hiezinganæ vices subrogatus mox in Leopoldinæ Celeberrimæ Canoniæ suæ Decanum, ac demum jam de eodem munere suo strenuè promeritus ad Præpositalem Infulam est sublevatus, quem etsi hominem ante mortem in vivis laudare à sacro Præcone prohibeamur, ne fortè vel verecundiæ rubore suffundamus, vel vanæ adulationis fuco confundamus, patulæ tamen veritatis licebunt elogia, primùm igitur in Præpositum confirmatus non potestatis dominantis sed Charitatis servientis palam dedit testimonium, dum nempe singulari paternâque largitate vestes Canonicas decentiorem in habitum cum Rochetis permutari clementer indulsit, firmissimus ceteroquin Canoniæ suæ Propugnator, disciplinæ Canonicæ tam regularissimus (ut ita dicamus) quàm observantissimus Promotor, industriæ œconomicæ Vigilantissimus prosecutor, Ecclesiæ suæ subselliis exornator, arcium reparator, vitâ comite facturus omnia, litteratorum æque Mæcenas ac Patronus promptissimus, in consiliis deliberando ac festinando lentè Augustus, in probitatis devotionisque ergo superos virtute verior Traseus, in humilitatis profunditate, in vitæ, morumque innocentiâ, in procurandorum ad vitam necessariorum providentia verissimus ut alter Josephus Ægyptius. Nolumus autem hunc in præsenti virtutum suarum

reddere ſerie commendatiorem, ac Orbi ſpectabiliorem eum, qui coram Imperatoria Majeſtate cæteris aulæ Cæſareæ Miniſtris, ac ſpectatiſſima Procerum frequentia tantis ſeſe probavit ac Ipſummet commendavit argumentis, una etenim ut Decanus, ut Præpoſitus altera vice in Archi-Ducali inauguratione Joſephi Primi, & Auguſtiſſimi Caroli VI. in præſens imperantis Cæſaris, & Hiſpaniarum Monarchæ in Ablegatorum Comitem adſcitus eſt & Oratorem, ut meritiſſimè ei perpetui Archi-Ducalis Diadematis aſſervatoris titulus arrogetur, digniſſimus proinde, qui in Prædeceſſoris honoris apicem, & ab Inclytiſſimis Auſtriæ inferioris Statibus in Rationum Deputatum conſilio, opere, & ſermone nulli non parem ſubvectus ſit ſublimiora Dignitatum faſtigia proximè (faxit cœlum!) conſcenſurus.

CLAUSTRO-NEOBURGENSE aliud quoddam fæminini tamen ſexus Ordinis Canonico-Auguſtiniani Regulare contubernium in uno eodemque oppido conſtitutum, haud dubiè fundatione ſua priori illi Virorum Canonicorum Aſceterio coætaneum; dum 1413. qualiscunque demum contagioſa lues Religioſas Domicellas inibi commorantes ſimul ad unam omnes ſuſtulit, Burcardus Venerabilis memoriæ pro tempore Præſul Clauſtro-Neoburgi meritiſſimus totam hujuscemodi clauſtralem manſionem anno 1451. S. Joanni Capiſtrano Thaumaturgo illi Ordinis Minorum S. Franciſci, ac Religioſiſſimis Affeclis illius, iſthac fortuito delatis, in omnimodam poſſeſſionem ceſſit, penes quos hodiedum locus pacifice conſiſtit.

S. CLEMENTIS intitulata in Ducatu Lotharingiæ Regularis Abbatia quædam vel olim conſtitit, de cujus ſtatu ex Pennotto noſtro in Hiſtor. generali lib. 2. cap. 39. num. 6. conſtat. Ubi ſic habetur: *In Epiſcopatu Metenſi ſunt duæ Ampliſſimæ Abbatiæ, quarum altera dicitur S. Clementis extra muros civitatis Metenſis &c.* Certiora de Abbatia hac S. Clementis communico ex litteris Rev. ac Ampliſ. DD. Auguſtini Calmet Abbatis Nancejani, nunc Senonenſis, nuperrimè in talem electi, Ord. S. Benedict. qui propria manu hæc nuper ad me continuatorem Libri hujus gratioſè reſcripſit: *cæterum de Abbatia S. Clementis extra muros Metenſes audio, & in quodam* libro Hiſtorico de Epiſcopis Metenſibus *lego, quòd olim ibi habitaverint* Canonici Regulares, uti nunc Benedictini. *Eccleſia primò fuit ædificata* à S. Clemente diſcipulo S. Petri *Apoſt. & primò Epiſcopo Metenſe*, qui fuit Patruus S. Clementis *conſulis & Mart.* item magnus Patruus S. Clementis I. Papæ *& Mart. ac S. Flaviæ* Domitillæ V. & Mart. poſtmodum ad hanc *Eccleſiam erecta fuit Abbatia* ſub nomine S. Felicis, nunc S. Clementis *ob ſacrum ejuſdem Corpus* 1090. illuc translatum, aliam quoque Eccleſiam extruxit *S. Patiens IV. Epiſcopus* Metenſis in honorem S. Joannis Evangeliſtæ *ſui quondam Magiſtri*, illucque ordinavit Eccleſiaſticos laudem *Dei decantantes*, qui deinde ſucceſſu temporis Regulam S. Auguſtini *amplexi ſunt ſed in Regulari* diſciplina tandem notabiliter *deficientes* 939. *extruſi*, eorumque in locum Benedictini intruſi ſunt; anno 1049. etiam Abbatia S. Clementis *per ſpecialem Bullam* Pontificiam S. Leonis IX. ſub Adalberone Epiſcopo *Metenſe*, *dictique* S. Pontificis olim Præceptore Abbatia S. Arnulphi (*ſic vocatur* hodie memorata Eccleſia S. Joannis Evangeliſtæ) *totaliter fuit incorporata*, ita ut omnes Abbatiæ S. Clementis Domus, agri, *Sylvæ, ac Vineæ cum cæteris* quibuscunque appendiciis in Dominium *Abbatis ad S. Arnulphum* ceſſerint, ejuſdemque Bullæ virtute *inhibitum fuerit: ne ullus ibi* in poſterum Paſtoralem Virgam quoquo modo portare *præſumat, nihilominus* (uti mihi dicitur) *hodie eſt iterum Abbatia abſoluta* à Benedictinis occupata.

COLONIENSE, Collegium Metropolitanum, ſeu primaria & antiquiſſima Eccleſia iſta à S. Materno B. Petri Principis Apoſtolorum diſcipulo fundationem ſuam accepiſſe gloriatur. Eam verò non ſolum Regularem extitiſſe, ſed usque ad Philippum (qui ab anno 1181. usque ad 1211. præfuit) quadrageſimum quintum Regularia Inſtituta tenuiſſe tradit Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 44. ubi ponit Reſcriptum Eccleſiæ Colonienſis ad Canonicos Trajectenſes; cum etenim Eccleſia Trajectenſis, aut rectius Ultrajectenſis in fervore regularis diſciplinæ relaxaretur, & Godebaldus Epiſcopus cœpiſſet primam præbendam Decani Majoris Eccleſiæ conferre quibusdam renitentibus, Eccleſia Colonienſis, quam ſuper ea re conſuluerunt, in hunc modum reſpondit: Dominis ac Fratribus noſtris Sanctæ Trajectenſis Eccleſiæ tam majoribus, quàm minoribus Salutem &c. Ut Præpoſitura, Decania, vel aliqua Clauſtralis Obedientia pro beneficio habeatur, vel beneficium nominetur, Eccleſiæ noſtræ conſuetudo non patitur; addit ibidem Molanus, unum valdè notandum eſſe, cùm ſub Philippo quadrageſimo quarto diſciplina regularis in Eccleſia Colonienſi relaxaretur, Canonicos nonnullos, qui in regulari obſervantia manere voluerunt, Nuſſienſe Monaſterium condidiſſe, quod ſi verum eſt, convincitur, falſum eſſe, quod idem Molanus ſuprà non uno in loco in gratiam Canonicorum ſæcularium ſcribit, ſenſus verborum antiquorum Conciliorum diſtorquens Canonicos, Cathedralium licet regulariter & communiter viventes non tamen verè fuiſſe regulares cum voto-

votorum emissione, quod præterquam ex multis capitibus falsissimum esse constat, ex hoc enim evidenter convincitur, quia Colonienses nonnulli ut propositum vitæ regularis aliis deficientibus tenerent, monasterium Nussiense erexerunt, qui in Nussiensi vivebant verè regulares cum votorum emissione. Cæterum de vera Coloniensium Canonicorum regularitate, omnimoda proprietatis abdicatione, de obedientia claustrali, de claustro, & officinis, de regula S. Augustini à Coloniensibus servata & aliis id genus testatur Wazo Leodiensis Præpositus in quadam Epistola, quam refert Mauburnus in Venatorio lib. 2. part. 5. cap. 30. num. 1. cujus tenorem dabimus infra in Historia Metropolitanæ Ecclesiæ Leodiensis, ubi etiam alia plura refert, & Innocentius tertius in capit: *postulasti &c.* de clerico excommunicato, scribens Decano & Priori Coloniensi. Hactenus Pennottus noster in Historia tripart. lib. 2. cap. 39. num. 3. quibus pro uberiori dictorum confirmatione isthic ex Chronico anonymi rerum Belgicarum fol. 191. oportunè sunt addenda etiam sequentia. *Reparatio ordinis Regularium per universam Latinitatem quemadmodum supra tempore Gregorii septimi hujus nominis Papæ habetur, incæpit anno salutis* 1074. *sæculares verò Canonici majori pro parte ad regularis vitæ tramitem, unde exciderunt, non sunt reversi, ex quibus Canonici majoris Ecclesiæ Coloniensis (Domini videlicet in summo) extiterunt; nam antea sub Abbate Deo regulariter militaverunt.* Item etiam Franciscus à S. Augustino Macedo ordinis minorum S. Francisci de stricta observantia SS. Theologiæ Lector bis Jubilatus; qui in suis Divi Thomæ Aquinatis & Joannis Scoti collationibus anno 1680. Patavii in fol. editis collat. 9. different. 2. cap. 5. fol. 629. ad finem de antiqua regularitate Metropolitanæ Ecclesiæ hujus Coloniensis ita disserit: *S. Maternus S. Petri discipulus in Germaniam Canonicorum Regularium ordinem, cùm eò prædicandi Evangelii causa missus esset, invexit insigniori Ecclesia Coloniensi erecta, in qua Cœlestis illa disciplina cœpit, & incorrupta duravit annos plurimos, & nonnulla sæcula.* Series Episcoporum descripta extat usque ad Philippum quadragesimum; tam tenax ille ejus, quod semel accepit, Instituti fuit teste Joanne Molano gravi Authore lib. 5. de Canonicis cap. 14. Viro interdum minùs Regularibus æquo; ita ut ei sit, cùm laudat, fidentiùs credendum.

COLONIENSE communiter *S. Cuniberti* nuncupatum, seu sanctissimo Hierarchæ isti Coloniensi (cujus memoria in fastis Ecclesiæ recolitur die 12. Novembris) dicatum Canonicorum olim quidem (prout certa & constans habet traditio) Regularium, hodie verò sæcularium Collegium, de cujus origine anonymus author Magni Chronici rerum Belgicarum fol. 21. prostat in hæc verba legendus: *Extruxit* S. Cunibertus ante dictus) *Ecclesiam extra muros Urbis Coloniensis in honorem S. Clementis Martyris, Conventúmque Fratrum ibidem instituit, & possessionibus magnificè dotavit, quæ tandem mutato nomine S. Cuniberti Ecclesia nuncupatur, in qua ipse requiescit honorificè tumulatus miraculis clarus, cujus vita, virtutes, & gesta in Legenda ipsius pleniùs continentur.*

COLONIENSE, aliud tale seu Sæcularium itidem hodie Canonicorum Collegium S. Mariæ ad gradus intitulatum, de quo loco ante citato fol. 21. sic habetur: *Sanno hujus nominis secundus Coloniensis Archi-Episcopus transtulit Monasterium, quod ipse construxerat in honorem S. Dei Genitricis Mariæ dictum ad Gradus.* Est autem antiquatum istud Regularium Canonicorum Monasterium unum ex illis, de quo Pennottus noster in Hist. tripart. lib. 2. cap. 39. num. 3. ita fatur. *Puto autem, non solùm Cathedralem, sed etiam alias Ecclesias Colonienses olim Regulares fuisse, & rescriptum illud supra memoratum non de consuetudine solius Cathedralis, sed totius Ecclesiæ Coloniensis intelligendum esse.*

COLONIENSIS alia quædam atque ista cum adjuncto (quod est Canonicorum Regularium de Congregatione Windesimensi) Cænobio suo SS. Corporis Christi intitulata secundum ortum & progressum suum à Tolemanno Bredenbachio in sacris collationibus lib. 1. cap. 8. recensetur, in hæc verba legenda: Notum sit omnibus Christi fidelibus hunc venerabilem locum cum devotione visitaturis, quod veridico relatu didicimus, & Patres nostri annuntiaverunt nobis. Deum, qui mirabilis prædicatur in Sanctis suis, mirabiliorem se exhibuisse circa Venerabilis loci sanctissimi Corporis & Sanguinis Sacramentum de ore cujusdam hominis lecto decumbentis, qui communicaverat, in specie Infantuli dignoscitur fuisse effusum, & super eandem foveam erectum fuisse oratorium parvum & magno populorum concursu frequentatum, secundùm quod Scriptura & pictura elegans cum variis signis & miraculis, videlicet submersis, resuscitatis, de arreptis hominibus, de Infantibus periclitatis in partu, de matribus eorum & aliis multis admirandis; item de S. terra foveæ, ubi fertur Venerabile Sacramentum versum in substantiam infirmi febricitantes super eadem terra portantes frequenter sanati sunt & indies sanantur. Quamobrem sæpius huc confluunt peregrini eandem terram in exigua quantitate cum devotione deportantes, & sanitate percepta cum gratiarum actione hoc in loco Venerabile corpus

Christi devotissimè venerantes, & laudes Deo reddentes; sed tandem circa annum Domini Millesimum quadringentesimum tricesimum prædictus locus templo est ornatus, & privilegiis suis per compensum Devoti Viri Domini Henrici Aselli pro tunc Pastoris Ecclesiæ Parochialis S. Christophori dotatus. Tandem opera Reverendissimi Domini Theodori de Moens Archi-Episcopi Coloniensis promotus fuit idem locus ad cultiorem statum, atque in Monasterium Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini divina comitante gratia erectus; quo tempore primus Præfectus vel Prior hujus Monasterii Venerabilis scientia & moribus Frater Thomas Van der Wall professus in Monasterio fontis B. Mariæ Virginis propè Arnhaim civitatem Geldricam hìc sepultus in choro nostro, qui laudabiliter Monasterio præfuit ultra triginta annos usque ad 1490. cujus etiam temporibus hoc Monasterium notanter in ædificiis eleemosynariis & redditibus auctum est; quo defuncto eodem anno alius successit in locum ejus Prior hujus Monasterii filius civitatis Coloniensis; qui considerans prædictam foveam quodammodo per oblivionem & incuriam obrui, & quasi penitus deleri, & illam omni honore dignissimam memoriam Venerabilis Corporis Christi, unde& hoc Monasterium suum nomen suscepit, minori devotione coli & negligi, devotionis Zelo inflammatus Dei adjutorio & Christi fidelium subsidio eandem foveam renovavit, & titulo decoro solemniter erexit in luminibus, & indulgentiis, prout in propatulo claret. Idem considerans, Ecclesiam istam uti novellam paucissimis aut nullis reliquiis exornatam, ad quas colligendas semper devotionem singularem habuit, solicitudine studiosa & instantia maxima & laboriosa diversas notabiles reliquias de Societate Sanctarum undecim mille Virginum, & Societate SS. Gereonis Maurorum & aliorum Martyrum in Conventu seu Monasterio S. Cæciliæ Virginis, cui tum temporis præfuit Commissarius, solicitavit, impetravit, & multo conamine aurata argentata luculenter decoravit, quæ pia devotione tempore peregrinationis ac festivitatum temporibus à peregrinis & incolis civitatis visitantur; quo etiam tempore cum omni reverentia ea ostenduntur populis, & peregrinis. Idem cogitans & mente pertractans, ut hæc prædicta mirabilia rei memoriam habeant, anno Domini 1497. inchoavit solemnem fraternitatem Venerabilis Corporis Christi & septem gaudiorum Beatæ Mariæ Virginis, in quorum etiam septem gaudiorum temporalium & æternalium Beatissimæ Mariæ spectabilem erexit Capellam anno Domini 1503. de oblationibus peregrinorum tempore peregrinationis ac cum subsidio aliorum amicorum, atque Christi fidelium Fratrum, & Sororum ejusdem fraternitatis; quæ fraternitas in eadem capella perpetuis temporibus frequentatur, continuatur, & firmatur cum reditibus, Missis, vigiliis, orationibus, & aliis multis bonis operibus. Ut autem Christi fideles devotius ac confidentius ad hanc fraternitatem confluant, & se inscribi faciant, idem impetravit magno labore & studio à Reverendissimo Domino Raymundo Cardinale Presbytero, qui eodem tempore Coloniæ causam Legationis egit, certas indulgentias pro omnibus & singulis in eadem fraternitate Venerabilis Corporis Christi atque septem gaudiorum Beatæ Virginis in scriptis, quæ patent in solemni Bulla desuper confecta & sigillata, ac cum tempore numerosius patebunt ex Curia Romana impetranda. Anno autem 1433. de speciali licentia Domini Joannis de Rynere Præpositi & Archi-Diaconi Ecclesiæ ad sanctum Gereonem Coloniæ (comprobante simul loci Ordinario seu Metropolitano Celsissimo ac Reverendissimo Principe ac Domino Domino Theodorico Archi-Episcopo & Electore Coloniensi) Venerabilis Pater Joannes de Puteo Prior Monasterii Novesiani sæpè dictam Ecclesiam SS. Corporis Christi cum ædibus juxta positis in Monasterium coordinatis eidem Regulari Canoniæ Novesianæ authoritate ordinaria incorporatum & unitum suscepit, eidemque novo Cœnobio Coloniensi in Rectorem dedit Venerabilem Patrem Abelem de Sera, quem ab Archi-Episcopo antè dicto in hunc finem confirmari petiit & obtinuit. Erat autem hic Pater Vir satis industrius, Zelosus, sedulus, & tam sanguine, quàm pietate præstantissimus, qui munus & onus sibi impositum neutiquam detrectans, ut eandem spartam dignius exornaret, & novam Sponsam suam cultiorem & celebriorem redderet, Dominique vineam, ut diligens cultor & agricola quàm optimè plantaret, & excoleret, per annos plurimos strenuè laborando desudavit, & ad mortem usque se totum impendit, quamdiu autem rebus benè præfuerit, aut quibusnam operibus inclytus refulserit, haud amplius licet inquirere. Ejus à morte successerunt Præsides quinque, isti tamen solo titulo *Rectoris Monasterii* gaudentes, quorum unus nempè Venerabilis Dominus Henricus Krener nominatus in Chronico Monasterii Montis S. Agnetis à Venerabili Patre Thoma Kempensi cap. 26. fol. 187. his verbis commendatur. *Eodem* (1451.) *anno assumpta est* (in Congregationem Windesimensem) *Domus Regularium in Colonia, quæ vocatur ad corpus Christi sita in Parochia Corporis Christi. Missus est etiam tum temporis post Conceptionem Beatæ Virginis frater noster Henricus Krener cum fratre Gerardo Clivia Rectore ejusdem Domus ad standum ibidem pro superiore*, quo tempore circiter Coloniæ præsidere cœperunt Priores, qui numero & ordine suo recensentur fuisse sequentes, & talis eorum novissimè missus est ad me.

Sylla-

SYLLABUS.

I. Thomas Van der Wall Canonicus Regularis & Professus Monasterii ad fontes B. Mariæ Virginis propè oppidum Arnheim è quinto ejusdem Domûs hujus Coloniensis Rectore anno circiter 1450. in primum Priorem constitutus; qui eandem Domum suam seu Monasterium pluribus ædificiis illustravit, & in eam, quam hodiè præsefert, formam largissimo Benefactorum subsidio nitidissimam atque commodissimam apparavit, quique idem Venerabilis Dominus Prior juxtà simul probatissimis vitæ moribus ac scientia oppidò nobilitatus annis 30. officio æquè dignissimè ac laudatissimè fuit perfunctus.

II. Wilhelmus Wychtrich Monasterii hujus Professus Ecclesiam sibi creditam quamplurimis de Societate SS. Gereonis M. M. Reliquiis multifariam comparatis pretiosissimè ditavit, atque anno 1503. in honorem B. Virginis Mariæ sub titulo septem gaudiorum insigne quoddam in eâ sacellum ædificari fecit usque ad hæc tempora nostra per totam festi Visitationis Octavam magnâ populi devotione ac pari concursantium multitudine frequentari solitum; quibus & aliis pluribus præclarè gestis Venerab. Dominus Wilhelmus Prior iste ab officio suo spontè destitit, & ad reliquum vitæ sub claustrali obedientiâ privatus vixit.

III. Joannes Cœsfeldt, in Monasterio Bodecensi ad S. Meinulphum Professus idem in tabulis *Vir industrius* appellatus, eidem Canoniæ suæ universim per omnia sua benè præfuisse laudatus, demum placida morte in Domino sopitus emigravit anno 1518.

IV. Joannes II. de Lechenich, taliter appellari solitus de proprio gremio assumptus, delatum sibi Religiosæ Superioritatis officium anno vix uno retinuit; siquidem sub annum 1519. mense Septembri ad manus capituli seu Religiosorum Concanonicorum suorum de gremio ultrò resignavit, & relicta Colonia Agrippina ad nobile Parthenium Regularium Canonissarum in *Capellen* appellatum discessit, ubi in spiritualibus Rectorem illarum egit, atque pientissimo hujuscemodi officio demùm immortuus vitæ terrestris curriculum absolvit, inibi mortuus & sepultus anno 1535.

V. Henricus I. Swalemund, ex ante dicta Canonia Bodecensi ad claustrale regimen desumptus Gubernator strenuus in annalibus Domesticis admodum commendatus, claustrales Collegii hujus fasces demum ultro dimisit, ad priorem Religiosæ mansionis suæ locum digressus anno 1527. inde in 14tum nativæ suæ Bodecensis Canoniæ capitulariter electus fuit, prout pluribus videre est infra in Catalogo Priorum Bodecensium.

VI. Gerardus I. Reyt, cognominatus Patria ac Religiosa Professione sua Coloniensis, cogente infirma corporis valetudine coarctatus, tum senecta ætate fractus Prioratum ampliùs administrare humiliter recusavit anno 1531.

VII. Joannes III. Hurlgen cognominatus unanimi suffragantium calculo delectus in suburbano Monasterio Novesiano vivere desiit anno 1539. die 8. Augusti.

VIII. Henricus II. Flaisskelre, patria Coloniensis ex proprio gremio ad Claustralem Prælaturam regendam assumptus, sacrorum studiorum inter suos fautor & Promotor egregius novam & insignem apparavit Bibliothecam nobilissimis libris & authoribus instructam, in qua præter alios magni pretii libros apprimè charos etiam tota Biblia æquè novum ac vetus testamentum complexa, eaque à Venerabili Thoma Kempensi manu propria elegantissimè conscripta; Cæterum Religiosissimus Antistes iste quàm pluribus laboribus attritus omnis consummationis laborum suorum finem simul ac vitæ temporalis exitum ægro corpore sustinuit anno Christi 1552.

IX. Adolphus natione Westphalus, Patria Osnabruggensis, Religiosa verò Professione sua Coloniensis sexennio vices sui Prioratus extulit, idem demùm mortuis accensus anno 1558.

X. Conradus Bensbürgh, itidem Religiosæ Canoniæ Coloniensis Domesticus ultrà septennium munus & onus Regularis Prioratus exantlavit, mortali corpore solutus anno 1571. die 30. Martii.

XI. Chrysanthus Eppelmann, patria Kempensis, Canonica verò Professione Coloniensis usque ad annum 1573. titulo ac potestate Prioris Claustralis inclaruit, talis tamen plus ultra perseverare constantissimè detrectavit, & dehinc eodem anno spontanea resignatione successori locum dedit prætacto anno mense 9. Maji.

XII. Adamus Kayſerswerth, Sacræ Domus hujus Colonienſis filius Canonicè promotus anno 1573. die 2. Julii exacto vitæ temporalis, vitæ ſimul ac Prælaturæ regimen exuit deſuper evocatus anno 1577.

XIII. Chryſanthus Eppelmann ſecunda jam vice Prior deſignatus in ſuſcepto hujuscemodi Superioritatis munere ampliùs ſupervixit usque ad annum 1585.

XIV. Wernerus Titianus in Canonia ſuburbana propè Noveſium profeſſus, id temporis verò apud Marbacenſes Superioris Alſatiæ Prioris officio defunctus, ad regimen Prioratus Colonienſis evocatur anno 1585. idem poſt aliquot annos jam curà & laboribus exhauſtus ampliùs præeſſe renuit, & ad nativam Religioſæ Profeſſionis ſuæ Domum ſe recepit.

XV. Wilhelmus II. Bedsburg Cognomine dictus, & is quoque Colonienſis Profeſſus, atque Canoniæ hujus pro tempore Oeconomus anno 1587. die 9. Decembris in Priorem electus, demùm ob plurimas adminiſtrationis ſuſceptæ curas ac moleſtiſſimas (quibus legaliter obviare haud poterat) difficultates lubens officio ſuo ceſſit anno 1590.

XVI. Marcellus Lentius antè Monaſterii ſimul ac totius Capituli ſeu Congregationis Windeſimenſis Prior generalis, ſævitia Batavorum Calviniſtarum Clauſtrali manſione ſua contumelioſè dejectus, tum miſer exulare coactus, atque apud Religioſos Confratres ſuos Aſcetas Colonienſes hoſpitatus, ſed & iisdem cum plena poteſtate præeſſe nominatus, cùm totam Congregationem ſuam annis circiter triginta plusquàm laudabiliter rexiſſet, plenus meritis in Domino requievit anno 1603. tertio calendas Decembris. Fuit ultimus Prior ſimul ac primariæ Domûs Windeſimenſis, quâ (ſæviente hæreſi) miſerrimè devaſtata ipſe Marcellus cum Religioſis filiis ac ſubditis ſuis exul abire coactus, Coloniam Agrippinam petiit, ubi in ſæpè nominata iſta Sacratiſſimi Corporis Chriſti Eccleſia prædicto die & anno poſt mortem ſuam ante ſummum Altare loculum accepit. Mors ejus toti Congregationi, ſed vel maximè Colonienſi huic aſceterio triſtis admodùm & luctuoſa fuit, ſiquidem omnes maximè verò Regulares Domicelli Colonienſes ceu Patronum & Magiſtrum ſuum conſtantiſſimè venerati, ceu alterum Fundatorem ſuum amabant, & plura beneficia ab eo multifariam ſibi collata gratis animis recogitabant.

XVII. Wilhelmus III. Buſcius apud Batavos in primaria Canonia Windeſimenſi Profeſſus, inde tamen cum aliis Religioſis Concanonicis ſuis ſæviente hæreſi deturbatus, dum apud Religioſos Confratres ſuos œconomi vices laudabiliter explevit (concorditer in id invitatus) etiam Prælaturæ faſces indeptus fuit, morte tamen naturali quaſi propiùs imminente oneri ſimul ac honori lubens ceſſit anno 1605. octavo Idus Novembris.

XVIII. Henricus III. Brandt cognominatus, Profeſſus Colonienſis poſt annos quatuor ſpontanea reſignatione magis ſubeſſe quàm ampliùs præeſſe ſibi delegit anno 1609.

XIX. Albertus Luyckenius pariter de proprio gremio canonicè promotus ob innatam quaſi rerum gerendarum peritiam & admirandam (quibus nobiliter inclaruit) virtutum excellentiam anno 1610 Prior Generalis Congregationis Windeſimenſis electus poſt annos hujusmodi officio ceſſante etiam Prioratum Colonienſem dimiſit, Vicarius Generalis in Spiritualibus Diœceſis Oſnabruggenſis in Weſtphalia factus.

XX. Michael Caerſius, natione Belga Patria Antwerpienſis in notiſſimo illo æque ac ſanctiſſimo Rubeæ vallis Monaſterio profeſſus, anno 1623. ſexto nonas Julii ſuæ Congregationis Windeſimenſis per Superiorem Germaniam Commiſſarius ac demùm etiam anno 1637. duodecimo calendas Auguſti in Supremum Magiſtrum ſeu Priorem (uti vocant) Generalem cum plenitudine poteſtatis ſeligitur, qui tandem anno Regiminis ſeu Prioratus ſui Colonienſis anno decimo octavo, Generalatus verò quarto plenè transacto anno 1641. pridiè Calendas Octobris terreſtrem mortalitatem exuit ad ſuperos digreſſus.

XXI. Michael II. Glaſer cognomine dictus, SS. Theologiæ Doctor, ejusdemque facultatis in alma univerſitate Colonienſi Profeſſor celeberrimus Sacræ Domus hujus Colonienſis filius & alumnus ex Imperiali Urbe Spirenſi progenitus, Jacobum Glaſer Imperialis Cameræ Spirenſis Aſſeſſorem Patrem habuit, qui idem mox ab adoleſcentia ſua ſuave jugum clauſtralis obedientiæ portare ſuſcepit, ſiquidem jam anno ætatis decimo ſeptimo parentibus licèt invitis, ſacram Religionem Canonico-Auguſtinianam profeſſus, ob felicem memoriam nec non acumen ingenii planè ſtupendum usque adeò in ſtudiis profecit, ut Doctoralem SS. Theologiæ lauream adhuc ætate Juvenis pro merito fuerit aſſecutus, idem ipſe proin ſumma cum laude Doctorem Angelicum S. Thomam publicè explicare & interpretari ſolitus, dum indies ſingularis prudentiæ atque admirandæ doctrinæ ſuæ ſpecimina palàm edidit, primùm Prior Monaſterii Merxeshuſani in Haſſia deſignatus fuit, poſt mortem verò Michaelis Caerſii ſupradicti, venerabilis memoriæ Prioris Colonienſis in oculos ſuffragantium incurrit, ut eo digniorem haud judicarint, qui Prædeceſſori illi Prior idem ac Succeſſor ſufficeretur. Verùm digniſſimus Antiſtes iſte communi omnium

luctu-

luctu præmatura morte fuit abreptus, ætatis suæ anno 38. Prioratus sui septimo, Christi verò 1648.

XXII. Hermannus Nivenheim Professus Coloniensis intra proximum mensem à morte Prædecessoris sui in Priorem electus quinquennio talis exstitit, quo usque demùm in fata declinavit anno 1653. decimo calendas Maji.

XXIII. Henricus IV. Caersius Michaëlis supra memorati Venerabilis memoriæ Prioris ex fratre Nepos, electus anno 1653. die 16. Junii usque ad annum 1666. præfuit, quo decurrente etiam Prior iste terris defecit quinto calendas Decembris.

XXIV. Petrus Mockel sub finem anni prædicti quarto calendas Januarii delectus, nec integrum quidem annum antestitit, sed præter omnem spem in fauces mortis incidit anno 1667. tertio nonas octob.

XXV. Gerardus II. Westerbergh cognominatus primùm 13. mensibus sub Rectoris solùm titulo suprema Monasterii cura perfunctus, tum anno 1668. quarto nonas Novembris cum plenitudine omnis potestatis canonica electione in Priorem constitutus, post annos septem, non tam seniô, quàm variis corporis infirmitatibus exhaustus, in generali Capitulo anno 1677. quinto Idus Maji in Monasterio S. Leonardi apud Leodium coacto, fasces regiminis deponere petiit & obtinuit.

XXVI. Casparus Van der Meer natione Belga Tungrensis in patria Canonia sua *Passionis Christi* cognominata professus, ejusdemque Cœnobii in temporalibus Procurator seu Oeconomus anno 1677. ætatis 34. duodecimo Calendas Junii delectus, dum ceu stella primæ magnitudinis constanter emicuit (Dominus ac Patronus mihi perquàm Gratiosus) ex congenita humilitate ampliùs præsidere respuens, ad nativam Canoniam suam remeavit, ibidem ampliùs sub claustrali obedientia usque ad mortem victurus.

XXVII. Joannes III. de Casteun Trajecti ad Mosam progenitus, priùs in spiritualibus Rector Nobilissimi Parthenonis Coloniensis in Nazareth nuncupati dignissimus, nescio quibus de causis Prioratum suum spontanea resignatione (de prævio assensu Curiæ Romanæ in id clementissimè indulto) lubens dimisit, & ad priorem Rectoratum suum Nazarethanum supradictum abiit.

XXVIII. Joannes IV. Frölich cognominatus ex œconomo Coloniensis Canoniæ SS. Corporis Christi anno 1690. tertio nonas Martii concordibus suffragantium votis electus laudabilissimè præfuit usque ad annum 1698. quo tandem fatis concessit.

XXIX. Henricus Bornheym 3. Septemb. anno 1698. legitima electione in Priorem assumptus, vix ultra biennium in regimine perduravit, & anno 1701. ad strictiora aspirans Seraphicum FF. Capucinorum Institutum in Italia suscepit.

XXX. Paulus Dahmen anno 1701. die 31. Maji unanimi Capitularium voce abeunti Henrico suffectus, Vir rara litteratura insignis & idcirco supremis tum Theologiæ tum SS. Canonum gradibus condecoratus, nobilissimum Inclytæ Congregationis Windesimensis commembrum, ejusdemque actualis Definitor, Visitator & Secretarius, nec non Sacri Ordinis Cellitarum Commissarius Generalis Authoritate Sedis Apostolicæ confirmatus.

CONFLUENTINUM,

Antiquissimum S. Castoris intitulatum Canonicorum Regularium collegium, istud tamen jam pridem omninò sæcularisatum, dum olim & à prima institutione sua Regulari observantia plurimum inclaruit, de quo Pennotus noster in Historia tripartita lib. 2. cap. 39. num. 3. sic legendum: *Confluentia locus est, ubi Mosella Rhenum influit, ibi loci Hetto, qui ex Abbate Monasterii cujusdam Mediolanensis factus fuerat Archiepiscopus Trevirensis anno* 1147. *à S. Materno in somnis admonitus fundavit Monasterium Canonicorum Regularium, in quod corpus S. Castoris de Cordona* (Diæcesis Trevirensis civitate Comprovinciali) *transferens collocavit. Sed Canonici S. Castoris ante plures annos vitam Regularem abjecerunt. Trithemius in historia Hirsaugiensi ann.* 847. *&* 917. *& ex illo Molanus Lib.* 1. *de Canonicis cap.* 14.

CONFLUENTINUM,

Jam pridem antiquatum, quod & ipsum tempore & authore non notato fundatum titulo S. Mariæ Magdalenæ pœnitentis claruit, ac propè Confluentias civitatem olim constitit Virorum Monasterium Congregationis Windesimensis Authore Venerab. P. Arnoldo Priore Bodecensi strenuè reformatum. Cæterà nobis vel invitis penitùs ignotum, utpotè sequentibus annis diuturno strepitu martiali omninò perditum & annihilatum.

CONFLUENTINUM,

Parthenium usque modò perstat, Sodalitium communiter S. Barbaræ Virginis & Martyris intitulatum, de qua nuper ex Diœcesi Trevirensi fidus Achates vel modicam sequentem ad nos transmisit relationem: *Consistit hoc S. Barbaræ Virginis & Martyris Domicilium Religiosum, etsi solùm tenue & modicum, sacris tamen Regulis Augustinianis devotissimum & addictissimum, degunt Canonicæ Moniales sub Ecclesiastica Jurisdictione Ordinarii seu Metropolitani Trevirensis, de cætero quoad primam Parthenii claustri hujus originem seu relationem de præsenti ad manus acquirere nondum potui &c.*

CONSTANTIENSE,

Collegium Cathedrale Provinciæ Moguntinæ intra muros Urbis Constantiensis ad lacum Podamicum in Superiori Suevia signanter temporibus S. Conradi Constantiensis Episcopi numero decimi quinti anno 976. relati, ut & S. Gebhardi in eadem cathedra Successoris (intermedio Gaminolpho) proximi anno 996. cælis asserti, sub communi vitæ disciplina regulari constitisse manifestè satis liquet ex antiquo Breviario Constantiensi, studio & opera Hugonis de Landenberg Cathedralis Ecclesiæ Constantiensis Canonici jam ante annos 200. typis edito; ubi in festo ejusdem S. Conradi Episcopi die 26. Novembris in lectione sexta hæc habentur. *Auget* (S. Conradus antedictus) *quoque majoris Ecclesiæ fratrum numerum spatiosum ex propriis, ac memoriale tradens in allodium, ne si militantes Deo graviùs paterentur, victus & vestitus dispendium, illud tanquam in deserto murmurantibus virus irreperet serpentinum, quod non nisi per Dominicæ Passionis fugatur intuitum:* hæc ibi. Ex quibus nota, quòd in antiquo Breviario dicantur *fratres*, qui in recentiori inaudiunt *Canonici* magno satis antiquæ & religiosæ Antiquitatis documento, at nomine usitato apud Canonicos illos, qui olim simul in claustro commorantes vitam communem observabant. Sed res clarior emicat in S. Gebhardo antedicto, qui (uti videre est in diplomate seu privilegio, quo is ipsemet bona sua præfatæ Cathedrali Ecclesiæ Constantiensi tradidit) expressa mentio fit *Monasterii Cathedralis & fratrum ibidem Deo servientium:* itemque Regulæ Canonicæ, juxta quam vivebant, testimonium perhibente Jacobo Manlio in Chron. Constantiensi fol. 546. ubi integrum illud diploma ponit in hæc verba legendum: *Noverint omnes tam præsentes quàm futuri, quòd ego Gebhardus Sanctæ Constantiensis Ecclesiæ frater indignus cogitem pro remedio animæ meæ, nec non Evangelica secutus mandata consensu Fratrum meorum & advocati mei Udalrici tam juris mei proprietatem quàm parentum successiones in locis Oberndorff, Huzlinbach, Philosinga, Lutheresdorff cum omnibus appendiciis, ad eadem loca pertinentibus, ædificiis, mancipiis, pascuis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, & cunctis ad eadem loca pertinentibus dignoscor habere, trado ad S. prædictæ Constantiensis Ecclesiæ Cœnobium fratribus Deo ibidem assiduè famulantibus, cui Vir summæ Religionis & doctrinæ Conradus Episcopus Regimine speciali præfectus esse videtur, eâ tamen conditione, ut ego eandem ad me recipiens proprietatem, vel alius ejusdem fraternitatis quemcunque voluere censum inde persolvat, singulis quibusque adhuc imposterum annis festivitate S. Patris nostri, ac Venerabilis Patris Gregorii prædictis fratribus, sicut Canonica monstrabit regula, sumat. Acta Constantiæ quarto Idus Martii præsente & consavente prædicto Advocato meo Udalrico, nec non & aliis testibus, quorum subscripta sunt nomina Eberhart, Lutfrid, Elerholt, Obrecht, Adebert, Merebot, Lutpret, Sigipret, Hadepret, Dietyer, Werns, Adilgot. &c.* Ita tenor recitati diplomatis, quod maximè facit contra Gabrielem Bucelinum, & Ægydium Rambeck binos sacræ familiæ Benedictinæ Chronographos, qui antiquum sæpè dictæ Cathedralis Constantiensis Ecclesiæ statum fuisse Monastico-Benedictinum adstruunt. Alius in rem nostrum habetur testis à partium studio prorsus immunis Henricus Murer Carthusianus in sua Helvetia sacra anno 1640. typis Lucernensibus Germanicè editâ, ubi is fol. 247. in præfatione vitæ sæpè nominati S. Conradi plures recenset vitæ Sanctissimi Episcopi hujus scriptores, atque hos inter etiam notissimum Encomiastem Benedictinum Arnoldum Wionem, de quo taliter pronuntiat: *Es irret sich der Author, indem er Ihne* (S Conradum) *einen Benedictiner machet, dann Er keiner gewesen.* Et in fine fol. 269. etiam in historia S. Gebhardi idem Carthusianus antè citatus Wionem falsa scripsisse redarguens taliter incusat: *doch irret Er* (Arnoldus Wion) *indem Er Ihne* (S. Gebhardum) *einen Benedictiner zu St. Gallen, oder in der Reichenau machet.* Accedit insuper, quod haud ita pridem ex relatione nobilis ac Clarissimi Viri Danielis Karrer Reverendissimi ac Illustrissimi Cathedralis Capituli Constantiensis pro tempore Syndici nobis palam ingenuè confessi habemus, scilicet sese plenissimam quidem memorati Constantiensis Capituli documentorum & Archivii habere notitiam, ac plures legisse ac relegisse Bullas circa S. Conradum & Gebhardum expeditas, ex nulla tamen illarum colligere potuisse, quòd vel alteruter Sanctorum Episcoporum illorum aliquando fuerit Monachus, multò minùs verum esse, quòd Cathedrale Capitulum Constantiense primis & antiquioribus illis sæculis fuerit Monasticum seu cucullatum.

CON-

CONSTANTIENSE,

Alterum tale, poſt Cathedrale tamen, quamvis paulò minùs ab illo minoratum, præ reliquis tamen omnibus Civitatis iſtius Collegiis ſacris facilè præcipuum, ſæcularium itidem Canonicorum Collegium cum adſpectante propria Eccleſia ſua Sancto Stephano Proto-Martyri ſacrum, tota veneranda antiquitate ſua admodum præſtat, dum nempè primam originem ſuam ſeu fundationem refert ad decurſum ſæculi noni, quando nimirùm Cathedralis Canonicus quidam in proprio fundo ſuo Salmonsach in Turgovia ſituato novam quandam Eccleſiam inædificari fecit Divo Nicolao Myrenſi Epiſcopo ſacram, quam tamen poſtmodùm idem fundator dum anno 831. ad officium & mitram Pontificalem promotus fuit, in ipſam Conſtantienſem Urbem ſuam recepit ad Eccleſiam ſuprà dicto Proto-Martyri dicatam, eique plures aliquot Regulares Canonicos (prout certa fide refert Jacobus Merck in ſuo Conſtant. Chronico fol. 24.) immiſit ſeu tranſtulit, inibi de poſthac in officio Clericali commanſuros; ubi tamen hodiedum & quidem jam à tempore, cujus memoria non extat, obſervantia Regularis penitùs exulat Præpoſito uno & Canonicis Capitularibus numero novem iſthìc inofficiatis. Cætera grata memoria hìc recolendum occurrit, qualiter primis Canonicæ fundationis hujus ſæculis inter Clericos Regulares inclytus iſthìc conſtiterit Urbi & Orbi notiſſimus ille Bertholdus Presbyter natione Suevus communiter *Conſtantienſis* appellari ſolitus, isque communiter pro tanto habitus, qui ſub Henrico Quarto circa annum 1054. plura conſcripſit opuſcula, itidem per nos ſuo loco recenſenda infrà.

CREUZLINGENSE,

Imperiale Collegium Diœceſis Conſtantienſis ad lacum Acronianum extra muros Conſtantienſes non tam gratiſſima ſituatione ſua jucundiſſimum, quàm ampliſſimis reditibus uberrimum, ſed & ſtructuris ſuis omnino novis verè Magnificentiſſimum, vetuſtiſſimæ Originis ſuæ primum fundatorem quem habuerit, non tam incuria fatîs Antiquitas, quàm deteſtanda malevolorum, qui ſacra penitùs abolere ſatagunt, perverſitas, etſi quidem haud manifeſtarit, certum tamen & authenticum primæ vetuſtatis arcanum nempe Henrici IV. diploma Cæſareum hodiedum à Creuzlingenſibus integerrimè ſervatum apertè prodit, S. Conradum anno 935. ad Inſulam Conſtantienſem promotum, primitùs hoc condidiſſe & genuinum fuiſſe Eccleſiæ hujus Creuzlinganæ fundatorem, & quidem ſtatim à ſuſcepto ſui Pontificatus officio; ſiquidem Anſelmus Comes de Calw anno reparatæ ſalutis 938. in ſuam Majorumque ſuorum ſalutem in Eccleſia montis *Wurmblingen* anniverſarium conſtituit, certis ſicuti prædiis *Abbati & Conventui Creuzlingenſi* (ut in authentico fundationis habetur) in rei confirmationem traditis, ita conditionibus planè mirandis ſimul adjectis, quæ pro libitu legendæ proſtant apud Cruſium in Annal: Sueviæ part. 3. lib. 2. cap. 17. ubi etiam Hiſtoriographus iſte addit, *Calwenſes Comites, quia potentes olim in his locis erant, magnam vim honorum ad Monaſterium Creuzlingenſe contulerunt &c.* Eſt autem memoratum *Wurmblingen* locus in notiſſimo Sueviæ Comitatu Hohenbergenſi, ad Nicrum flumen binas inter Rotenburgum, & Tubingam Wirtenbergicam hanc, illam verò (ditione ſua) Auſtriacam civitates gratiſſimè ſituatus, templum ibi exſtitit S. Remigio Epiſcopo Rhemenſi & Confeſſori ſacrum vertici montis impoſitum, uti miraculis celeberrimum, ſic & peregrinationibus piis, bello verò Suecico cum adiacentibus, quas inſignes admodum habuit, ædibus parochialibus non tam ſacrilegè direptum, quàm terribiliter exuſtum; inde tamen ſub annum 1646. è buſto ſuo ſumptibus Creuzlinganis reſuſcitatum, magnum denuò Convenarum numerum attraxit, trahitque hodiè, ſolitis præſertim verò Veneris diebus, quibus per anni circulum hebdomadatim recurrentibus loci hujus religio (urgente Zelo Canonicorum Creuzlingenſium animarum curam iſthìc exercentium) mirificè propagatur, dum nempe ſexcenti plùs minùs peregrinantes aliquando cauſa devotionis advolant, & vota ſua Domino reddunt, eò maximè quòd inibi vigeat Fraternitas ſub titulo S. Sebaſtiani Martyris noviſſimè ſub annum 1688. inſtituta, privilegiis ſuis & indulgentiis ab Innocentio XI. collatis inclyta plurimùm: ſed & ampliùs ad pedem montis in præfato *Wurmblingen* & *Hirſchau* pagis gemina vigent Beneficia Matrici Creuzlingenſi pleno jure ſubdita & incorporata. Verùm his per intermedium ſeu obiter hìc annotatis vetuſtatem Creuzlinganam ampliùs perſtringamus, cui magis ſtabiliendæ principaliter facit, quòd S. Conradus antè dictus anno 968. Hieroſolyma (quò tertia vice durante Epiſcopatu ſuo peregrinationem devotus ſuſcepit) in Germaniam redux Creuzlingæ ex oppoſito Cænobii trans *Stratam*, uti vocant, occidentalem propriis ſumptibus non tantùm fundaverit, verùm etiam (atteſtante officio Eccleſiæ Conſtantienſis) propriis manibus ſuis erexerit hoſpitale quoddam, cujus curam in Spiritualibus Priorem (ut ibi ſanctus iſte Antiſtes loquitur) Creuzlingenſem in temporalibus verò Religioſas Virgines in vicino Parthenone *Münſterlingenſi* (de quo ſuo loco particulariter agemus infrà) habere voluit; & factum eſt ita, quo usque S. Gebhardus ejusdem Divi Conradi in Cathedra Conſtantienſi Succeſſor (intermedio

 ſolùm

solùm Gaminolfo) proximus dictum Hospitale suo loco motum in *Münsterlingen* transferri fecit; quo casu translationis hujus, accedentibus insuper bellis intestinis, & concatenata temporum illorum iniquitate plurimùm certè passura fuerat Creuzlinga, nisi Deus suorum semper amans in tempore providisset, & suscitasset subinde Spiritum Udalrici primi hujus nominis è Comite Dilingensi & Kyburgensi anno 1117. Episcopi Constantiensis, ordine Successionis tricesimi noni, qui decoris Domus Domini studiosus admodum ac diligens & Zelo Religionis jugiter ardens, locum in honorem SS. Udalrici Episcopi Augustani & Afræ Martyris jam priùs extructum juvare cogitans certa quædam prædia, Decimas, & alias diversas possessiones Henrico id temporis Antistiti Creuzlingensi tota proprietate contradidit, quæ postmodùm omnia tum Honorius II. tum Henricus IV. propria uterque authoritate sua confirmavit, & quidem (uti legimus) ea omnia sub utriusque Juris bannô stabilita; unde plures hallucinantur, qui memoratum Udalricum Episcopum primum Ecclesiæ Creuzlingensis fundatorem adstruunt, qui non nisi fautor & restaurator illius fuit, contrà ac nominatim scripsit Gabriel Bucelinus Ordinis S. Benedicti Monachus Weingartensis in sua Germania Chrono-Topostematographica part. 2. fol. 169. ubi etiam perperam addit, Creuzlingam nullos adhuc id temporis habuisse Prælatos, planè omnium, quas hactenus adduximus, authoritatum omnino ipse ignarus.

Porro si nominis Ethymon attendas, *Creuzlinga* probabiliter illud acceperit ab insignibus reliquiis de salvifico ligno S. Crucis Servatoris nostri, quas auro & argento, nec non pretiosis margaritis pretiosissimæ Cruci decentissimè huc usque inclusas religiosissimè servat & colit à suis primordiis, re & nomine Christo Crucifixo consecrata, ut scilicet quemadmodum alii grandibus inflatis delectantur titulis, ita *Creuzlinga* multò rectiùs cum Apostolo Galat. cap. 6. v. 14. *in cruce Domini nostri Jesu Christi* tanquam militari salutis humanæ labaro, ac triumphali vexillo unicé glorietur, ad hoc noviter animatum stupendo planè prodigiô, dum scilicet ignis plusquàm hostilis Creuzlingano templo sub annum 1633. violenter injectus, omne ædificium illius (ut infrà pluribus dicetur) miserrimè depastus intactam solummodo reliquit Crucem, de qua justa hominis statura dependet effigies Salvatoris, inibi suspensam, nec etiam pilis nativis, mento ac capiti appositis ullam in tantis flammis læsionem inferre ausus; quod miraculum etiam plura alia fuerunt diversimodè secuta, quapropter sacrosancta Crux ista dignè colitur, & feria sexta cujusvis hebdomadæ à fidelibus magno numero concursantibus singulari devotione visitatur, & maxima veneratione Sacrosancta habetur; atque pro majore hujusmodi cultus incremento novissimè sub annum (quo hæc scribimus) 1689. in Ecclesia Creuzlingensi novum quoddam altare fuit apparatum, reclusas in se continens totius corporis reliquias S. Leontii Martyris, Roma nuper isthuc translatas, easque publicæ venerationi convenienter expositas, sed & auro argentóque, nec non unionibus ac margaritis pretiosissimis ad stuporem exornatas: quibus imminet eadem Crux Miraculosa in eodem Altari desuper pendula, & devotissimis precibus indies adorari solita. Sed Abbatialem etiam hìc attendamus dignitatem, quam in Reverendissimis Ecclesiæ hujus Creuzlingensis Prælatis ampliùs adauget titulus sui Ordinis Visitatoris, quales ii jam sub annum 1339. à Benedicto XII. omnium Monasteriorum per trinas Provincias Moguntinensem, Trevirensem, & Coloniensem suprema authoritate Apostolica fuerunt constituti; quod ipsum privilegium nova confirmatione sub annum 1459. reiteravit Pius II. Ejusdemque Juris executionem realiter adimplendam mandavit Zacharias Delphinus Apostolicæ Sedis Legatus anno 1588. nec non illud ipsum primùm initio ferè decurrentis sæculi nostri nempe anno 1603. Clemens Papa VIII. *ex certâ scientiâ* (prout sonant verba Bullæ in id clementissimè datæ) *ac maturâ deliberatione, déque Apostolicæ potestatis plenitudine Abbati Creuzlingensi pro tempore existenti concessit; & confirmavit pro Diœcesibus Constantiensi, Augustana, & Basileensi, quandocunque & quotiescunque opus foret illud exercendi &c.* Pontificiæ huic authoritati accedit etiam Sacrosancta Synodus Constantiensis in speciali quadam Bullâ de anno 1415. data, ubi inter alia sic habetur: *cum eidem Abbati Monasterii Creuzlingen existenti pro tempore, uti Patri Abbati etiam plura Monasteria dicti Ordinis S. Augustini in Diœcesi* (Constantiensi) *variis locis existentia secundùm ejusdem Ordinis Regularia instituta per Sedem ipsam ex certa scientia approbata subessent, in quæ, eorumque Personas degentes in eisdem Jus seu Superioritatem visitandi, corrigendi, & nutriendi haberet, propterea Abbas & Conventus ejusdem Monasterii in Creuzlingen in quibuscunque actibus solemnibus, nec non Processionibus generalibus, quæ fierent, ac etiam in generali Concilio meritò præferri. &c.* Quæ Jura ac privilegia omnia & singula per me salva sint etiamnum & integra, non item per alios, qui hodiè apertè contradicunt; quam tamen litem hìc discutere non est meum, sed post dignitates & immunitates sacras juvat etiam commemorare politicam & Imperialem; hâc enim Reverendissimi Domini Domini Canoniæ hujus Abbates inter communes & immediatos, uti vocant, S. R. J. status nunquam non excelluerunt usque in præsens, prout apertè satis constat ex Matricula Imperiali novâ & antiqua, item ex Rescriptis Cæsareis, quibus ipsi

ad

ad generalia Imperii Comitia feorfim femper fuerunt invitati; nominatim autem anno 1522. à Carolo V. Norimbergam, anno 1582. à Rudolpho II. Auguftam Vindelicorum, anno 1606. ab Eodem Imperatore Ratisbonam, anno 1640. à Ferdinando III. iterum Ratisbonam, & noviffimè anno 1662. ab Auguftiffimo Imperatore noftro Leopoldo I. Reverendiffimus ac Ampliffimus Dominus Dominus Auguftinus Abbas itidem Ratisbonam. Talibus ergo præeminentiis fuis Creuzlinga dignanter dotata & honorata, uti hactenùs in utroque foro Ecclefiaftico fcilicet & Sæculari inclyta refulfit, talis & in ævum pro meritis conftantiffimè confervanda vigeat, floreat, ac excellat in fuis S. R. J. Prælatis, quorum ordinatam Succeffionem hìc enumerare conftituimus, prout fuggerit ex Actis domefticis fideliter defumptus, qui hìc fequitur

SYLLABUS ABBATUM.

Tametfi pluribus facræ Familiæ noftræ Canonico-Auguftinianæ Prælatis in Superiori Germania præfertim apud vicinos noftros Bavaros & Auftriacos titulus *Abbatis* minùs arrideat, & quafi Monachifmum fapere faftidiofus omnino fit & ingratus; aliis tamen de eodem Ordine fatis acceptus ille eft & ufitatiffimus, maximè apud Suevos noftros & Silefios, nominatim autem apud Creuzlingenfes: quibus ab antiquiffimis temporibus, imò ftatim à prima fundatione communis fuit titulus ifte ac proprius, prout apertè conftat ex Bullis Pontificiis, aliisque Authenticis plurimis, quale præ reliquis eft geminum illud Breve Apoftolicum ab Eugenio III. fub annum 1145. & annum 1146. clementiffimè datum: atque utriusque iftius tale eft initium: *Eugenius Epifcopus Servus Servorum Dei dilectis Filiis Henrico Abbati ejusque Fratribus &c.* Idem tenor eft etiam Bullæ Innocentii VIII. de anno 1487. ubi is in Confirmatione Privilegiorum Creuzlingenfium primarium loci Rectorem difertè nominat *Abbatem pro tempore exiftentem.* Neque difcrepat Sacrofancta Synodus Conftantienfis, cujus in Bullà fuprà citatà verba etiam hæc funt: *cùm Abbas etiam* (Creuzlingenfis) *in Abbatiali dignitatis promotione Abbatem Monafterii in Petri Domo Ordinis S. Benedicti longè præceffèrit; nec non Abbas pro tempore exiftens dicti Monafterii in Creuzlingen mitrâ & annulo cæterisque Pontificalibus Infignis ex fpeciali privilegio fedis Apoftolicæ, cui non eft in aliquo derogatum, uti & gaudere ab olim confueviffet: quibus dictus Abbas Monafterii Petri Domûs mitramè utebatur feu gaudebat &c.* Ergo cum Abbatibus nobis hìc negotium eft, & tales modò veniunt fuo ordine recenfendi: quorum tamen primorum aliquot notitiam (fecundùm nomina & res geftas) ad pofteros transmittendam tum injuria temporum, tum fatalis interitus antiquorum documentorum omnino fubtraxit; non quòd non fuerint, fed quòd nomina illorum & (ut diximus) res benè geftæ quocunque tandem fato penitùs exciderint, quod malum aliis etiam pluribus facris Domibus, & Collegiis commune eft, & perquam dolendum, præclara hujusmodi bellaria litteraria haud dubiè magnam hiftoriæ lucem allatura, vel igne conflagrâffe, vel blattis & tineis in prædam ceffiffe, vel denique alio quovis modo in maximum damnum interiiffe cuftodibus illorum interim innocuis planè, fi enim lapides etfi benè folidos aliquando rodit longæva ætas, an forfitan chartis parcat edax rerum vetuftas? fed priusquam infiftamus cæptis, obiter faltem hìc commemorare liceat Jura & privilegia Abbatibus Creuzlinganis jam olim indulta; fiquidem magna merita ut plurimùm poft fe trahunt pediffequas gratias, & comites favores magnorum Principum, ut puta Pontificum, Imperatorum, Regum &c. quorum liberalitas nufpiam clariùs refplendet, quàm in dotatis abs fe Ecclefiis ac Religiofis Domiciliis. Ignofce Lector Venerande, qui Jura & privilegia memoratis Abbatibus iftis diverfimodè conceffa noffe cupis, fi te ad Bullas & Litteras Originarias ablegem tibi æquè ac mihi (ut jubeor) pro voluntate & neceffitate coràm exhibendas; ipfa enim longitudo (ut refponfum fero) quandoque faftidium creat, & hiftoria nifi filo continuo fluat, tædio eft, imò quædam breviter folùm rectiùs judicantur, quàm cum naufeâ producuntur. Ne autem genium tuum ac curiofitatem defraudem, quam fcire utiliter intereft, attende quædam compendio hìc danda. Poteft ergo Abbas Creuzlingenfis pro tempore exiftens, vi fuæ poteftatis & Jurium Ecclefias Matrici fuæ Creuzlingenfi fubditas inofficiare, uti loquimur, feu procurare, vel per Sacerdotes fæculares, vel per fuos Regulares, prout ipfi in Domino meliùs videbitur, fructibus fuperfluis in congruam fuftentationem Religioforum convertendis. Ita formalia in Bullis Pontificum tam Romanorum quàm Conftantienfium, quorum unus nempe Udalricus I. antè dictus pro ratione addit: *ut ordo Canonicorum Regularium perpetuis hic loci poffit fubfiftere temporibus, concedimus &c.* Sed fuccedat tandem Ordo Abbatum, ex quo alia quam plura Privilegia ab iisdem per fummam induftriam impetrata facilè patebunt.

I. Henricus I. à Lucio II. & Eugenio III. varia privilegia impetravit, quæ fusè continentur in Bullis Papalibus de anno 1144. 1145. & 1146. datis. Fratrem germanum ipse habuit Marquardum avita stirpe & prosapiâ nobilem, qui Religionis causa Hierosolymam abiturus anno 1147. villam *Büttershausen* sub certis conditionibus Ecclesiæ Creuzlingensi ut propriam deinceps possidendam legavit.

II. Manegoldus Comes à Montfort electus anno 1149. post biennium ab Eugenio III. Bullam obtinuit sub annum 1151. datam, in qua signanter descripta recensentur quævis bona immobilia ad Ecclesiam Creüzlingensem pertinentia, ubi inter cætera sic legitur: *Quæ Monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, videlicet Horgencella & cætera, quæ in pago Linchaw rationabiliter possidetis, in pago autem Turgow; Sulgen, Onwangen, Wilar &c.* Anno 1154. idem Abbas Canoniam suam Creüzlinganam & privilegia illius etiam authoritate Cæsareâ confoveri, ac stabiliri procuravit, testimonium perhibente authentico, quod hodiedum superest diplomate Friderici Barbarossæ id temporis rerum potientis, apud quem prætacto anno querelam etiam ipse movit ratione fundi sui circa domos, prata, & vineas ab Inquilinis Constantiensibus diversimodè turbati; quarè idem Imperator Jus advocatiæ Creuzlingensibus administrandum soli sibi, suisque in solio regni successoribus deinceps sacrosanctum haberi voluit, simúlque ne hoc alii quomodolibet infringere præsumant firmissimè statuit, Asylum perpetuum Creüzlingæ constituit, ac ne quisquam sub quovis prætextu aut colore justitiæ ibidem potestatem exerceat, districtè præcepit; Hermanno id temporis Episcopo Constantiensi Commissario in hujusmodi executionem realiter adimplendam authoritate Cæsarea specialiter deputato, cum quo postmodùm anno 1157. Manegoldus Abbas iste concambium quoddam iniit, Bulla Hadriani IV. roboratum, ac tandem anno 1173. vir uti splendore generis, ita fervore Religionis eximius, virtutéque, sanguine nobilior, postquam 24. annis non tam præclaro laudatissimæ vitæ exemplo, quàm maximo rei familiaris incremento dignissimè præfuit; vitam finiit temporalem die 9. May anno 1173.

III. Albertus usque ad annum 1189. in officio Prælaturæ provixit, de cujus industria authenticum à Friderico I. Imperatore respectivè datum & impetratum, quo Creüzlinga deobligata fuit & exonerata gravissimis advocatiæ molestiis, maximè verò causa principali illius seu Advocatis toties quoties tantoperè facinorosis, molestis & onerosis.

IV. Marquardus electus anno 1189. laudatur, plura privilegia & confirmationem eorum in favorem Ecclesiæ suæ à Viris principibus maximè ab Imperatoribus Suevis Henrico VI. & Philippo concessa sagaciter impetrasse. Ejusdem sub regimine & anno 1196. Venerabilis Dominus N. Cathedralis Ecclesiæ Constantiensis Decanus Anniversarium sibi constituit in Choro Creüzlingensi de posthac celebrandum 24. libris monetæ Constantiensis in hujusmodi fundationem numeratis. Authenticum hujus constitutionis etiamnum superat, in quo recensentur plures hujus temporis Canonici Creüzlingenses natalium splendore ac lectâ nobilitate præcellentes, qui præ cæteris sunt Henricus de Zollern, Albertus de Wormblingen, Bertholdus de Thumpil, & plures alii, quorum avitæ ceræ accedente virtute utique non mediocriter in arâ Domini supra candelabrum positæ splenduerunt; nobilitas enim religionem haud impedit, aut dedecorat, sed adjuvat, & magis ornat, velut aurum scintillantes in annulo gemmas. Memoratur etiam ibi specialiter villa Hungerweil, item alia bona immobilia pro tunc ad Creüzlingenses pertinentia, quare meritò satis miramur Bucelinum, qui dum hic in sua Descriptione Creüzlingenses debuisset viros prorsus innocuos sine offendiculo saltem præterire, ne dicamus justissimè commendare, magis ausus fuit eos temerè cavillare & accusare de œconomia male administrata: cujus tamen assertum apertè refutat ipsa tot nobilium Præsulum prosapia, & œconomiæ cura vigilantissima. Anno proxime sequenti seu anno 1197. legimus Wernherum, qui fuit Ministerialis Rudolphi Comitis Habspurgensis, de pleno consensu ejusdem Rudolphi & filii ipsius Alberti prædium *Hirschlatt*, & molendinum in *Küttenhusen* in suam suorúmque salutem Abbati & Conventui Creüzlingano tradidisse, cúmque paulò post de pari consensu Domini sui Rudolphi Comitis similiter ad pias causas tradidisse bona sua in Hirschlatt, Jetterhusen, & aliis locis circum circa situatis de posthac perpetuo proprietatis jure possidenda in pascuis, nemoribus, sylvis, agris, pratis, &c. Diethelmo Episcopo Constantiensi in defensionem & conservationem piæ fundationis hujus à dictis Comitibus exorato sub annum 1198. quo decurrente vel altero proximè sequenti (nam de certo quodam determinato non constat) Marquardus Abbas iste vivere simul ac præesse desiit die 20. Martii, anno (ut diximus) non notato.

V. Theo-

V. Theodericus legitur sub annum 1213. procurasse diremptionem litis authoritate ordinaria factam Conrado Episcopo Constantiensi ratione decimarum in Pfaffenberg exortæ; vigore cujus duæ partes Ecclesiæ in Wurmblingen, tertia verò Ecclesiæ in Silchem cesserunt, ita dijudicante eodem Episcopo, qui sub idem tempus prohibuit Bertholdum Comitem de Heiligenberg Juri ac titulo Advocatiæ innisum Comiti de Arbon tradere ac donare homines, ut vocant proprios seu mancipatos hinc inde in territorio Creüzlingensi commorantes, ratus extra limites & cancellos illius tentatam hanc procedere potestatem. Porro idem Episcopus in favorem Theoderici Abbatis hujus solennem edidit Confirmationem publico testimonio roboratam privilegii illius, quo datur Creüzlingensibus parochias suas curari seu administrari facere per sacerdotes sive sæculares sive regulares; verba autem memorati privilegii seu solemnis testimonii inter alia hæc sunt: *Notum facimus, quòd sicut Prædecessores nostri cum consensu Capituli sui Monasterio de Crucelin Ecclesias ejusdem Monasterii cum suis proventibus ad usus fratrum loci ejusdem confirmamus, indulgentes Fratribus ejus, ut Ecclesias suas sive per Confratres suos Presbyteros, sivè per Sacerdotes Saculares, sicut & hactenus factum est, prout magis expedire videbitur pro sua voluntate procuret inofficiari.* Atque hoc ipsum Decretum Henricus Conradi hujus in Episcopali Cathedra successor proximus itidem sub eodem prorsus tenore sub annum 1234. nova Confirmatione reiteravit. Anno 1226. idem Abbas apud Henricum VII. Romanorum Regem prævaluit contra Comitem Rottenburgensem possessiones Creüzlingenses in *Neckeraw* & *Wurmblingen* potenter admodùm infestantem, dum scilicet invasor iste iniquus sub comminatione mulctæ centum marcarum argenti examinati à male tentatis suis fuit deterritus. Tum anno proxime sequenti seu anno 1227. Theodericus noster subscripsisse legitur testimonio cuidam, seu litteris publicis, duo ditionis suæ curtilia concernentibus, & quidem præsentibus Canonicis suis Riwino Priore, Wolfino Plebano, Rudolpho de Obenried Cellario, Udalrico de Bintmaringen, Conrado Fincker, Conrado de Ligisharshausen, Udalrico de Mollickhaim, Henrico de Wengta &c.

VI. Conradus I. post mortem Theoderici electus anno 1227. authoritate Friderici II. recuperavit arcem suam Radorach certa pecuniæ summa in id numerata, pro qua tamen idem Imperator vicissim firmam condixit & promisit assistentiam ratione Hirschlatt & Horgencellæ cum appertinentiis effectivè præstandam, ne scilicet hæc (ut in authentico habetur) Monasterii bona abriperentur, aut devenirent in alienas manus.

VII. Sifridus primo statim regiminis sui anno Collegium suum Creüzlingense, nominatim autem Ecclesias in Wurmblingen & Ranchweil cum appertinentiis in specialem Sedis Apostolicæ protectionem recipi voluit, quod & Gregorius IX. clementissimè præstitit anno Pontificatûs sui 2do. Tum Instrumento cuidam publico sub annum 123;. conscripto inserta leguntur sequentia: *actum præsentibus fratribus Conrado quondam Abbate ibidem &c.* Unde conjicitur, ipsum Conradum Abbatem antèdictum paucis saltem aliquot annis ante mortem suam ultrò Prælaturam dimisisse, & sub Sifrido hoc vitam privatam vixisse. Anno 1240. ipse Sifridus ab Ordinario suo Henrico Episcopo Constantiensi innovatam obtinuit licentiam & facultatem, qua conceditur imò & authoritate ordinaria iteratò statuitur, quasvis Ecclesias Matrici Creüzlingensi subditas & incorporatas ad libitum Abbatis pro tempore existentis per Presbyteros sive sæculares sive Regulares administrandas hac in parte imperturbatas debere relinqui. Anno 1244. centum marcis argenti Tutweil, Buech, Krillenberg, Murckart & Tingelhart cum Jure Advocatiæ & aliis pertinentiis de speciali consensu Hermanni Comitis Kyburgensis directi Domini in omnimodam proprietatem emit; tum anno 1247. ab Innocentio IV. in specialem Sedis Apostolicæ protectionem Ecclesiam suam Creüzlingensem suscipi, & privilegia illius authoritate Apostolica de novo confirmari impetravit, uti etiam perpetuitatem Ordinis Canonico-Augustiniani hic loci constantissime servandam; item exemptionem à Decimis, exactionibus Principum Ecclesiasticorum æque ac sæcularium &c. qui idem Pontifex ad instantiam hujus Sifridi nostri Henico Cardinali Sedis Apostolicæ Legato, ut Eberhardum Episcopum Constantiensem à perversa cura, & enormi læsione Collegii Creüzlingensis abigat, per specialem Bullam mandavit, cui etiam reus hac in parte morem gessit & obtemperavit. His & aliis bene gestis, emptis etiam quibusdam decimis alibi locorum colligendis, Sifridus iste obdormivit in Domino. Habuit quoad regimini præfuit multum commendabilis ac Venerabilis Abbas faventes admodum sibi Pontifices ac Magnates alios, nec dubium, quin & superos, qui probitate ejus delectati viro optimo digna (uti confidimus) destinarunt virtutis præmia.

VIII. Riwinus electus anno circiter 1254. Hujus sub regimine Wernerus miles de Radorach conscientia ductus, in refusionem damni Creüzlingensibus illati, contulit 30. mar-

cas argenti puri & solidi, quod idem in simili causa præstitit Marquardus de Schellenberg, dans pratum aliquod suum *Rankweil in den Mäderen* appellatum cum toto proprietatis jure, & advocatiæ liberè posthac possidendum. Anno 1258. emit idem Abbas ab Udalrico de Klingenberg Jus advocatiæ super bona in *Hünerbusen* situata. Anno 1259. nobili Viro Rudolpho de Bodmann pro duobus prædiis in *Weiler* cum advocatia simul adjuncta, aliud quoddam dedit in *Pfaffenhoven* situatum cum 19. marcis argenti simul solutis. Eodem etiam anno pridie Idus Septembris emit ab Hartmanno Comite Kyburgensi Jus advocatiæ in Sulgen vulgò *die Anfäll* nuncupatum; item movit Eberhardum Episcopum Constantiensem constituere & decernere, *ne ulli Laicorum liceat Advocatias bonorum Monasterii in Sulgen, Weiler, Baldschausen, & Bachi infeudare, seu de eis servitium tributarium exigere &c. qui idem Episcopus amplius decrevit, ut pratum situm sub vinea civitatis* (Constantiensis) *proxima dictum Mörder-Wißen cum prato apud Milch-Wißen, quod utrumque post primam sectionem graminis ad communem pascuam pertinebat in utiliores & commodiores dicti Cœnobii perpetuos usus redigeretur liberam concedendo facultatem illic locorum excolendi hortos & culturas fertiliores.* Et paulò post: *insuper partem fundi qui dicitur Estar, quemadmodum per certas metas & fossata existit divisus, sæpè dicto Monasterio duximus conferendam ipso jure, sicut prata in Tegermos possideat quietè, pacificè, perpetuo possidendam. Cæterum ad tollendam omnem Monasterii litis materiam, quæ in terminis dicti Monasterii ac præfatæ civitatis accedente consensu, ut fossata strata, quæ de Curia antèdictidicti Monasterii ad lacum se extendit, nec non fossata posterior sub claustro salicibus obsita ad usus Monasterii pertineat antedicti & perpetuam proprietatem, ita quidem ut per fossata prædicta strata ex parte Monasterii expediatur pons, per quem animalibus dictæ Civitatis egressus sine difficultate pateat & regressus, ad compensationem vero locorum præconceptorum prædicta prata, super quibus quæstio vertebatur, & pratum apud muros Constantienses interiores scilicet in Schlachtbor, & Schazthor se extendentes* (Stadelhofen quippe post Concilium Constantiense datis reversalibus de ullo damno Creüzlingensibus causando per pomarium & alia Cœnobii prædia muro cingebatur) *dictum Mörder-Wiß cum fundo suo, huic contiguo, qui dicitur Mükblstatt, quæ titulo proprietatis prælibato Monasterio ab antiquo pertinebat, consensu præmemorati Capituli accedente in Cambium duximus conferenda, & ad communem pascuam utriusque partis deputanda.* Hæc studiose Lector ex authenticis descripsimus, ut inde colligas ac scias firmissimè quantum Juris restet Creüzlingensibus una cum pascuis in *Stadelhofen* usque ad portam *Schlachtbor* dictam restituendum à Constantiensibus vi Reversalium, quarum tenore dictum suburbium muro cingere absque ullo damno promittebant. Anno 1260. idem Riwinus Abbas in regimine suo etiamnum inclytus ab Udalrico de Castel redemit Advocatiam super prædium Wurmblingen usurpandam. Anno 1262. recepit 36. marcas argenti, quas in pœnam (eo quòd Ecclesiam Creuzlingensem turbasset & spoliasset jure Advocatiæ bonorum in Ranckweil, Bræderis & Runa) solvit Marquardus de Schellenberg, à Præposito Canonicorum Regularium in Ittingen delegato Sedis Apostolicæ Commissario specialiter condemnatus. Anno 1263. amplius ab Hartmanno Comite Kyburgensi recepit omne Jus Advocatiæ, quod ipse habuit in Trülchofen & Owangen duabus libris denariorum annuatim inde persolvendis, item Advocatiam in Mözzenbrunn, Hungerweil, Owangen, Mers, & Sindica super Personas & bona ibi omnia. Actum Frauenfeldt die 24. Aprilis. Emit etiam ab Henrico Milite de Capella omnes possessiones ejus in Bizenhofen, anno 1265. ratione advocatiæ in Owangen cum Rudolpho Comite de Habspurg convenit, ei tanquam Judici seu Advocato unam libram denariorum & mulctas inde provenientes, pro ea consignans. His & aliis pluribus utilissimè gestis Riwinus Abbas iste cælo maturus apparuit, ut in abundantia sepulchrum ingrederetur velut acervus tritici, qui infertur in tempore suo.

IX. Gerungus electus anno 1266. à Conrado II. Duce Sueviæ impetravit Confirmationem privilegiorum Creuzlingensibus hactenus indultorum. Emit possessiones aliquas in Laimbec propè Marcdorff, item Mansum in Alterschwil. anno 1282. à Rudolpho Constantiensi Ecclesiam in Wangen sitam; item à Bertholdo Episcopo Curiensi aliam S. Petri in Ranckweil intitulatam in donum accepit, tum anno 1291. Decimas propè Rottenburg in loco *civitas antiqua* nuncupato, ut & alias in Brigenwis sibi judicialiter attribui fecit, demortuus tandem die & anno hactenus incomperto.

X. Conradus II. anno 1305. tragica peste per universam Germaniam grassante consumptus, cætera ignotus, nisi aliquando ab Alberto Nobili Viro de Klingenberg in grati animi signum 70. marcis argenti honoratus.

XI. Henricus II. vix triennio in Abbatiæ munere laudatissime peracto immortalitatem ingressus die 8. Januarii anno 1300.

XII. Henricus III. quanto tempore præfectus, minime notum.

XIII.

XIII. Gualterus sub annum 1327. quædam bona in Diesenhofen emptitiè comparasse laudatus, cætera pariter ignotus, nisi quòd imortalitatem ingressus fuerit die 26. Februarii anno 1328.

XIV. Henricus IV. anno 1328. plura ac diversa bona tum coëmit, tum aliis in lucrum elocavit, atque hæc inter etiam ædes quasdam intra muros Rottenburgenses ad Nicrum situatas, quas ipsas, dum decurrente sæculo nostro sub annum 1654. Reverendissimus Præsul Jacobus Abbas Creüzlingensis RR. Patribus Societatis Jesu id temporis ibidem loci novum aliquod Collegium inædificare molitis, gratuita donatione tradidit, cella vinaria ingentem fossuram lapidum materiariis necessariorum præter omnem spem aperuit, & in se gaudiose reperiri fecit. Anno 1330. idem Henricus Abbas Jus decimandi in Tegermos, & Egelshofen Ecclesiæ suæ Creüzlingensi judicialiter attribui petiit, & obtinuit; item anno 1344. à Nobili Viro Joanne de Wald prædia in Bulasingen & Staringen cum pertinentiis ad pias causas oblata recepit, tandémque vivendi finem fecit anno 1348.

XV. Hermannus electus anno 1348. sedulò inquisivit in antiquas Ecclesiæ suæ possessiones, atque distractas, puta decimas, agros &c. quorum restitutionem quantocyus fieri Authoritate Apostolica mandavit Clemens VI. anno 1355. idem Abbas adjudicari sibi petiit & impetravit Sylvam in *Engweil* appellatam. Fundavit etiam Primissariam in *Wurmblingen*. anno 1360. cum Monasteriis Salemitano, Weingartensi, Minor Augiensi, Rothensi &c. in auro (ut dicitur) contribuentibus, & ipse quoque Symbolam suam contulit & pariter in auro solvit mille ducentos florenos pro redimenda Profectura superioris Sueviæ, *die Ober Landvogtey* communiter appellata, ipse verò Carolus vicissim condixit & promisit propria Monasteriorum istorum Jura se pro toto posse & nosse suo potenter velle defendere. Tum sui regiminis anno 14. idem Hermannus Molendinum Kemmenmühl appellatum cum adjacente villa justo pretio sui juris fecit, pauloque post vitam beato fine clausit.

XVI. Bertholdus Streit Constantiensis electus anno 1362. post biennium nempe anno 1364. cum Venerabili Domino Joanne in der Büdt cognominato, Collegiatæ Ecclesiæ ad S. Stephanum Constantiæ Plebano, decimas quasdam commutavit in proprio fundò suo hinc inde solvendas. Anno 1368. fundum in Ackerthor jam antehac videlicet anno 1353. à Steuris & Angariis liberatum & immunem, novo decreto talem stabiliri fecit. Anno 1369. venditionem Domus in Baumgarten prope Buchorn Creuzlingensibus factam, à Curia Constantiensi ratam haberi procuravit & confirmari. Anno 1370. villam Wisentschwiler emit, item anno 1371. quartam partem Decimarum in Kurzen-Riggenbach, nec non partem villæ in Lippoldsweil, anno 1374. vitæ Bertholdi hujus penultimo legimus, villam Baltshusen gratuitò fuisse Creuzlingensibus oblatam, donationem hanc confirmante Venerabili Domino Donaldo Constantiæ ad Scotos Abbate. Demum anno 1375. Bertholdus Abbas iste dignissimus de Domo Dei, semper quoad præfuit optimè promeritus, occubuit die 31. Julii.

XVII. Joannes I. ex Patritio genere Benningerorum Constantiæ progenitus, anno 1375. in Abbatem electus, nedum expleto, brevi solum unius anni regiminis spatio demortuus anno 1376.

XVIII. Joannes II. Bettmünger cognominatus electus anno 1376. villam Sambletshofen ab Hermanno Gessler anno 1381. ad pias causas donatam, item Domum cum horto in Buchhorn ab Henrico Burst pari legationis titulo recepit anno 1383. quo currente die 27. Septembris ipse Joannes Abbas morte interveniente Successori locum dedit.

XIX. Joannes III. Nobilis Constantiensis de Wald genere ac nomine suo dictus, anno 1383. in Abbatem electus, annotatus legitur anno vitæ & regiminis ultimo, Christi verò 1389. eximiam magni ponderis & pretii comparasse statuam, quæ hodiedum adest S. Afræ Martyris Patronæ Creuzlingensis purissimo argento confectam.

XX. Erhardus Lind, patria Constantiensis electus anno 1389. vir eximius & selectæ virtutis in tabulis appellatus, primo statim Prælaturæ suæ biennio jus decimandi pluribus in locis emptitiè comparavit perpetua proprietate possidendum. Anno 1394. antiqua Ecclesiæ suæ jura ac privilegia authoritate Apostolica reiterari fecit, quæ & Bonifacius Papa IX. itidem de novo stabilivit. Anno 1404. duo plaustra vini Officialibus Rottenburgensibus in recognitionem juris advocatiæ tempore Vindemiæ quotannis hactenus soluta, amplius adaugeri posse vel debere procuravit authoritate Friderici V. Archi-Ducis Austriæ; item novas vineas cum reliquis appertinentiis in Superiori Hörlin

coëmit.

coëmit. Anno 1414. Joannem XXIII. Constantiam ad Concilium generale proficiscentem in pervigilio SS. Apostolorum Simonis & Judæ cum tota familia sua hospitio excepit, ac perquam humaniter habuit, cui econtrà idem Pontifex die mox sequenti pretiosissimam Infulam Abbatialem unionibus ac margaritis fulgidam, sed & auro argentoque decoratam, in Ecclesia Creuzlingensi vertici ejus solemnissimo ritu imposuit, unáque simul privilegium mitræ Erhardo Abbati & successoribus ejus renovavit, item alia quoque privilegia contulit, maximè verò præcedentiam in eodem Concilio & aliis futuris temporibus usurpandam, ante Abbatem vicini Monasterii in Petershausen Ordinis S. Benedicti, quæ postmodum omnia non tam Synodus Constantiensis anno 1415. Sede vacante comprobavit, quàm Innocentius VIII. per specialem Bullam similiter innovavit, de quo vide pluribus differentem Cornelium Bartholomæi in suo Pondere Sanctuarii part. 2. cap. 25. pag. 207. & part. 5. pag. 519. Porrò ad instantiam ejusdem Abbatis Erhardi anno 1418. demandavit Episcopis Constantiensi, Basileensi & Curiensi bona Creuzlingensia ab exteris inique detenta, pro viribus suis reduci faciant, etiam brachio sæculari si opus fuerit, in id adhibendo. Anno 1423. vitæ & regiminis sui penultimo, Abbas iste decimas in *Hagenbuch* emit, tandémque anno proximè sequenti per beatam mortem ad cælos abiit Vir Deo & hominibus multum amabilis.

XXI. Conradus III. Lucerner cognomine suo dictus, patria Villinganus, electus anno 1424. regimen accepit, & post quadriennium anno scilicet 1428. cum Curatoribus Ecclesiæ ad S. Jodocum in urbe Constantiensi quandam censuum aliquot ac redituum ex certis domibus inibi solvendarum commutationem habuit, & de speciali consensu Magistratus præfatæ urbis legitimè perfecit. Anno 1431. idem Abbas Conradus Eugenium IV. movit ad condemnandum in expensas Joannem Episcopum Curiensem, ratione Ecclesiæ Parochialis in Ranckweil Creuzlingensibus pleno jure incorporatæ, ab ipso secundum jura sua turbatæ & infestatæ. Reliqua acta Venerabilis Antistitis hujus latent, quoad sarcinam carnis æquè ac regiminis omnino deposuit anno 1434.

XXII. Joannes IV. Nobilis de Sulzberg, alias Hueber cognominatus, electus anno 1434. legitur ab Eugenio IV. Pontifice antè dicto in suo Abbatiæ munere specialiter fuisse confirmatus. Eodem anno à Friderico IV. Romanorum Imperatore nova confirmatione restabiliri procuravit immunitates, jura, ac privilegia ab antiquitus usque id ævi Creuzlingensibus impertita & usurpata. Item anno 1447. aliud quoddam privilegium obtinuit nomine Henrici Episcopi Constantiensis, per hujus Vicarium Generalem scriptotenus expeditum, quo is Decanis & Camerariis Diœcesis Constantiensis absolutè mandat, ne Canonicos Creuzlingenses in Beneficiis, in quibus Abbas potest Regulares suos, vel etiam Sacerdotes sæculares idoneos constituere & inofficiare ratione privilegiorum pridem obtentorum, *propter statuta Synodalia, & mandata ordinaria vexent, aut perturbent, neque instantias faciant. &c.* Quod ipsum hoc mandatum post proximè sequens undecennium eadem authoritate renovatum fuit die 8. Julii anno 1448. Porrò idem Joannes Abbas anno 1450. villam *Ittenhusen* cum appertinentiis coëmptam & aliam similiter *Wechtolsweil* nuncupatam anno 1453. posthac in perpetuum Ecclesiæ suæ possidendam adjecit, qui & postmodum anno 1455. multa bona in fundo *Paradisus* appellato piè legata recepit, ac denique diem clausit extremum anno 1457.

XXIII. Marcus Reichlin de Meldeck Nobilis Uberlinganus, à Ven. Domino Joanne piæ memoriæ Prædecessore suo semper pretiosè habitus, præ reliquis admodum laudatur, Abbatiam suam à Gregorio de Lapide in Commendam fraudulenter obtinente potenter abstulisse, eamque integram sibi servasse, similiter etiam decimas ex fundo in Bermating præstandas acquisivisse. Anno 1459. queisvis censibus ac reditibus suis securè magis de posthac servandis novum quoddam Tabularium apparari constituit in pergameno belle descriptum, hodiéque integerrimè servatum. Anno 1462. Ecclesiam in Hirschaw à propria Matrice sua in Wurmblingen separatam, & pro nova Parochiali deinceps habendam, eámque à Serenissima Principe Mechtilde Alberti VI. Archi-Ducis Austriæ vidua, pro congrua novi proprii Curionis sustentatione liberalissime dotatam, de speciali consensu Ordinarii sui, seu Henrici Episcopi Constantiensis Abbatiæ suæ Creuzlingensi pleno jure concessam obtinuit, exinde post biennium nempe anno 1464. privilegia sua ab eodem Episcopo promulgata, Burchardi in eadem cathedra Successoris authoritate renovari sategit, annóque proximè sequenti ultimam vitæ suæ metam attigit.

XXIV. Ortolphus Welck triennem tantum Abbatem egit; unde quasi futurorum præscius, diuturnas lites in causa Decimarum in *Schwaderloch* amore pacis & omnis discordiæ causa apud posteros præcavenda sub annum 1467. authoritate ordinaria dirimi procuravit speciali quadam transactione, cujus tenore memoratæ Decimæ partibus inde litigantibus nempe Canoniæ Creuzlingensi Parthenoni Löwenthalensi, & Curioni Ho-

henzol-

henzollerensi adeò fuerunt divisæ, ut amicabilis hujuscemodi juris compositio cunctis, uti vocamus, interessentibus fuerit solatio nullam exivisse vacuam. Præter hæc eodem anno 1467. de singulari industria Abbatis hujus renovatam fuisse legimus descriptionem annuorum censuum, ac redituum in Rottenburg & locis appertinentibus Abbatiæ Creuzlinganæ quotannis solvendorum; quibus salutaribus negotiis convenienter adimpletis, ipse Ortolphus ad plures abiit anno 1468.

XXV. Conradus IV. hujus nominis Binder cognominatus Constantiensis, electus anno 1468. post triennium vineam & villam in *Geisberg* emit, tum regiminis lustro vix transacto vocanti Domino per Religiosam & piam mortem paruit die 2. Aprilis an. 1474.

XXVI. Casparus Seur electus anno 1474. sacris Indulgentiis pro Ecclesia sua Creuzlingensi sub annum 1480. feliciciter obtentis, eodem adhuc anno reliquum vitæ in Hirschlatt peracturus ultroneè resignavit.

XXVII. Joannes V. Fischer ex cognomine suo dictus, natus Rottenburgensis, electus anno 1481. mox à primo Prælaturæ suæ ingressu opera & authoritate Ottonis Episcopi Constantiensis renovari ac comprobari fecit privilegia prioribus annis 1447. 1450. 1464. collata. Idem Abbas anno 1482. die 5. Junii Ven. Domino Christophoro Gloggner Constantiæ ad S. Stephanum Canonico novam Primissariam ibidem Constantiæ ad S. Jodocum fundare permisit reservatis tamen reservandis, & quidem ad quodvis præjudicium Abbatiæ Creuzlingensi indè generandum, de futuro hac in parte cautè præcavendum. Anno 1487. ad instantiam ejusdem Joannis nostri magis præcipua privilegia Creuzlingensia iteratis vicibus authoritate Apostolica per Innocentium V. fuerunt innovata, quorum tenore de novo concessum fuisse legitur, quòd Abbas Creuzlingensis pro tempore existens omnes Ecclesias Parochiales vel per Canonicos ejusdem Monasterii vel per Clericos sæculares ad nutum amovibiles administrare possit & procurare. Anno 1489. Joannes iste ampliùs obtinuit Jus piscationis in flumine Mura prope Owangen sibi judicialiter attributum: item emit decimas vini, frumenti, pecoris &c. in *Trullika*. Demùm anno 1494. per liberam resignationem officio suo cessit, & reliquum in Hirschlat transigere, sibique sibi vacare laudabiliter intentus secum piè statuit, & perfecit.

XXVIII. Fridericus de Schwarzach Nobilis Constantiensis electus anno 1494. Hujus inter eximias avitæ nobilitatis laudes ea præcipuè eminet, quòd specialis fuerit cultor Beatissimæ Virginis Deiparæ, unde nec dubium, quin congruam summæ devotionis suæ mercedem ab Eâ reportârit in ultimo vitæ Agone, quem vix elapso Prælaturæ triennio sustinuit, & lætus emigravit anno 1498.

XXIX. Petrus I. patria Campidunensis, ex nobili familia de Babenberg ortus anno 1498. communi Canonicorum Capitularium suffragio mitratus Abbas factus, queisvis incessanter quoad præfuit Canoniæ suæ cladibus se viriliter opposuit, siquidem secundo statim sui regiminis anno, templi, turris quoque & aliorum quorundam ædificiorum suorum violentam demolitionem tristi animo sustinere coactus, contra per publicum Notarium & testes solemniter protestatus, cuivis juri suo saltem de futuro utcunque servando, prout potuit, solicitus invigilavit, etiam Augustæ Vindelicorum coram Augustissimo Romanorum Rege Maximiliano I. personaliter querelando, & supplicando litteris commendatitiis ab Ordinario loci, in id specialiter respectivè datis & acceptis. Anno 1501. similiter apud Sedem Apostolicam de eâdem injuriâ fuit acerbissimè conquestus, unde petitioni ipsius clementissimè annuens Alexander VI. id negotii cum potestate Commissarii Apostolici desuper impertitâ curandum, & ad plenariam usque satisfactionem omnimodè præstandam realiter exequendum demandavit Abbati San - Gallensi in Helvetia, qui hujusmodi Authoritate instructus contra iniquissimos invasores, puta S. P. Q. Constantiensem eò invaluit, ut Helveticus Turgoviæ Magistratus quosvis census ac reditus illis ex dicta provincia quotannis solvendos sub annum 1504. totaliter interdixerit, unde pars tam enormiter læsa modò potenter adjuta, debitam damni sibi illati refusionem accepit grandi pecuniarum summa ad novissimum quadrantem inde numerata. Anno 1512. Idem Petrus Abbas consueta Ecclesiæ suæ Jura & privilegia authoritate denuò renovari & confirmari fecit Reverendissimis DD. Abbatibus San Gallensi, Einsidlensi, & Salemitano dictis immunitatibus & privilegiis sarta tecta de futuro servandis in Judices & Defensores cum plenitudine omnimodæ potestatis pro tunc constitutis. Anno 1517. Creuzlinga durante etiamnum felici Regimine Abbatis istius Petri villam *Walterweiler* in plenissimam proprietatem accepit perpetuis futuris temporibus possidendam, dum nempè Nobilis Vir Wilhelmus de Arnsperg eam filio suo Wilhelmo juniori

ad gremium Creuzlingense per Canonicam Professionem recepto in dotem dedit. Post hæc legimus antedicta privilegia Creuzlingensia uti priùs à Julio II. Authoritate Pontificia, sic quoque (satagente plurimùm Ven: Domino isto Petro Abbate) Cæsarea sub annum 1540. à Carolo V. Imperatore fuisse confirmata, eumque dignissimum Antistitem pluribus titulis emeritum discessisse è vita corporali ad requiem immortalem & perpetuam anno 1545. Cæterum de eodem in actis habetur annotatum, *ipsum sese verè exhibuisse Petrum seu Petram, ad quam hæresis caput suum sæpiùs confregit, & signanter quidem, dum in primo flagrantissimo Pseudo-Evangelii æstu etiam tota ferè Urbe Constantia pariter ab Orthodoxa fide sacrilegè dilapsa Cives illius Canonicis Creuzlingensibus Regulari mansione sua dejectis & in exilium actis præconem quendam Calvinianum in suggestum eorum intruserunt, totus quantus ipse pro viribus obstitit violentis hæreticorum molitionibus, & à Decano suo Georgio Tschudi Zelote præclarissimo* (in Abbatiæ munere Successore proximo) *egregiè confortatus, & adjutus, continuò immobilem sese præbuit, quousque prædictus Seminiverbius & Minister mendacii de speciali mandato Illustrissimorum DD. Cantonum Helvetiæ Catholicæ cedere coactus, cum probro suo haud vulgari turpiter ejectus est importunus hospes.*

XXX. Georgius hujus nominis I. cognomento *Tschudi* Nobilis Claronensis ex Coadjutore die 5. Aprilis anno 1545. in Abbatem electus, vir verè præstantissimus, in quo præter nobilitatem stemmatis & spectabilem admodùm corporis staturam tota Religionis virtus potissimum illuxit, tam in prosperis quàm in adversis, maximè dum adhuc officio Decani perfunctus, plenus gratia & fortitudine non formidavit à facie Hæreticorum, sed de violentia ac sacrilega Cœnobii sui occupatione coram Notario & testibus in id specialiter assumptis, in optima forma solemnissimè ex publica Cathedra protestatus est juxta sequentium tenorem:

Nos N. N. Decanus & Capitulum Monasterii & Ecclesiæ Creuzlingensis contestamur & protestamur absente Reverendissimo nostro (jam tunc contumeliosè in fugam acto) coram Deo Omnipotente, Vobis Notario, ac Testibus omnibusque & universis hìc præsentibus, cùm hucusque sicut Dei Sacerdotes & Personas Regulares decet, in vera Christiana Apostolica Ecclesia & fide Catholica, quæ à temporibus Christi Jesu Redemptoris nostri & Apostolorum, Martyrum & Confessorum ad hanc ætatem nostram ubivis observata, perstiterimus, omnesque ejus articulos fideliter custodiverimus, & adjuvante divina gratia omnia, quæ hæc sancta nostra Ecclesia Romano-Catholica præcipit, incunctanter & Religiosè custodiverimus; ea propter pati non volemus, ut sacris Ecclesiæ ordinationibus doctrina sua ac moribus contrarius resistens adversans præco præficiatur nostrorum Parochianorum cætui, quibus juxta constitutionem & traditionem majorum nostrorum in Domino viventium providemus de assiduis ac sedulis Concionatoribus impignè Verbum divinum annuntiantibus, & propere administrantibus sancta Ecclesiæ Sacramenta: quæ omnia & nos imposterum & perpetuis temporibus secundùm ritum & ordinem sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ errare non potest, tanquam obedientes ejusdem filii non tam debitè quàm promptè summa diligentia præstabimus.

Obstupescimus & dolemus præterea sitim & concupiscentiam subditorum & Parochianorum nostrorum, qua dementer & impetu magìs quàm ratione feruntur, vel potiùs rapiuntur in Religionis, ut ajunt, reformationem, an potiùs deformationem. Nec minùs miramur vestram (Constantienses vicini) temeritatem, audaciam, & illatam injuriam, qua vos, quibus in nos & Canoniam nostram nulla prorsùs competit aliqua Jurisdictionis species, ratio, aut gradus, ausi fuistis armata manu, & summa ac inexcusabili violentia Sectatorem Calviniani dogmatis nobis nostrisque intrudere; quare vos obtestamur, ut eundem quamprimùm iterum removeatis, & nos in antiquo exercitio psallendi, cantandi, missas celebrandi, & reliqua secundùm ritum antiquum peragendi ulteriùs ne molestetis, sed quietos imperturbatósque in pace possessionéque nostra relinquatis. Desuper propterea nobis Justitiam & omnia Juris remedia adversùs vos debitè reservantes. &c. &c. Quo in certamine ac difficillima Labyrinthi hujus eluctatione cùm pessimi Novatores & Sectarii Georgium nostrum Heroëm verè fortissimum, & quasi murum aheneum diris vexationibus frangi nescium, de malè tentatis desperantes haud ampliùs invadere pertimescerent, blanditiis plectere, & in partem suam trahere fraudulenter insistentes, fædas carnis spurcitias, amplas spes, opes, & dignitates, nobile matrimonium &c. eidem obtulerunt. Verùm nec sic quidem sancta Innocentia & Religiosa Constantia Viri hujus labefactari potuit, siquidem ipse per omnia contra audentior ivit, ac vaferrimas hujuscemodi insidias verè diabolicas strenuè devicit, & gloriosè de iis triumphavit, quia nimirum Petrus iste fundatus erat suprà firmam petram. Præter hunc immensum & admirandum tuendæ avitæ Religionis fervorem uberrimè passim editum, Abbas iste Zelosissimus & pastor Dominici gregis vigilantissimus genium suum amplius demonstravit in

ſagaciſſima adminiſtratione rei œconomicæ, quam perdurante regimine ſuo notabiliter ſatis aduxit, & egregiè locupletavit; dum ſcilicet plura bona immobilia in propriam Canoniæ ſuæ poſſeſſionem in juſto pretio coëmit, maximè verò Jus Patronatus cum proventibus conſuetis eidem annexis in *Güttingen* ſub annum 1554. è manibus iniquorum, ſeu hæreticorum potenter eripuit, eique Jus decimandi ibidem inſuper adjecit, quod utrumque poſtmodum Badenæ in publico conſeſſu Illuſtriſſimorum DD. Cantonum Helvetiæ in apertam tam Ordinarii ſui, ſeu Epiſcopi Conſtantienſis, quàm Canoniæ ſuæ Creuzlingenſis utilitatem generoſiſſimè defendit, ibidemque loci exercitium, uti vocamus, Catholicum, poſt diutinam & ſumptuoſam admodùm litis conteſtationem tum Badenæ, tum Frawenfeldæ propugnatam victorioſè reinduxit, ab aliis jam derelictum deſperatumque 2100. florenis in graviſſimo hujusmodi negotio incunctanter expenſis; econtrà verò à malis vicinis ſuis Conſtantienſibus adactus eſt 1400. florenis divendere ampliſſimum campum Tegermos appellatum, de quo ſuprà; cum Jurisdictione forenſi olim ad pias cauſas datum & fundatum, cujus tamen fundi abalienatio utpotè minis ſolùm & terriculamentis extorta nec hodiè quidem ut authentica ſubſiſtit ob defectum conſenſus Ordinarii vel maximè in ſolidationem hujusmodi contractuum de jure neceſſarii. Anno 1563. idem Abbas Georgius ob inſignia virtutum & ſcientiæ merita à Zacharia Delphino Pii IV. ad partes Helvetiæ Nuntio, & Legato à Latere S. Sacræ Aulæ Lateranenſis Comes Palatinus creatus eodem adhuc decurrente anno ſenio, & labore feſſus de prævio (quorum interfuit) conſenſu plenario, Prælaturæ ſuæ Coadjutorem ſibi aſſumpſit, quousque ipſe anno 1566. naturæ debitum ſolvit, Vir ſanè pretioſus, ac inde mori neſcius, quia in animis ſuorum ſuperſtes & in factis ſuis immortalis.

XXXI. Wilhelmus de Arnſperg, egregii Eccleſiæ Creuzlinganæ Benefactoris ſuprà nominati filius anno 1430. ad Præpoſituram Buronenſem evocatus, poſtliminio verò ad nativam Canoniam ſuam revocatus & in Abbatem illius conſtitutus annotatur. Legitur conſueta Eccleſiæ ſuæ privilegia à Maximiliano II. de novo confirmari feciſſe, quædam etiam prædia in augmentum & utilitatem illius coëmiſſe, ac tandem fatis conceſſiſſe anno 1572.

XXXII. Henricus V. hujus nominis, Nobilis à Guettenberg die 17. Maji anno 1572. Abbatiæ Creuzlingenſi præfectus graves admodùm innocuè paſſus eſt controverſias à Magiſtratu Conſtantienſi in cauſa Jurisdictionis forenſis iniquè ſuſcitatas: pro quibus utcunque ſedandis Helveticos, uti vocamus, Cantones per ſolemnem legationem convenit, ſed & pro antiquis Juribus ſuis magis ſtabiliendis iteratam eorum confirmationem Cæſaream procuravit à Rudolpho in ſcriptis datam & expeditam de dato Auguſtæ die 25. Auguſti anno 1582.

XXXIII. Petrus II. Schreiber cognomine ſuo dictus, Patria Conſtantienſis, ex Decano in Abbatem canonicè promotus & conſtitutus die 7. Aprilis anno 1584. ſui muneris confirmationem accepit & poſt quadriennium ab Octavio Pallavicino Nüntio Apoſtolico cum poteſtate Legati de latere licentiam abſolvendi ab Excommunicatione tam Viros, quàm fæminas Ordinis Canonico-Auguſtiniani in tribus Provinciis Moguntinenſi, Trevirenſi & Colonienſi pro tempore ſubſiſtentes, tanquam dicti Ordinis Viſitatori in præfatis locis anno 1588. gratioſè conceſſam, inde anno proximè ſequenti Religioſum fœdus (concernens ſuffragia Defunctis Fratribus mutuò impendenda) cum Cœnobitis loco vicinis in Petershauſem Ord. S. Benedicti juxta conditiones hinc inde poſitas iniit, ac demùm ſenecta ætate Prælaturæ reſignationem admodùm ſuadente lubens muneri ſuo ceſſit anno 1598.

XXXIV. Petrus II. Hugo cognominatus, natione Turgojus, Patria Wilenſis ſtupenda prorsùs raræ eloquentiæ facultate potentiſſimus, poſt annos quinque itidem reſignationem meditatus, anno 1604. ad paræciam Wurmblingen de futuro curandam abiit, inde tamen exacto triennio ad Præpoſituram Riederenſem anno 1607. pro meritis advocatus ſedulum illius Rectorem usque ad mortem ſe præbuit.

XXXV. Georgius II. Cognomento Straſsburger ex Ermantingen natus, optimi œconomi vices per omnia ſolerter adimpleſſe ſpecialiter laudatus die 1. Novembris anno 1625. Apoplexia tactus occubuit. Cæteroquin vir ſummè Religioſus & eximius ſanè ſacræ Religionis Canonico-Auguſtinianæ propagator ad dies vitæ præclariſſimè meritus & indefeſſus.

XXXVI. Jacobus Denckinger ex Schönberg, oppido Superioris Sueviæ honeſta ſtirpe prognatus priùs officio Decanus, die 12. Novembris anno 1625. in Abbatem loci conſtitutus, & paulò poſt nempe die 6. Januarii in feſto Trium Regum anno 1626. Inſigniis Abbatialibus ſolemniter inauguratus, eodem adhuc anno cum Religioſis ſui Ordinis Confratribus ſeu Canonicis in Waldſee & Beuren intra unam eandemque Diœceſin

Constantiensem consistentibus, novam quandam Confraternitatem iniit, eamque juxta quædam specialiter observanda studiosissimè de posthac curavit; qui & brevi post ad laudatissimum Prædecessorum suorum exemplar antiqua Collegii sui jura ac privilegia authoritate Cæsarea restabiliri fecit, quod anno 1630. Ferdinandus II. Romanorum Imperator clementissimè præstitit; œconomum etiam & ædilem in utroque foro satis industrium se prodere cœpit dignissimus Abbas iste, dum nempè præter novum horreum affabrè & commodè satis inædificatum, ornatissimum etiam novum quoddam apparavit facellum Divæ Virgini sacrum, & ad Abbatiam suam undequaque magis illustrandam præter disciplinam regularem firmissimè stabilitam, etiam numerum Canonicorum Claustralium insigniter adauxit, nihilque non egit, multa & magna tota industria & ingeniô suô molitus. At ecce sequitur annus 1633. uti toti ac universæ Sueviæ nostræ, ita & Creuzlingæ tantùm non fatalis, copiosissimis lacrymarum imbribus justissimé deplorandus, dum nempe post solutam Urbis Constantiensis obsidionem, & jam undique dilapsis licet hostilibus Suecorum copiis S. P. Q. Constantiensis, nescio, quo zelo ducti an seducti, præfatæ Urbi suæ, ut ajebant, de futuro tutiùs servandæ celeberrimo Collegio huic Imperiali hostium latebris, ut tum putabatur, aptissimo, præter omnem spem & exspectationem violentas manus injiciunt, illudque cum cunctis reliquis structuris suis puta molendinis, hospitiis, horreis &c. ferocissimo Vulcani Ministerio ad terram prosternunt, non relinquentes in eo lapidem super lapidem. Forte maxima licet murorum & ædificiorum hujusmodi jactura utcunque æstimari potuerat, nisi simul omnis etiam suppellex tam sacra quàm profana, & œconomica inde fuisset deperdita; sed vel maximè hìc quoque deplorandæ veniunt ædes ille *Ackertbor* nuncupatæ intra muros Constantienses Creuzlingensium propriæ, & vel hinc æquè totaliter spoliatæ ac incineratæ, quæ tamen id temporis de speciali gratia & favore Reverendissimi Præsulis hujus Jacobi non tantùm ut Visitatoris, sed & verè Patris Religiosissimi pro congrua habitatione deservierunt Regularibus Canonissis Inzkoviensibus horrore belli Suevici mansione sua dejectis, atque isthuc loci deportatis verè miseris & exulantibus. Et quod res est, recensito hoc damno certè, ut videbatur maximo, adhuc tamen major, quia incomparabilis fuit amissio rei litterariæ, puta, documentorum sanè nobilissimorum, Bibliothecæ itidem perquàm insignis & instructissimæ: quibus accessit omnimoda desperatio ipsius loci tum recuperandi, tum amissa spes nova in eo propriis licet sumptibus ædificandi; hoc etenim minimè attento, ampliùs afflictis addita est afflictio, quando etiam amicissimi (ut tum videbantur) & priùs in Claustrali Refectorio quotidiani, nec unicam quidem, ab uno alterove Canonico Creuzlingensi instantissimè licèt efflagitatam concedebant pernoctationem; Abbas loci, quia sui eum non receperunt, cogebatur primùm apud leprosos quærere diversorium in privatis ibi, separatis tamen ædibus, nullo jactu lapidis à novo Collegio Creuzlingensi etiamnum extantibus, ubi verè Christi pauperes solùm cultui insistebant divino, qui subinde in *Bernkein*, tum in *Geisberg*, ac denique ad *S. Jodocum* unà cum Baptisterio ad commodum Parochianorum translatus est, donec postliminiò ad novam suam Ecclesiam Creuzlingensem remeavit. Anno 1634. Idem Jacobus Abbas de qualicunque interimica solùm mansione sibi suisque ubi tandem comparanda solicitus, ædes quasdam *Brechtenhoff* adpellatas (quas ei Prænobilis ac strenuus Dominus Joannes Conradus Precht quô cariùs nempe 2700. florenis, eò libentiùs vendidit) emptitiè comparavit; ad quas etiam Magistratus Constantiensis in prædicta area *Ackertbor* cognominata, omni superstructura penitus denegata, privilegia loci illius, ceu in noviter emptam transferri concessit habitationem. Et quia sub id ævi verè calamitosissimi periculum imminebat de censibus ac reditibus injuria temporum istorum quandoque pessimè supprimendis. Tabularium omninò novum anno 1635. industriâ Reverendissimi Præsulis istius Jacobi fuit apparatum. Venit paulò post nempè sub annum 1638. in partem qualiscunque refusionis authoritate Apostolica stabilita tota Riederensis Præpositura (de qua suo loco infrà) Abbatiæ Creuzlingensi pleno jure incorporata, Celsissimo ac Reverendissimo Principe ac Domino Domino Joanne Episcopo Constantiensi Commissario ad realem incorporationis hujus executionem Authoritate Pontificia Urbani VIII. specialiter deputato, quæ res felicissimè successit, dum præviâ memoratæ Præposituræ Visitatione convenienter institutâ, loci Præpositus Reverendissimus Dominus Bernardus ultrò resignavit, simulque in ejus locum & cum plenariâ potestate etiam in dignitatem subintravit Reverendissimus ac Amplissimus Dominus Dominus iste Jacobus noster idem ex nunc Abbas Creuzlingensis simul & Præpositus Riederensis, ut ita dicam, intitulandus, qui his aliisque piè & sanctè gestis quasi coronidem adjecit animum ad resuscitandum & ædificandum novum templum, Zelus enim Domûs Dei comederat virum optimum, ut in tempore cultum ejus promotum vellet & gloriam. Itaque commodum exquirens locum, illumque à sæpè memorata Urbe Constantiensi remotiorem extra teli seu bellici tormenti jactum (prohibitus structuram antiquis fundamentis in priori loco superimponere novam)

vam) vineam designavit admodum præstantem, ubi novum ædificium collocaret; quod cumprimis magnificum (prout hodiedum visitur) Deo juvante feliciter absolvit, templumque illius loci Ordinarius Celsissimus ac Reverendissimus Princeps ac Dominus Dominus Franciscus Joannes Episcopus Constantiensis &c. anno 1653. die 26. Octobris solemnissimè dedicavit. Anno 1659. sæpè nominatus Antistes noster Jacobus ab Illustrissimo Domino Domino N. Comite de Montfort omnia Jura in integrum recepit, quæ qualicunque titulo Advocatiæ prætensa & violenter occupata 5000. florenis in parata pecunia numeratis reddidit, dum anxius timuit sententiam in Curia Aulico Imperiali (ob tam præclara Abbatiæ hujus privilegia in contrarium allegata) noxiam sibi fore & fatalem; unde colligas velim, quàm carò vendant sibi gratis concessa Advocati, consultius igitur ut non advocentur. Tandem anno 1660. pientissimus iste Jacobus Abbas Therapeuta perfectissimus, & Villicus non iniquitatis, sed Religiosissimæ fidelitatis absolutissimus ærumnis, molestiis, adversitatibus, difficultatibus, & temporibus tristissimis, gravissimis, iniquissimis, & longissimis 35. scilicet annorum, constantissimè simul ac patientissimè toleratis & exantlatis, probatusque per omnia requievit cum Patribus suis ipso festissimæ Dedicationis Anniversario die 19. Sept. Dom. 18. post Pent. in prædio suo Hörlin, ubi post mæstissimum totius Collegii sui excidium per aliquot annos sedem suam posuit, cujus charitatem in omnes omnino beneficam, mansuetudinem planè mirabilem, patientiam heroicam, & victricem, cæterasque virtutes omnes quasi in unum confœderatas collaudabunt Posteri in terris, haud dubiè coronatas in cœlis.

XXXVII. Augustinus Gimmi natus Constantiensis prætacto anno 1660. die 4. Octobris in Festo S. Francisci Confessoris per Canonicam Electionem in novo templo Creuzlingano juxta tumbam Reverendissimi piissimæ memoriæ Præsulis Jacobi cereis ad parentalia etiamnum durantia ibidem ardentibus institutam, potioribus Capitularium suffragiis in Abbatem nominatus, & de more solemniter proclamatus, Vir ex asse probus, doctus, mansuetus, mitis in omnes, & humilis corde, laudatissimi Prædecessoris sui vestigiis per omnia solerter inhærendo, quæ ipse studiosè plantavit, is sedulò rigavit, & Deus feliciter incrementum dedit, quo Creuzlinga inde recepit fructum non tricesimum, aut sexagesimum, sed verè in omnibus centuplum. Sumpsit autem Religiosissimus Antistes iste auspicatissimum totius regiminis sui à Jove, ùt ajunt, principium, dum nempe cultui divino strenuè propagando nihil prius habuit, eique firmiter stabiliendo numerum Canonicorum suorum Claustralium in id successivis vicibus insigniter adauxit, disciplinâ Canonicâ sanctè plantatâ & confirmata, Ascesin optimam & perfectissimam eos edocuit; tum altioribus etiam scientiis præclarè satis imbutos suis (quos longè latéque dispersos habet plurimos) subditis & Parochianis ad salutem ipsorum pro posse juvandam in Pastores dedit & quæstores animarum, quibus tamen omnibus superior ipse, quasi vigilantissimus Argos incessanter invigilavit, & sacra pertinacia quævis Ecclesiæ suæ Jura constantissimè defendit integra & illibata, uti cum laboribus non tam arduis quàm plurimis, ita & sumptibus haud sine maximis & fere continuis; quibus adde Zelum etiam in materiali Domûs Domini ædificatione à Reverendissimo Cœnobiarcha isto probè demonstratum; hujus enim vigore & industriâ templum Creuzlingense suprà nominatum à Jacobo Abbate Prædecessore illius proximo noviter ædificatum, de post sacris omnis generis cimeliis quà rarissimis, quà pretiosissimis mirificè & ad stuporem omnium fuit exornatum, quæ inter recensemus hic etiam corpus S. Leontii Romani Martyris. Nec minor apparet majestas Religiosæ habitationis Canonicorum Creuzlingensium, & omne reliquum Collegii hujus verè celeberrimi ædificium longa & conspicua serie tribus contignationibus, & (uti vocant) concamerationibus suis gratissimè distinctum, forma sua undique quadratum, sed & amplissimis illustratum fenestris, per quas omni ex parte placidissimus dies sese ingerit; unde liberrimus quasi in immensum quàm longus latusque Bodamicus Lacus est, & totum amænissimè spectandum circum circa Regionis Acronianæ simul, & Helveticæ theatrum, protenditur oculus & aspectus verè jucundissimus. Præter recensita præstantissimum sæpè nominati Præsulis hujus genium singulariter etiam commendat illustris œconomia cunctis integerrimè probata, qua non tantùm ipse hactenus quoad clavum sedit, æs alienum licèt admodum grave & numerosum ad novissimum usque quadrantem omnino diluit, sed & census ac proventus annuos illustriores reddidit novis allodialibus in *Neuenborn*, *Rickenbach*, *Studergutt &c.* magna pecuniarum summa providentissimè coëmptis. Discessit tandem Augustinus Præsul Optimus Maximus meritis plenus, & immenso sui desiderio, passim apud omnes post se relicto anno 1696. die 19. Octobris.

XXXVIII. Melchior Lechner, Mindelheimensis Religiosæ Professionis anno 18. ætatis verò 47. Prædecessori suo Augustino Canonica electione suffectus 27. Octobris

anno

anno 1696. cujus regimen ex adversis, qui improviso acciderant, casibus, contrarium omnino fuit omini, quæ cæperat. Nam principium ejus plenum fuit litibus, ab Advocatis Collegii contra Electionem Viri, sacris Infulis longè dignissimi, diversimodè motis; quibus tamen sedatis plena pace fruebatur Collegium, adversarios quosvis compescente, suavissimo prudentissimi Præsulis agendi modo; quo tamen nota Adversantium ambitio sola se sopiri passa non erat, proprio deinde suo malo meliùs sapere docta, anno 1706. coram Auditore Cameræ Apostolicæ. Cum aliis incrementis, quibus sub hoc Abbate Collegium Creuzlingense auctum est, accrevit etiam Canonicorum numerus usque ad 32. qui usque hodie conservatur. Obiit autem laudatissimus hic Abbas post undennale regimen. Anno 1707. 13. die Septembr. dum valetudinem suam in Parochia Hoblach Curiensis Diœcesis Collegio incorporata curare volebat, apoplexia tactus, sepultúsque est Creuzlingæ, cui successit

XXXIX. Georgius Fichtl Landspergensis 28. Septembris anno 1707. electus, Vir melioribus & tranquillioribus temporibus quidem dignissimus; ea tamen hactenus Virum suum experta sunt: nam licet post obitum Antecessoris Adversarii, turmatim quasi, Collegium, ejusque jura involarint, unus tamen omnibus hactenus par erat: videtur certè singulari Dei Optimi Providentia hoc tempore de tanto Viro prospectum fuisse, qui utraque manu gladiis armatus (quod est ipsius insigne nativum) propulsandis hostibus aptus esset. Disciplinæ regularis Zelator eximius, insuper utroque molendino in Geissberg reparato, latius item extructo opere gypsio, & picturis illustrato ibidem sacello, porro conjunctis auro gemmis, & unionibus pretiosissima Exornatione & publicæ venerationi de an. 1725. 6. Junii expositione Zelosissimi ibidem Parochi Laur. Laux, & Pontificia Clem. XI. Authoritate utriusque Pacti, & Confraternitatis S. Ursulæ, & Soc. hodiedum florentissima devotione &c. tam illustris, quam de Superis & Oeconomia domestica meritissimus; prudenti verò sui temporis litium, & Causarum felici instructione, extinctione, & notæ Concordiæ de an. 1718. 3. 5. 19. & 29. Decembris compositione multo illustrior hic Abbas, in lecto mortuali, quo annis 15. serius Decano sui temporis Conrado Fessler miræ pietatis, & scientiæ viro ultimum decubuit, faustissimo augurio prædixerat: suum in locum paulo post instantem sibi mortem, ac decessum præ cæteris sui ævi Clarissimis viris Con-Canonicis inaugurandum iri Præsulem Successorem Pacificum, cui Nomen est à gratia insigni.

XL. Joannes Baptista VI. Danneger, Rottwilanus, orbi natus 24. Junii 1682. Collegio devotus 16. Januar. 1707. Sacerdotio inunctus 4. April. 1708. ex Locum-Tenente Riederensi ad Infulas promotus 25. Aug. 1725. Rieder. Præpositus IV. Omnibus in, & de Electione Reverendissimi hujus Antitistis congaudentibus, Is solus uberrimas inter Lachrimas necdum consolari, verùm etiam Pedum, Mitrámque suscipere eò usque constanter noluit; donec in virtute S. Obedientiæ acquiescere tandem Electoribus suis coactus, seriò quidem, fuerit; sed bis etiam abinde eò iterum se abdicare frustra tentarit. Rebus dein memoratioribus initium fecit placido in omnes Regimine, novarum Constitutionum Domesticarum erectione, latiore Collegii structura, crematæ funditus 16. Jul. 1740. Præposituræ Riederensis gloriosa è cineribus resuscitatione, Pactis Ravenspurgicis, Sacelli in Winterbach, Tusculi in Reichenau, magnificæ Domus Parochialis in Guttingen, alterius, una cum horreo novo in Rottenburg, Buechhorn, Hirschlatt, Molendini in Wilhelmskirch, horrei magni in Schooder &c. è fundamentis extructione. Regalium porrò Hirschlattensium de 1750. comparatione, & plusquam centenariæ controversiæ, puncto Collectationis Imperialis ibidem jam ab, & ante 1650. usque ad ann. 1753. continuatæ (cum annua subditorum ultra 600. fl. mitigatione certa, & debita) radicali extinctione; remisso hunc in finem per Oeconomum suum domesticum ad repurgandum, dedolandúmque ocius ea, quæ merito huic displicuerant, I. & II. Conferentiæ Instrumento, Signatura duplice jam munito. Peristylii insuper crate ferrea 15. pedibus alta conclusi, & à solario usque ad hortum domesticum exporrecti positione, lacus majoris sesqui latiore effossione, novorúmque aggerum constructione; percommoda quorundam agrorum, vinearum, pratorumque remotiorum cum vicinioribus commutatione. Fontium præterea domesticorum tam solerti scrutatione, & recenti inventione, quàm utilissima, aquæ ductuum missis remotioribus, è vicina propriæ Jurisdictionis scaturigine, scatebrisque ad molendina, & Collegium directione, multisque aliis quæ hujus folii angustiæ non capiunt, magnificè præstitis, tam rei familiaris emolumenta, quàm splendorem illius plurimum adaugendo. Sed in primis etiam Decorem Domus Dei maximè illustravit, binis ex argento puro cum deauratis fimbriis novissima arte confici jussis, 4. pedum altis statuis S. S. P. N. Augustini & Patroni Ecclesiæ Udalrici Ep. Imaginem referentibus, Altare summum exornando, cætera autem ferrea, ac deaurata tam eximiæ altitudinis,

quàm

quàm insolitæ latitudinis craticula in nave templi posita simul præmuniendo; Ipsam verò suppellectilem sacram quadruplice completi numeri, pretii, artísque vestimentorum Pontificalium integro Ornatu condecorando. 1. Albi coloris acu phrygia in tela serica, & argentea 1741. Ynzkhofii picto. Altero ejusdem coloris ex attalico textili diversæ speciei floribus aureis, argenteisque filis artificiosissimè interjecto. 3. Coccinei ex panno Lugdunensi pretiosissimo sericis, aureis & argenteis floribus intexto 1753. Constantiæ confectis. 4. Hirschlatii ex panno holoserico nigri coloris cum argenteis columnis, & limbis aureis anno 1754. elaborato. Pluribus aliis jam antea peregrè coemptis diversæ tincturæ, & summi pretii Casulis sigillatim spectatis tam opere phrygio, quàm ex aurea & argentea tela confectis, hic non in calculum adductis. Anno 1745. Initio Mensis Aprilis ad supplices P. R. P. Mauritii Cardon Collegii S. J. Constantiæ Rectoris Reverendissimo nostro datas literas, queis lamentabundè conquerebatur 1. injuriam à malevolis quibusdam urbis Senatoribus sibi, & Collegio suo, à Præsidiarii militis Gallici aliàs satis exhausto exactionibus, inde noviter illatam, quod ii Patres Societatis 7. Pagorum in terris Imperii opulentissimorum possessores Gubernatori civitatis Marquis de la Ravoye audacter imponendo, asserebant. 2. Quòd hominem non inveniat, pro se apud Gallos novam ea propter contributionem 700. fl. exigentes intercedentem, & errorem Causæ injustissimæ tollentem &c. &c. Insignis idcirco præstita Ei à Reverendissimo Præsule nostro gratia fuit, invitato per archimagirum suum ad epulas supremo Commeatus bellici Præfecto Domino de Cheneviere Commissair ordonnateur, nec non hujus post suum ad Copias regias Heidelbergam abitum in officio Successori Mr. de Poultier sublato adversæ opinionis errore patheticè persuadendo: Eosdem Patres Societatis non nisi pauperrimi Pagi Lynz dicti, vel potius unius tantum villæ per transitus militares, & stipendia annua Cassæ Imperialia debita exhaustæ possessione frui &c. &c. quibus per testem omni exceptione majorem, Hospitémque aliàs sæpe gratiosissimum auditis, impositos præfato S. J. Collegio 600. fl. illicò remisit, & subscriptione sua plenipotentiaria remissis cæteris, 100. fl. duntaxat exegit. Summis desuper à præfato P. Rectore, & ipso Germaniæ Assistente Romano Tschiderer per litteras gaudio refertissimas Reverendissimo D. D. Oratori suo gratiis actis.

Anno 1751. initus cum Monasterio Salemitano, & Excellentissimo ejusdem Abbate Anselmo Castelli, seu Tusculi nostri ad lacum Neuhorn dicti per se, suósque belli temporibus inhabitandi Contractus Locatorius fuit ad annos 68. ætatem videlicet Reverendissimi Præsulis nostri tunc actam, continuandus cui cum reliquis filiis nos etiam Nestoream ætatem adprecamur. Atque hic, benevole Lector, meritissimi hujus Præsulis typo expressam Imaginem à religioso quodam ejus filio ad vivum depictam vides, cui eosdem versus hic subscribimus, qui Ejusdem æri incisæ Iconi subjecti sunt:

Hinc felix Creuzlinga tuum cognosce PARENTEM,
Quem Rottvvila tibi, Relligioque dedit
Præcursoris habens omen, cum nomine, præstat
Quæ jubet; Exemplo prævius ipse suo.
An PATREM cupis, aut FRATREM, MATREMVE videre?
Si lubet, effigiem hanc inspice, cuncta vides.
PRÆSULIS ùt vultum, si gesta, animúmque tabella
Exprimeret; nusquam pulchrior illa foret.
Sed quid enim Ars speret JOANNEM effingere? virtus
Quem sibi divinâ finxit, honórque manu.

Viri Illustres & præstantes.

R. D. *Theodoricus Nett* Canoniam Creuzliganam, teste etiam Joanne Chrysostomo Hager *de Scriptoribus Ordinis Canonico-Apostolici*, multiplici scientia ornavit: excelluit enim in scientiis Philosophicis & Theologicis Posteritati transcripsit

Res gestas Imperialis Canoniæ Creuzlinganæ ejusdemque Privilegia.

 R. D.

R. D. Casparus Freyberger post Collegium Creuzlingense in cineres redactum & centum & quadraginta sex annorum carentiam atque rescissam ad instantiam Emishofensium anno 1641. mutationem, seu conventionem Parochialem Parochiæ curam pro Constantiensi suburbio *Stadelhofen* insigni Zelo gessit, habitans summa cum patientia in ædibus *Akberthor* utcunque reparatis. Scripsit & sedulo annotavit, quæ in obsidione Suecica in ejus conspectu circa ruinam Collegii fuerunt acta usque ad annum 1652. Stylo quidem pressiore, eò tamen fideliore, quod ocularis testis omnium miseriarum fuerit, quem, utinam! in similibus calamitatibus imitarentur plures. Pretiosa semper Posteritati hujusmodi scripta fuêre.

Rmus. DD. Augustinus Gimmi ornatus Creuzlingana Infula de quo supra in Catalogo Abbatum numero XXXV. *Optimi maximique* nomen à posteritate religiosa meritus, Idiomate Italico ceu vernacula lingua usus est. Reliquit manuscriptum opusculum,

De oratione mentali & cognitione sui ipsius

Italico idiomate pro privato suo usu conscriptum, quòd Conradus Fessler, de quo mox plura, tam nitore scriptionis, quàm spiritu prorsus singulari auctius reddidit. Publico prælo nondum est commissum, sed asservatur inter MSS. cimelia.

R. D. Gaudentius Oth, Vir doctissimus, præsertim Juris Canonici peritia insignis. Præstans Oeconomus. In causa Parochialis Ecclesiæ Hirschaviensis plurima scripsit. Laudatissimo Reverendissimo Præsuli Augustino charissimus, qui nedum singula Ejusdem manuscripta collegit, sed insuper subjuncto communiter elogio ornavit: *Opere, labore, & honore R. P. Gaudentii Oth.*

R. D. Franciscus Walder, Collegii hujus celeberrimi olim Senior, & in officio Custos & Bibliothecarius, qui circa annum Domini lingua vernacula edidit librum de Origine Ordinis Cann. Regg. & Vitis Sanctorum, per seriem à Summis Pontificibus ad infimum usque Clericum deductam, cui titulus:

Hierarchicus Hortus Paradysi.

R. D. Joannes Stirm, Parochialis officii suo tempore Administrator Zelosissimus, unde & pro sua in Catechizandis rudibus experientia typis vulgavit Librum Cathechisticum non una jam vice recusum; & ne extraneis solum prodesse velle videretur, scripsit quoque alium, quamvis forma compendiosiore, libellum, Juniorum Canonicorum instructioni perutilem. Tituli autem sunt sequentes:

Christliches Lehr-Büchlein, in welchem alle einem Christen zu wissen nothwendige Stuck in kleinen und leicht verständigen Unterweisungen vorgetragen werden. &c. Item

Regula S. P. N. Augustini; cum instructionibus ad perfectionem conducentibus.

R. D. Conradus Fessler, Decanatûs officio laudabiliter exacto, continuisque studiorum laboribus aliquot primum abhinc annis piè immortuus, præclaros quidem, eósque complures reliquit ingenii planè fæcundi partus, ex quibus tamen duo tantum typis publicis prodiere, videlicet

Ethica Christiana pro ordinanda Negotiorum humanorum Oeconomia, Cœnobiis, Templis, Officialibus inserviens, ex S. Scripturæ textibus, sententiis SS. Patrum, & probatissimorum Authorum Historiis concinnata &c. &c. 4. *Constantiæ apud Joannem Adamum Köberle anno* 1697.

Cælestis Gloriæ Adumbratio, sive de Summo Bono, & futura Hominis Beatitudine, tum essentiali, tum accidentali, Tractatus Asceticus è S. Scripturæ, SS. Patrum, probatorúmque Doctorum textibus & sententiis concinnatus; 4. *Constantiæ apud Joannem Adam Köberle anno* 1701.

R. D. Sebastianus Pfau, & is quoque Decanatûs officio pridem laudabilissimè perfunctus, compilavit opus Asceticum, usque modo in locupletissima Creuzlingensi Bibliotheca servatum, cum titulo:

Speculum

Speculum Spiritualis Pulchritudinis, Amatoribus S. P. Augustini in sua Regula ejusdem Canonicis Professoribus inspiciendum, ac imitandum propositum: nunc in ordine ad informandos dicti Instituti Novitios per modum Meditationum, ac desuper durante Tyrocinio instituendarum Exhortationum uberius expositum.

R. D. *Bruno Müller*, Constantiensis, Reverendissimi S. R. I. Præsulis Salemitani Constantini Vicarii Generalis, & Abbatialis in Suevia Collegii Condirectoris, nec non Joannis Michaëlis Civitatis Constantiæ Senatoris uterinus Frater, & maximæ spei Vir, à prompta etiam resolutione practica, astuque laudabili, quo funus Reverendissimi Præsulis nostri Melchioris, piæ memoriæ sub Vicaria sua Parochiali Koblacii pridie morte repentina ibidem defuncti, intempesta nocte clam feretro & plaustro vulgari illatum, & nemine præter Secretarium, & aurigam Joan. Madlener conscio 17. Cal. Octob. 1707. Fussachium, atque inde lacu sub litro communi, prælata Cruce Pectorali, Præsulem fingens Creuzlingam transtulit, in primis clarus, & commeritus; stupentibus, ringentibusque in portu nautis realis antea victuræ penitus ignaris. Ipso dein post gestas, communi suarum ovicularum Satisfactione, ab an. 1702. vices parochiales in Koblach, atque etiam dein ab an. 1708. Wilhelmskirchii an. 1728. vita functo anno ætatis 51. S. Professionis 29. Sacerdotii 27. multis utrobique laudabiliter, utiliterque præstitis, ibi nimirum Vineæ domesticæ comparatione, ac plantatione, hic autem horrei novi extructione, ædiúmque Parochialium reparatione.

R. D. *Theodoricus Prinz*, natus Vohenstrusii Palatinatus Junioris, mixtæ Religionis oppido, & finibus Bohemiæ contermino 1681. Profess. 1702. Sacerd. 1707. Vir & gravitate morum, & profunditate Doctrinæ, & Orationis amænitate & quatuor linguarum usu græca non computata, omnino clarissimus. Thesium etiam publicarum gloriosissima Defensione, & aliarum propriæ editionis Theologicæ magnifico Præsidio illustrissimus. Plura in ejus commendationem prorsus singularem etiam, me tacente, loquuntur diversæ, ac multiplices R. P. Claudii Colombiere amplissimi Operis Concionatorii in folio, ejusdemque Epistolarum 2. Tom. in 8. R. P. Claudii Joli Seel-eyffriger Buss-Predigen. R. P. Girouft, Sünder ohne Entschuldigung. Adventual. & Quadragesimalis 2. Tom. in 4. R. P. Cachet Eckel und Grausen ab der Sünd &c. ac denique etiam Reverendissimi D. Volpiliere Prædicatoris Cathedr. Clermontii 2. Tom. in 4. excubia plerumque nocte lucubratæ versiones, & à genuino iisdem servato Spiritu, & ab inaffectato, quo illas reddidit nitore calami, ipsorum Originalium à me ipso his sæpe oppositorum Testimonio, & communi Judicio, applausúque commendatissimæ. Post actam denique in Collegio suo annis pluribus S.S. Theologiæ Professuram, gestásque maximo zelo diversis in locis Riederæ, Guttingæ, & Hirschavii ad Niccarum iterato vices Pastorales, labores ejusdem summopere meritorios, cæloque satis maturos, Lachesis tandem abrupit 1728. in flore ætatis 47. Cujus memoria hodiedum apud Dilectos suos Hirschavienses, qui propriis impensis magnificum ei tropæum, saxúmque sepulchrale statuerunt, in sancto Desiderio, & Benedictione est.

R. D. *Patritius Huebler*, piissimis, honestissimísque Parentibus Creuzlingæ natus 1690. S. Professione Deo dicatus 1710. aris devotus 1715. ab unguiculis pene cor gessit senile, raro dein Spiritu, & continuo Religiosæ Perfectionis studio Vir, miræ puritatis, innocentiæ, & humilitatis Exemplar, ut nemini obesset, sed omnibus prodesset, vel sine bile natus, vel sui, & passionum suarum perpetuus victor, invictissima erga omnes uti lenitate consuevit, ad nutus superiorum, fratrúmque officia promptissimus; in iis etiam, quæ Spiritum, & Doctrinam Asceticam, Theologicámque spectabant, excitatissimus æquè, ac illuminatissimus, primo Juniores in scientiis altioribus instituendos suscepit, eosque Theologiam ad Angelici Doctoris, quem ipse moribus adhuc vivus expresserat, normam, & methodum docuit, publicisque Thesibus semel, iterúmque defendit. Imbuendis dein ascetica Doctrina Tyronibus Ordinis admotus, genuinam virtutis, & sanctitatis se ipsum Prototypum & opere, & scriptis exhibuit: relucente etiam admirabili ejusdem ex impressis an. 1728. cum redactis in folia privata Considerationibus &c. Exercitiis Spiritualibus octiduanis; Itemque practicis S. Regulæ, & Instituti Canonici Illustrationibus, Examinibúsque profundissimo Spiritu. Regendis porrò in Riederensi Parthenone sacris Virginibus, & Canonissis nostris admotus, mirum est, quanto zelo simul, ac Discretione ad perfectiora eas manuduxerit, promoveritque. Ex sacra demum obedientia, & tempestate satis inimica inde Hirschavium in graviter ibidem decumbentis Parochi ordinarii Prosperi Zeiser Concanonici nostri subsidium missus, fracta sanitate Creuzlingam redux assueto iterum zelo, pietatisque æmulatione Novitios ibidem Ascesin docuit, sed mox aliquanto post necdumque completo Tyrocinii anno, Beatorum visurus exempla, quorum ipse vitam egit in terris, Hydropisi vitam absolvit.

R. D. *Augustinus Tregele*, 13. Maji 1695. Nereshemii prope Nördlingam urbecula natus, 13. Oct. 1716. Prof. 25. Maji 1720. Sacerdotio initiatus, post plures Doctrinæ, ac Professuræ Theologicæ, ac dein etiam Exercitio Curæ animarum Hirschlatii annos strenuè impensos; inde ab anno 1738. Fer. VI. post Festum S. Martini Episcopi, ob præclaram artis geometricæ peritiam, quâ singulos suæ dimensionis agros, fundos, limitésque accuratâ lineâ in mappas geographicas interjectis particulatim coloribûs distinctas jam redegit plurimas, rerumque veterum indagandarum impigram solertiam Feudorum, Renovationis officio antehac insolito admotus indefessô eidem studiô, & meritô singulari hodiedum laudabiliter insudat.

R. D. *Laurentius Laux*, natus Creuzlingæ, ex Patente Collegii hujus Archi-Præfecto 4. Idus Julii 1685. Vir Nestoreæ eloquentiæ. Votis solemnibus Deo mancipatus est 1704. Post absuluta Ingolstadii Juris utriusque studia duosque à suscepto 21. Septembris regali Sacerdotio annos, Curæ animarum Horgenzellæ, in qua hodiedum bonus Pastor post liberam Decanatus (ad quem anno 1727. communibus Capitularium suffragiis suffectus fuit) resignationem desudat, admotus est, cujus Zelo & opera florentissima ibidem per Sueviam, Rhætiam &c. S. Confraternitas, Pactumque duplex S. Ursulæ & S. MM. VV. ab anno 1715. ortum, splendoremque debet. Ex Idiomate Gallico in Vernaculum elegantissimè transtulit in X. Tomis P. Joannis Le Jeune Opera. Sexduplex Quadragesimale R. D. Volpiliere. Item Dominicale & Adventuale R. D. Abbatis de Brekeville. Necdum tamen calamo suo ferias indixit in Senectule sua venerabili, sed strenua manu vitæ suæ agonem reddere adhuc magis gloriosum indies conatur.

R. D. *Georgius Heiss*, Weissenhornii, Ditionis olim ante 1724. Hypothecario titulo Fuggeranæ oppido natus anno 1697. Professus 1716. sacris Ordinibus decoratus 1721. Tam grata morum Suavitate, quàm Discretione Spiritus exteras æquè suæ Curæ Pastoralis oviculas, ac suos in schola virtutis Alumnos mirè pellexit, direxit, & fronde exhibita quaquaversum ad meliora inflexit, ultra omnem Styli expressionem clarissimus. Eximius Poeta, & rara combinatione magnus Orator, & verè in Spes maximas natus, si vires, & vita prolixior suffragata votis fuisset. Sed quia acceptus erat Deo, necesse fuit, ut tentatio Eum probaret, ac ipsa denique mors, qua consummatus in brevi, eóquè excellentissimo virtutum omnium compendio explevit tempora multa an. 1736. in suorum tamen Confratrum, ac Discipulorum gratis pectoribus, in iis autem præcipuè, quæ ad Asceseos, & Philosophiæ Doctorum auxilium à se ipso inventa, & practico exercitio conscripta reliquit, nunquam moriturus.

R. D. *Martialis Endel*, è Civitate Rottwilana, ejusdemque Statûs militaris Capitaneo natus 23. Jan. 1707. Creuzlingæ Professus 19. Novemb. 1724. in Presbyterum ordinatus 23. Sept. 1730. post semel, bis, & amplius, cum publicarum etiam Thesium applausu, repetitum Theologiæ Cursum, simulque domi, forisque Hirschavii nimirum, & Hirschlatii gestas laudabiliter Parochias, hodiedum quarta Riederæ eximio cum Zelo perfungitur; è publica insuper A. R. P. Senault Sermonum panegyricorum nimirum edita Versione, orationisque Partium, in ipso fonte latenter duntaxat, & obscurè tantùm reperiundarum clariore expressione notissimus.

R. D. *Ignatius Schmider.* Virum hunc Scientiis & Virtutibus Religioso homine dignis ornatissimum, & de celeberrima hac Canonia optimé meritum, meritò Præstantioribus suis Sodalibus accenseo, qui *Boni Pastoris Idea* nuper edita sese omnibus Ecclesiasticæ & Apostolicæ eloquentiæ amatoribus egregiè commendavit. Pro continuatione præsentis Catalogi ELENCHUM CHRONICUM RR. DD. S. R. I. PRÆSULUM CREUZLINGENSIUM à se laudabilissima industria & eruditione conscriptum mecum, humanissimè communicavit, cui publicas & decentes gratias hic admetior.

CRUCELENSE.

Seu sanctæ Cruci Dominicæ dicatum Congregationis Windesimensis Parthenium Cænobium vastissima illa Diœcesi Leodiensi comprehensum, propè Huyum Oppidum usque modo spectandum; de quo tamen nobis vel invitis haud ampliùs constat, præterquam quòd illud sub decursum superioris sæculi decimi sexti Rectorem in spiritualibus habuerit lucidissimum illud memoratæ Congregationis Sydus Martinum Lipsium Justi Patruum, Monasterii Lovaniensis in Brabantia Canonicum Regularem Professum, cujus ingenium, pietatem, ac eruditionem Aubertus Miræus in Elogiis Virorum illustrium sui Belgii nec non in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 67. sic commendat. Martinum Lipsium civem meum, à se & Justo Lipsio Clarissimo Viro, cujus Patruus major fuit,

fuit, celebrem, si prudens præteriero, improbus sanè, si imprudèns, negligens meritò videor. Fuit in hoc Viro multiplex eruditio, exacta linguæ tam græcæ quàm latinæ cognitio, sacrarumque rerum haud mediocris intelligentia. Illud verò solidæ pietatis ac virtutis specimen fuit, quòd fallaces hujus vitæ spes secum reputans, mente divinitùs monitâ, vitæque ratione conversa, ambitioni urbis Aulicæ Bruxellensis, in qua honesto loco natus erat, se subtraxit, & divino cultui se totum mancipavit, in famosum sub D. Martini patrocinio Canonicorum D. Augustini Lovaniense Cænobium velut in portum se recepit. Hic in Bibliothecam se abdens, Macrobii, Hilarii, Augustini, Hieronymi, aliorumque veterum Scriptorum opera cum membranis comparando, eadem mirificè illustravit. Cromatii etiam homilias & Symmachi Urbis Præfecti Epistolarum libros in lucem donavit. Post ut erat singulari prudentia Sodalibus suis præfectus, in mediis etiam muneris sui curis molestiisque nullam animo requiem dedit, neque suis duntaxat laboribus Reipublicæ prodesse statuit, sed & discipulos, in iis Garetium, Latomum, Costerium, Ulimerium, qui in eâdem benè merendi Palæstra diu multumque sudarunt, eduxit. Ætate gravis Crucelensibus agri Leodiensis, apud Huyense oppidum, sacris Virginibus Cænobiarcha datus, eximiâ morum innocentia complures annos præfuit, ibique cum veteribus amicis, id est, libris assiduè versatus, placidissima morte pius Senex è vita excessit anno 1555. die 24. Martii. Canonici Regulares S. Martini Lovanienses hoc illi monumentum posuerunt.

Martinus Lipsius Bruxellensis Vir egregiè doctus, & qui perpetuò studiis, quibus & immortuus est, incubuit, in castigandis veteribus Authoribus usque ad extremum Spiritum insudans. Testantur id opera Hilarii, Augustini & aliorum multorum ex ipsius recognitione edita. Testis est ipse Macrobius cum Symmacho ab illo castigatus. Fuit præterea Vir iste Erasmi Rotterodami amicitia & scriptis Epistolis satis clarus. Præfuit Monasterio Crucelensico cum multo ipsius Cænobii fructu. Moritur anno 1555. *Martii* 24. *ibi honestè sepultus.*

Sequuntur deinde hi versus sequentes.

Squallida multa situ veterum monumenta jacebant,
Abdebatque sinu Bibliotheca suo.
Eruit è tenebris, & castigavit utrque
Lipsius, *antiquum restituitque decus.*
Sic par conditio est, Martinum *sacra decebant,*
Justus *Romanam reddidit historiam.*

Porrò Petrus Suffridus in præfatione de Viris illustribus refert, eundem Martinum Lipsium opera Hieronymi & Ecclesiasticorum eruditè fuisse commentatum. Addit Valerius Andreas Dessclius in sua Bibliotheca Belgica, Martinum Lipsium Joannis Custodis Grammaticam retexuisse Typis Plantinianis in 8. Verùm de Operibus Martini Lipsii plura apud Antonium Possevinum in Apparatu sacro Tomo secundo.

Littera D.

DACHSTEINIUM. (aliis Tachsteinium)

Alsatiæ inferioris Oppidum, sub Diœcesano limite Argentoratensi positum, idque spectans ad Reverendissimum ac Illustrissimum Capitulum Cathedrale Argentoratense, Superiori ætate antiquitus venerabile quoddam Cœnobium habuit, primùm Regularibus Canonicis Augustinianis addictum, subinde verò ad Monachos Benedictinos translatum, atque hoc ipsum tandem iniquitate temporum, & calumniis hæreticorum omninò suppressum, cujus olim primarius Author & Fundator fuit Joannes ex Baronibus de Liechtenstain Argentoratensis Episcopus numero (juxta calculum Jacobi Wimphelingi in Catalogo Episcop. Argent. fol. m. 52.) septuagesimus, electus anno 1312.; idem postmodum anno 1365. terris demortuus; De quo eodem fundatore Bernardus Herzog in suo inferioris Alsatiæ Chronico lib. 4. fol. 97. vel paucis ita scribit: *Er machte auch zue Dachstein ein Closter oder Stiifft mit Thumb-Herrn S. Augustini - Ordens.* Et sic ille; magno sanè antiquæ Regularitatis Augustinianæ (vel olim in Cathedralibus Ecclesiis usurpatæ) argumento. Item idem Wimphelingus de eâdem fundatione in Confirmationem dictorum ita refert: *Cœnobium in Dachstein, in quo Canonicos Regulares sub divi Augustini Instituto*

Christo militantes collocavit (Joannes Episcopus antedictus subintellige) *ab eodem ipso fundatum est, atque erectum, quos tamen Lampertus ejus Successor* (ante susceptum Episcopatum professione sua Monachus Benedictinus & Monasterii Gengenbacensis Abbas) *paulò post ejiciens in diversa loca assignatis tamen emolumentis dispersit, in eum locum ex clivo Superiori quem* STEGGAM *appellant in Montanis Zaberniæ & Mauri Monasterio finitimis &c.*

DAELHEIMENSE.

Peregregium Congregationis Windesimensis Monasterium SS. Petro Apostolorum Principi, & Antonio Ægyptio Abbati dicatum in Diœcesi Paderbornensi ad *Campum* vulgò *Sendfeldt* situatum, sub regulari disciplina Canonico-Augustiniana hodié florentissimum, secundùm primogenium & progressum suum Religiosa sedulitate descriptum, novissimè transmissum est ad nos juxta tenorem sequentium: Ex pervetusto Chronico Daëlheimensi, post tot bellorum injurias miserè corrupto, superest fragmentum quoddam alicujus Anonymi, ex humilitate quidem nomen suum subticentis, fide tamen dignissimi, ex quo deducitur, Canoniam hanc primitùs fuisse Monasterium Monialium, probabilissimè sub Regulâ S. P. Augustini Deo servientium, quod quidem, quo anno cœperit, & quot annis steterit, planè nobis est incognitum, nisi quòd probabile sit, Monasterium fuisse perantiquum. Probant id verba prædicti Chronographi, quæ sequuntur.

Sciendum igitur, quòd hic locus, ubi stat antiqua Ecclesia, fuit per aliquot centenaria annorum Monasterium Monialium, cui Monasterio conjuncta fuit, ùt olim dicebatur, Villa, nunc meliùs Pagus *Daëlheim*, in qua villa diversi Nobiles circumjacentes habebant proventus & decimas suas, super quibus ipsi subindè more illius sæculi inciderunt in graves dissensiones, in tantum, ut non raro in odia, rapinas, exspoliationes, & mutuas etiam cædes proruerent: quibus malorum tempestatibus involuta non solùm Villa *Daëlheim*, sed & illarum injuriis non raro afflictum fuit Monasterium Daëlheimense. Unde & contigit, quòd sæpe dictum Monasterium præter diversas exspoliationes, & alia mala, etiam tribus diversis vicibus igne absumptum fuerit in tantum, ut & in ultimo incendio tres Moniales perierint. His malis, quibus etiam fortissimus quisque frangeretur, etiam afflictæ Moniales pro posse & nosse, suum sibi locum exquirentes, locum hunc relinquere coactæ sunt. Mansit igitur Locus hic in tempus immemorabile planè desolatus; quamdiu autem in tali statu hic locus fuerit, minimè constat. Quòd autem ad non breve tempus, & (ùt minimum putamus) per unum sæculum taliter desolatus perstiterit, patet ex eo, quòd adjacens campus *Sendtfeldt*, qui fertilissimus olim ager fuerat, non nisi vepres, spinas, justæque Magnitudinis arbores, & quercus protrusisset. Nam & in antiqua illa Monialium Ecclesia intra muros, quos flamma vorax reliquerat, arbores ædificandis domibus servire capaces excreverant. Unde locum hunc magis speluncam latronum, & receptaculum ferarum, quàm Religiosorum habitaculum dixisses. Miserandam super hanc faciem Vallis olim tam amœnæ & Deo gratæ Miserator oriens ex alto movet corda fidelium sibi devotorum; reducit ipsis ad Cor faciem prioris & moderni Syonis, ut videant, & recogitent, quid agatur in Domo Dei: fuerunt autem hi: Prænobiles Domini *de Brobecke*, scil. Herbozdus, Gyso, & Aleff Fratres: Domini de *Horhusen*, de *Padberg*, & de *Calenberg* &c. Hi igitur prænobiles Domini, Anno Domini 1429. 25. Maji, Spiritu Dei animati, videntes in Böddecken conversationem piam & inculpabilem, ac proinde Deo gratam Canonicorum Regularium S. Augustini (quos non ita pridem ex Monte S. Agnetis propè Swollas, Authoritas gratiosi Domini Episcopi Paderbornensis in Böddecken pro reformando eodem etiam Monialium Monasterio evocaverat) Qui Canonici odorem Suavitatis sanctissimæ vitæ, quo antea ex gratissima conversatione dilectissimi quondam Confratris sui, scilicet Venerabilis Patris Thomæ à Kempis imbuti fuerant, circumquaque diffundentes, ad hæcce etiam tum temporis dumeta & terrarum invia transmiserunt. Prædicti igitur prænobiles & strenui Domini, Venerabili Domino Bodecensi Hermanno de Camen, aliàs *Van der Reck*, desideria & vota sua manifestarunt, rogantes eundem Venerabilem Dominum Priorem, ut aliquot plantulas veri germinis Sanctitatis in Agro dominico plantandas (dico pios Sacerdotes, Fratres & Laicos) sibi subministrare non gravaretur. Submisit igitur ad instantiam prædictorum Nobilium in Daëlheim duos Sacerdotes, scilicet Gerhardum Schultinghus de Hervordia, & Conradum Vroherten, Professum in Herzogenhagen Hassiæ, unà cum septem Laicis, qui plantati in Domo Dei, velut oliva fructifera, fructificantes, huic loco faciem longè aliam induxerunt, commutantes desolatam in amatam; & nunc misericordiam consecutam in Sponsam Deo charissimam. Videns etiam Reverendissimus ac Celsissimus Princeps ac Dominus Theodoricus, Archiepiscopus Coloniensis, ut Administrator Ecclesiæ Paderbornensis, novellas hasce plantationes paulatim germinare, excrescere,

crescere, & fructificare, prædictorum Dominorum Nobilium ut Restauratorum votis & supplicationibus motus, omnes donationes, resignationes & largitiones quascunque Monasterio Daëlheimensi datas ratificavit, approbavit & confirmavit, quorum Originalia ibidem extant, eadem autem hic inserere, Lectori fortè molestum foret.

Hinc ita Nova Domus hæc ad annos circiter viginti tres stetit sub regimine, & quasi dependentia quadam à Domo Bodecensi, ita ut & Venerabilis Dominus Prior Bodecensis, loco huic non Priores, sed solummodò Rectores, & alios congruos Officiales pro libitu præfecerit.

Animadvertentes autem sæpe dicti prænobiles Domini, verè secundi Fundatores, seu Restauratores hujus Domus (qui profusâ nimis liberalitate sua, bona tunc desolata pretium 20000. millium & ultrà Imperialium contulerunt) negotium non ad intentionem & voluntatem suam procedere, voluerunt, ut Domus hæc non ampliùs à Bodecensibus dependeret; obtinuerunt tam à Capitulo Generali, quàm ab aliis, quorum intererat, ut hæc sæpe dicta Domus à proprio Capite, scilicet Priore in Gremio Capituli Windesimensis foveretur, & excresceret, quod & per Dei gratiam feliciter cessit. Anno igitur Domini 1452. (sunt verba Chronographi) fuerunt hic Visitatores à Capitulo Generali deputati: Venerabilis Dominus Henricus Prior in Bödingen, & Venerabilis Dominus Gobelinus Prior in Enrig, habentes specialem commissionem ab eodem Capitulo Generali super præsentis Domus Generali Capitulo incorporatione facienda; qua facta, coram iisdem Dominis Prioribus antedictis, utpote Visitatoribus eodem tempore inter Bodecenses & Daëlheimenses amicabilis compositio stabilis & perpetua erecta est.

Exinde igitur cæpit Daëlheim antiqua novam induere faciem & formam, dum sibi in Priorem præficitur Vir, utique missus à Deo, cui nomen erat Joannes Sünsebeck, cujus viri laudes, si homines tacuerint, lapides & structuræ clamabunt. Erat enim Vir Disciplinæ Religiosæ studiosissimus, sibi austerus, aliis mitis, Dei honoris Zelosissimus, nec minùs in exterioribus providus. Hic nunc vidisses paucula illas apes (quæ aliis aliàs) nunc sibi multò laboriosiùs mellificantes: vidisses, inquam, nunc hos, nunc illos flores Paradisi Dei, dico, corda piorum fidelium, sine tamen eorundem detrimento visitantes, exinde mel eleemosynarum ad Dei cultum, & ædificationem Domûs Dei indefesse colligentes, unde nunc quasi ima despicientes, ascendere cæperunt in montem, ibidem gratum Deo ædificium constructuri, & salutem suam operaturi, Domum præsentem post Deum in petrâ solidissimâ undequaque fundatam, Ecclesiam non ignobilem ad 200. pedes in longitudine, & 55. pedes in latitudine habentem, optimè fornicatam, & ambitum per quadrum pauló minorem, nec illum contemnendum, cum Dormitorio sat longo & lato, Bibliotheca, cæterisque necessariis Religiosorum habitaculis ædificarè cæperunt. &c.

Quodque mirere magis, Deo opus illud in manibus eorum sic prosperante, ut, quamvis omni quasi humano auxilio destituti, intra paucos, scilicet decem annos, solidum & sumptuosum illud ædificium feliciter ad perfectum usque consummarint. Juvit autem pios illos & devotos Patres ut plurimùm pietas fidelium: sæpe dicti enim Venerabiles Patres plerique ex partibus Hollandiæ oriundi, non ignorantes pietatem Patriotarum suorum, eò se conferentes, notos & Cognatos suos ad eleemosynas non minimùm, tum adhuc in fide Orthodoxa permanentes Civitates, ut vocant, *Hanseaticæ;* præ cæteris quidem liberales in nos extiterunt Daventria, Hamburgum & Lubeca. &c. Quarè, ùt dictum est, Opus hoc insigne intrà decennium feliciter absolutum est, ùt patet ex Epigraphe, quæ exteriori & primæ columnæ templi insculpta, nunc autem recens sublata illa columna, muro inserta legitur: *Anno Milleno cepit hoc quadringenteno, & sexageno, finitur septuageno.*

Acta sunt hæc primis Restauratoribus & præcipuis Benefactoribus hujus loci plerisque adhuc viventibus, qui, quantum gaudii putas ex tam nobili & glorioso effectu, cujus ipsi causa extiterant, conceperint? Verè igitur Vas electionis ait: *Pietas ad omnia utilis:* Hac enim pietate primorum Venerabilium Patrum illecti plures, non solùm Nobiles, sed & Illustrissimi & Generosi Comites de Waldeck, quibus accessere Principes & Abbates Liberæ & Imperialis Abbatiæ Corbeyensis: Unde Daëlheimenses Dei benedictione præventi magis magisque succrescentes, qui olim fermè nullius, jam alicujus nominis esse cæperunt. Nam & amplificationem Domûs Dei, & in alimentum piorum Fratrum, quorum numerus jam auctior erat, utpote Sacerdotum & Clericorum, ultra 30, Laicorum verò seu Donatorum ultra centum se extendente, fines suos piè dilatare cupientes, anno scilicet 1518. duos non spernendos pagos, Meerhoff, & Oistorff, à Monasterio seu Abbatia Bredelariensi sacri Ordinis Cisterciensis, 200. ædes, plùs minùs continentes

tinentes pro certa summa paratæ pecuniæ in perpetuum sibi coëmerunt. In hisce pagis & intra septa eorum de facto Canonia Daëlheimensis inconvulsè obtinet plenariam Jurisdictionem civilem, & primam instantiam ad jus Inquisitionis.

Proveniunt insuper huic loco è præmemoratis Pagis, præter annuum Canonem frumentarium, alii redditus tam pecuniarii, quàm & alia peculia: Quin & horum pagorum Incolæ ad præstandam annuam servitutem tam in arando, quàm in opere manuali exhibendo, ad certos dies per annum obligati manent. Interjacet inter duos memoratos pagos hos Villa omninò immunis & exempta, dicta de *Waschehoff*, sita in loco amœnissimo, cujus annui proventus Reverendissimo Domino Prælato Laudemium præstant.

Incorporata insuper huic Canoniæ est Parochia in sæpè fatis istis duobus Pagis, quæ à Professo Confratre Daëlheimensi administratur. Itaque dilatati termini Daëlheimenses, sine ullo ullius alteriusve interjacente fundo ad octo circiter horarum spatium in circuitu sese extendunt; inter quos terminos continetur Sylva quercubus & fagis densissima, quæ glandemia aliisque proventibus Dominum Prælatum non rarò recreare solet. In hac Sylva, sicut & intra omnes terminos Canonia hæc jus venationis quarumcunque etiam obvenientium ferarum imperturbatè possidet. Insuper sæpe dicta sylva amne non ignobili & trutarum feracissima alluitur, qui amnis, præterquam quòd diebus maximè quadragesimalibus Refectorio apprime deserviat, etiam molendinum omninò immune & liberum (ad quod suprà memorati Incolæ Meerhoffiani sua frumenta conterenda deferre coguntur) circumagendo non modicum censum Canoniæ præstat; dissitum est autem dictum Molendinum media circiter Leuca à Monasterio; nam & aliud intrà septa, Ejusdem necessitati deserviens extat; Ad prata & pecorum pascua quod attinet, pro quo Deo Laudes, Daëlheimensis Canonia abundat in tantùm, ut in sustentationem equorum, vaccarum, ovium, aliorumque pecorum ad minus de æstate centum circiter fœni plaustra exsiccati convehi possint

Situm est autem Monasterium Daëlheimense intrà oppida scilicet Montem Martis, & Liechtenaviam in Campo Sindtveldiensi, ad viam Regiam, quæ Paderbornà per Comitatum Waldecensem, & Hassiam ducit Francofurtum ad Mœnum; & quamvis hoc modo optimè situatum sit, damna tamen maxima & incommoda ex situatione sensit tempore bellorum, utpote Cæsareo-Suecico-Hassici, quando nulli Religiosorum, nisi cum præsentissimo vitæ periculo hìc consistere licebat. Unde locus hic in pristinam fermè desolationem degenerasset, nisi tandem Deo propitio pax & tranquillitas meliora huic Patriæ tempora rediissent: & quemadmodùm ex omni vulnere etiam optimè sanato remanet quædam saltem cicatrix; ita etiam huic Domui post cruentissima illa bella, uti prudens quisque facilè conjiciet, remansit ingens contractum æs alienum, quo Canonia hæc jam penè præfocanda videbatur, nisi Dei Optimi Maximi (qui rebus afflictissimis & desperatis in tempore novit mederi) benignissima ac paterna manus Eidem providisset de talibus Præsulibus, qui jugibus curis & indefesso labore dicta debita totaliter diluerunt, de quibus infrà.

Puteos aut cisternas in loco quidem non habemus, cui tamen defectui Deus & natura alio modo succurrere voluerunt, dum scaturiginem limpidissimam tertia parte unius leucæ à Monasterio dissitam collocarunt, ex qua scaturigine per tubos ligneos aquam saluberrimam & sufficientissimam ad culinam, pistrinum, braxatorium, cæteràsque Monasterii officinas, imò, quocunque libet, deducimus; Piscinis tam intrà, quàm extrà Clausuram sufficienter quoque provisi sumus. De cætero Domus hæc, quamvis de facto (Deo sint laudes) optatissima fruatur pace & tranquillitate; experti tamen non rarò sumus invidentium quorundam incursiones non leves, quod enim prisca Patrum pietas extruxit, invidia destruere nititur. Interim tamen Domus hæc Daëlheimensis omnia sua jura legitimè usque in hanc horam undequaque deducta, & justo titulo professa, contra quoscunque tentatores novissimis annis pro posse defendere conata fuit; ut sic plurimis difficultatibus superatis spes affulgeat, deinceps in quieta possessione permanendi, ac ex eorum fructibus frugaliter percipiendis Deo bonorum omnium Largitori in sua vocatione, cum debita gratiarum actione devotè serviendi, donec post hanc ærumnosam & laboriosam vitam dona percipiat sempiterna, Amen.

Visum fuit è re, hisce adjungere ea, quæ in Annalibus Paderbornensibus, quorum principalis Auctor extitit Reverendissimus, ac Celsissimus Princeps & Episcopus Paderbornensis Ferdinandus Fürstenbergius felicis recordationis, super hunc locum, ejusdemque Restaurationem habentur exarata hisce formalibus.

Theo-

Theodoricus Archiepiſcopus Colonienſis, Adminiſtratórque Paderbornenſis Diœceſis, præclaro Religionis inſtaurandæ opere Daëlheimenſis Monaſterii exordia fecit, convertendo dirutum diſſolutúmque Cœnobium Virginum, in Monaſterium Ordinis Canonicorum Regularium, haud ſecùs, quàm Wilhelmus Anteceſſor diſſolutum Bodecenſe Canonicarum Virginum Collegium commutarat in ejuſdem Ordinis Canonicorum Regularium Monaſterium. Rem altiùs paulò repetam. Fuerat ante ducentos annos in pago Daëlheim Virginum Cænobium, Ordinis divi Auguſtini inſtitutum: (cujus tamen fundationis Conditoriſque nulla apud nos monumenta litterarum extant) Id lapſu temporum per bella ſuperiorum annorum primò ſpoliis exhauſtum, deinde tertiò exuſtum erat; ſemel à Nobilibus de Levenſtein, iterum per Lippoldum de Ettelen, tertiò, per Lippienſes. Qua calamitate Virgines, cùm & clauſtrum, & templum, & bona omnia amiſiſſent, ad vicina Ordinis Cœnobia diſceſſere, locumque per ſexaginta annos vaſtum reliquere. Ægrè intereà tres Nobiles, Badbergenſis, Brobeckianus, & Horhuſanus tulere, hoc Virginum Cœnobium à Majoribus ſuis aut conditum, aut dotatum ex hac vaſtatione relinqui extinctum. Hi igitur adjere Præſidem Cœnobii Bodecenſis, ultroque locum reparandum obtulere, ſimul pollicendo, ſe pro viribus omnes antiquos ejus Cœnobii agros, cenſus, & Decimas repetituros. Id cùm grato animo accepiſſet Præſul Bodecenſis, poſtulata Nobilium detulit ad Theodoricum Archiepiſcopum, ut ejus authoritate & conſenſu omnia conficerent. Is deinde hoc laudabili Diplomate locum ſacrum Bodecenſibus transſcripſit excolendum, quod factum anno Domini Milleſimo quadringenteſimo viceſimo nono, viceſima quinta die Menſis Maji, Diploma modò fatum brevitatis gratia hìc omittitur.

Hac authoritate præmunitus Bodecenſis Præſes miſit duos Sacerdotes ſui Monaſterii, additis Laicis Fratribus; à quibus magno labore & ſudore vetus Daëlheimenſis Cœnobii locus intra Montem Martis & Liechtenaviam in Campo Sindtveldenſi excoli cæpit, implerique numerus Sacerdotum & ſacrorum Operariorum. Nec defuit ad conſpectum paupertatis & Religioſæ vitæ exemplum, quo primi illi Coloni mirificè ſe commendabant, promiſſa fides & largitas Nobilium, cumprimiſque Brobeckiani, qui alter Daëlheimenſium Conditor eſt habitus; cujus patrocinio & induſtria haud multo poſt etiam Otto Comes Waldecenſis perſuaſus, omnia bona patrimonii, quæ à Büranis empta poſſidebat in pago Daëlheim, aut quæ feudi titulo habebat à Corbejenſibus in Campo Sindtveldenſi, liberali donatione transſcripſit Daëlheimenſibus Sacerdotibus, quæ & poſt rata habuit Arnoldus Corbejenſium Abbas, etiam brevi adeò opibus & numero ſacrorum Operariorum aucti erant, ut novi Monaſterii cultura appareret: Cùm inter ipſos Cultores Loci & Bodecenſes lis oritur, ſeparatumne iſthìc Monaſterium Canonicorum Regularium inſtituendum? an verò per modum acquiſiti prædii & Domicilii Religioſi Locus Bodecenſibus, quod illi ex impenſis à ſe factis poſcebant, adjiciendus eſſet? Res illa poſt à Windeſimenſi Congregatione deciſa eſt, urgentibusque Brobeckianis Nobilibus novum Daëlheimenſe Monaſterium erigendum, decretum. Eo poſt majori Religioſorum fervore, & piorum hominum donationibus, celebre iſthìc Monaſterium Opibus, & Religioſa diſciplina, Bodecenſi haud impar, exurgere viſum eſt. Fabrica etiam Clauſtri & Baſilicæ, in qua ab anno 1460. ad annum 1470. laboratum, cæteris per Diœceſin Cænobiis multò illuſtrius.

Huc usque ſe extendunt formalia ſuprà tactorum Annalium Paderbornenſium ſub annum Chriſti 1429.

Elenchus

Reverendiſſimorum & Ampliſſimorum DD. Præſulum Daëlheimenſium.

I. Joannes Sünſebeck, ex Canonia Bodecenſi poſtulatus, de quo ſuprà in contextu Hiſtoriæ, anno 1452. præfuit huic Domui in bona diſciplina 36. annis, reſignavit verò anno 1488. factus Jubilarius, vixit in Ordine ultrà 60. annos: obiit anno 1495. 28. Januarii, ſepultus ante ſummum Altare, ſuſcepit ad Profeſſionem 18. Religioſos.

II. Hermannus Arnsberg, Profeſſus Canoniæ Bodecenſis, poſtulatus, anno 1488. reſignavit, & obiit anno 1491. 7. Auguſti. Præfuit 3. annis, ſuſcepit duos ad Profeſſionem.

III. Joannes Felligt, hìc Profeſſus, & electus anno 1491. Præfuit 2. ſolummodò menſibus, & ſic obiit eodem anno.

IV. Wilhelmus Emmerick, Profeſſus in Vrendeswegen, & poſtulatus anno 1491. Præfuit annis 5. & ex poſt electus in propria Profeſſionis Domo, rediit ad illam, ibidemque obiit anno 1497. inveſtivit hic 12. Fratres.

V. Henricus Felligt, hîc Professus, electus anno 1497. Præfuit 10. annis, peste obiit anno 1507.

VI. Arnoldus de Büren, Professus in Bodecken, electus anno 1507. sed eodem anno in festo Ascensionis Domini 14. Maji obiit, & vix uno anno præfuit, suscepit 2. ad Professionem.

VII. Joannes Rhoden, Professus in Nazareth propè Brädevoërt Comitatus Zutphaniensis, electus anno 1507. 5. annis præfuit, & resignavit anno 1512. obiit verò anno 1520. suscepit unum ad Ordinem.

VIII. Lambertus de Westernkotten, hîc Professus, electus anno 1512. Præfuit annis 6. & resignavit anno 1518. obiit verò anno 1538. 6. Junii. Suscepit 12. ad Professionem.

IX. Christianus Lemmegoë, postulatus ex Bodecken anno 1518. Præfuit 23. annis, obiit verò anno 1541. 3. Maji. Hic comparavit & adjunxit huic Canoniæ Villas Oïstorff, & Meerhoff, & ædificavit domum refugii in Civitate Paderbornensi, & notabilem pecuniæ summam post se reliquit. Suscepit multos ad Professionem.

X. Henricus Westheim, hîc Professus, electus anno 1541. Præfuit 18. annis, & 2. mensibus, Obiit verò anno 1559. 15. Julii, suscepit 9. ad Professionem.

XI. Ludolphus Höcker, hîc Professus, electus anno 1559. Præfuit annis 41. obiit anno 1600. 16. Novembris. Suscepit 13. ad Professionem.

XII. Lucas Wasinck, electus anno 1600. resignavit anno 1605. obiit verò anno 1611. 7. Januarii.

XIII. Godefridus Scheven, Professus in Hamersleben, postulatus anno 1605. Præfuit 13. annis, electus in Domo suæ professionis, anno 1618. Obiit ibidem anno 1626. 13. Octobris. Suscepit hîc 3. ad Professionem.

XIV. Arnoldus Hirschfeldt, Professus in Clusa Everhardi Archi-Diœcesis Trevirensis. Postulatus anno 1618., præfuit 4. annis & electus in sua nativa Canonia anno 1622. ibidem obiit anno 1639. 29. Auugsti. Suscepit hîc 4. ad Ordinem.

XV. Henricus Crampenius, hîc professus, electus anno 1622. Præfuit 28. annis, & resignavit anno 1650. Obiit verò anno 1651. 7. Julii. Suscepit 10. ad Professionem.

XVI. Lubertus Kleinsorg, SS. Theologiæ Doctor, hîc Professus, electus anno 1650. Præfuit 3. & dimidio annis, obiit anno 1653. 19. Septembris, suscepit 4. ad Ordinem.

XVII. Georgius Gocklenius, hîc Professus, electus anno 1653. 15. Octobris. Præfuit annis 6. Obiit anno 1659., suscepit sex ad Professionem. Hic singulari & laudabilissima sua industria & dexteritate tam huic, quàm aliis Congregationis nostræ Domibus, tum qua Præpositus Heiningensis, tum qua Præsul Daëlheimensis, tam belli, quàm pacis temporibus ingens sui desiderium post se reliquit.

XVIII. Augustinus Scheiffers, hîc Professus, electus anno 1659. 10. Decembris. Præfuit 5. annis, calamitosis temporibus. Obiit anno 1665. mense Julio. Suscepit undecim fratres ad Professionem.

XIX. Meinolphus de Lestre, hîc Professus, electus anno 1665. obiit anno 1668. Præfuit annis 3. & dimidiô, brevi quidem tempore, satis tamen laudabiliter & fructuosè, tam in temporalibus quàm spiritualibus secundùm Regulam S. P. N. Augustini, magis appetens à suis amari, quàm timeri.

XX. Henricus Steckelenius, hîc Professus, qui postquam 9. annis Præpositum Canonissarum in Heiningen, Diœcesis Hildesiensis egisset, deinde in Canonia Richenbergensi ejusdem Diœcesis electus Præpositus per 6. annos laudabiliter præfuisset, tandem anno 1668. in nativa sua Daëlheimensi electus Præsul, tam sedulam impendit curam, & solicitudinem, ut munus hoc, simul ac onus, per varias tam rerum quàm temporum vicissitudines, Dei miserentis ope & clementia, indefesso labore, curâ ac vigilantia, cum ingenti fructu & proventu hujus Domûs tam in spiritualibus, quàm temporalibus cum maxima laude & gloria nunquam intermoritura, ad 25. annos portaverit; ab ære enim alieno, quo ab antè Domus hæc multùm gravata erat, eandem liberavit. Ecclesiam intrinsecus illuminari, pulchrum in eâ Altare majus ex solido lapide, & alabastro extrui; Paramenta pretiosa pro decore Domûs Dei & Divini cultus amplificatione confici curavit: Novam Infirmariam dormitorio annecti, & plura Domui huic utilia & necessaria extrui aut reparari fecit. Ut paucis multa, tantum auxiliante Dei gratia & sua effecit industria ac exemplari vivendi modô, ut, postquam munere Commissarii Provinciæ Superioris Germaniæ in Congregatione nostra Windesimensi per aliquot annos lauda-

laudabiliter perfunctus, tandem etiam supremam Dignitatem & onus Generalatus per 6. annos subire coactus, plenus dierum & seniô gravis, extremum Vale faciens, Nos quidem Pio Patre orbatos Filios, Domum verò nostram in bono statu & tranquillitate post se reliquerit. Obiit autem annô 1693. 13. Decembris. Suscepit ad Professionem 15. Fratres.

XXI. Gaudentius Denne, hîc Professus; qui ex Procuratore vigilantissimo in bonis Domûs nostræ conservandis studiosissimo, atque in propugnandis & defendendis juribus & jurisdictionibus Zelosissimo & impertæso, unanimi Fratrum consensu ac suffragiis in Præsulem electus 25. Januarii anno 1694. At quia corpus ipsius languore quodam, & debilitate jam tum depressum & defatigatum, generosiori animo & altiora præmeditanti morem gerere, & respondere non volebat, nimis præcipiti saltu vitæ suæ cursum consummare, ac fatis concedere coactus fuit; & sic immaturo quidem, pio tamen & placido, nec non felici (ut speramus) fine in Domino requievit, grandem de futuro suo regimine nobis pollicitam spem & exspectationem, plenamque fiduciam de eo conceptam, secum in tumulum inferens, nono scilicet post adeptam Prælaturam die, anno 1694. 3. Februarii: Proinde nullum ad habitum assumere potuit.

XXII. Philippus Linneman, hîc Professus, electus anno 1694. 26. Martii. Hic omnes officii sui partes laudabiliter implevit, & tam in temporalibus quàm Spiritualibus hujus Canoniæ profectum studiosè promovit. Diligens inprimis Decorem Domûs Dei, totam Ecclesiam cum ambitu sectis lapidibus & quadris instravit: Aram maximam eleganter cum Choro & Sacristia illuminavit, Inferiorem Navim Ecclesiæ binis ex Alabastro constructis altaribus exornavit, Temporalibus bonis notabilem partem agrorum à Celsissimo Principe ac Abbate Corbejensi, bis mille Imperialibus & ultrà, à se coëmptam adjunxit: Et quia varias, dum viveret, affligebatur infirmitatibus, invida mors in optimo ætatis flore, stamina vitæ ipsius incidens, ipsum Nobis abstulit anno 1708. 21. Februarii. 15. Anno adeptæ Prælaturæ: sicque consummatus in brevi, explevit tempora multa. Suscepit 10. Fratres ad Ordinem.

XXIII Bartholdus Schonlau, hîc Professus, omnium DD. Capitularium votis unanimiter electus Anno 1708. 16. Aprilis. Hic summo studiô, labore, vigilantiâ & industriâ conatur insistere vestigiis sui quondam Prædecessoris D. Henrici Steckelenii, cujus memoria in benedictione erit: Nam ipsius Conceptus formatos, quos senectus & mors interruperat, non solùm resuscitare, verùm multò magis amplificare & ad desideratum effectum perducere allaborat. Hoc clarè patet in solidis & maximè necessariis structuris, quas intra paucos annos adeptæ Prælaturæ, veteribus & ruinosis plerisque funditùs sublatis, extruxit in maximum emolumentum hujus Canoniæ, adeò, ut domus hæc aliam prorsus à priore mutatam indueret faciem & formam: & si quidem Deus Huic plures vitæ concesserit annos, & gratiam Divinæ Benedictioni cooperandi, affulget spes hanc Daëlheimensem Canoniam in optatam formam & stabilitatem restituendi. Faxint Superi, & omnium DD. Confratrum, cæterorumquè Benevolorum pia vota secundent, & perennent. Ab anno electionis jam Septimum numeramus annum; ad Professionem regularem novem suscepit Fratres.

DENCKENDORFFIUM,

Splendidissimum quondam ac amplissimum in Ducatu Wirttenbergiæ Constantiensis Diœcesis Monasterium inclaruit, istud tamen jam ab anno 1648. per pacta pacis Cæsareo-Suevicæ Principi terræ Acatholico in plenam possessionem relictum. Fuit autem Nobilissimum Asceterium istud Canonicorum Regularium S. Augustini, & Congregationis (de qua pluribus agit Barbosa de Jur. Eccles. fol. 146. & Gabriel Pennotus noster in Histor. tripart. lib. 2. cap. 67.) *S. Sepulchri* intitulatæ venerabile commembrum, & fundatum ab Illustri Viro N. familiæ (prout latiùs constat ex Documentis Monast. Wirtenbergensium fol. 505. (*ab Ezlickheim* nuncupatæ: solemnem primæ fundationis Confirmationem æque Pontificiam ac Cæsaream, nec non alia plura diversorum Magnatum diplomata desuper emanata, vide loco citato, & in nostra Suevia Ecclesiastica fol. 259. Currente Sæculo decimo sexto Denckendorffense hoc Collegium istud ab Ulrico Duce Wirtenbergico violenter occupatum, finito bello Schmalcaldico fuit denuò Religiosis Catholicis restitutum, & Præpositus illius cum plena potestate potitus, cui postmodum ob imbelles corporis vires nimia ætate fractas circa annum 1555. Coadjutor quidam fuit additus cognomine *Kös* appellatus, idem anno proximè sequenti à Christophoro Duce in tantum lepidè dispensatus, ut ducta uxore nihilominus præesset Mo-

 nasterio,

nasterio, unde Denckendorffium istud evasit omninò Lutheranizatum, & quamvis anno 1630. urgente Augustissimo Cæsare Ferdinando II. cum aliis Comprovincialibus Cœnobiis antedicto Ordini suo fuerit denuò restitutum, indè tamen iteratis vicibus pace Westphalica Religiosis Ascetis subtractum, & ad profanos usus memorato Principi terræ relictum.

DERENBURGUM.

Taliter ab antiquo proprio nomine suo nuncupari solitum Diœcesis Hildesheimensis Parthenium Cœnobium mox à primâ (quonam tempore & Authore facta latet) fundatione sua à Regularibus Canonicis Augustinianis constanter fuit inhabitatum, quod tamen postmodum & quidem eo ipso tempore, quo Bacconense Claustrum jam suprà recensitum Cisterciensis Instituti Reformationem suscepit, dimisso priori statu suo pariter in illud ipsum assensit, qualiter de hoc gratiosè ad me rescripsit Reverendissimus ac Amplissimus Dominus Liborius Monasterii Grauenhofiensis Venerabilis memoriæ Præpositus gratiosus Dominus ac Patronus mihi semper observandissimus.

S. DIEDOLDI,

Seu rectiùs S. Adeodati dicendum Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Diœcesis verò Argentoratensis in inferiori Alsatia, vel olim plurimùm inclaruit, & authore non notato sub decursum sæculi octavi pro Clericis, Institutum Regulare Professis, initia sua sumpsit, quod ipsum tamen Venerabile Collegium labentibus annis merissimè sæcularisatum, ac tandem etiam circa annum 1542. secundùm omnem Clericalem statum suum omninò desiit, nimirum à Sacrilegis Novatoribus miserrimè suffocatum. Bruschius de Episcopis Germaniæ Tom. 1. cap. 5. in Rothario, Argentinensi Episcopo vel (ex propria sententia ipsius) decimo tertio, vel (juxta Jocobum Wimphelingum in Catalogo eorundem Episcoporum fol. 15.) decimo quarto primam Collegii hujus originem vel paucis annotavit sic legendam: *sub eodem* (Rothario antedicto) *S. Nivernensis Episcopus Adeodatus in Alsatia ad Mosam fluviolum extruxit Monasterium Vallis Galilææ, quod hodie Canonicorum sæcularium celebre Collegium; Adeodati Collegium corrupta verò voce S. Diepoldi vocari & appellari solet &c.*

DIESSENSE,

Non tam præpingui fundatione sua vetustissimum, quàm admirando novæ structuræ splendore spectatissimum, & si quod aliud ad purissimam Regularis observantiæ nitelam jam pridem reformatum, eóque titulo plerisque specialiter commendatum, præstantissimum Cœnobium Diœcesis Augustanæ in superiori Bavaria gratissima situatione sua jucundissimè contuendum. Primus id condidit B. Rathardus Sacerdos, ex potentissima tum temporis apud Bavaros familia Comitum Andecensium procreatus, cujus germanus frater Hanto seu Hauto Ecclesiæ Augustanæ Episcopum egit circa annum gratiæ 850. Is igitur Rathardus haud procul à Vico Diessensi (ubi nunc perstat ejusdem loci templum Parochiale) ædem S. Georgio Martyri sacram construxit, eamque S. Augustini Clericis Regularibus (qualis & ipse Fundator Rathardus tum in Cathedrali Augustana fuit) adjuncto domicilio consignavit, ibidem loci post mortem tumulatus. De quo Mathæus Raderus Soc. Jesu in sua Bavaria sancta Volum. I. fol. m. 86. in vita ejusdem S. Rathardi sic scribit: *Anno post receptum à Christo genus humanum quinquagesimo suprà octingentesimum, Ludovico Pio Caroli Magni Filio rerum potiente, B. Rathardus ex nobilissima sanctissima Andecensium Principum familia natus, Sacrisque Sacerdotii initiatus, hæredem bonis suis ex asse relicturus, Christum, à quo hæres olim æterni Regni scriberetur, Auctore Hautone Germano Fratre, Pontifice id ævi Augustano, ad Damasiam ædem S. Georgio Megalo-Martyri sacram instituit; eamque S. Augustini Sodalibus, qui locum hodieque colunt, assignavit, ipse post exercitam in omni virtutum genere vitam eodem loco defunctus, humili textus cippo ad extremum templi angulum humatus est, quanquam virtus Sanctorum Virorum sepeliri cum cineribus non possit, statim enim ex beneficiis passim ad conditorium ejus accurrentibus præstitis, sese Viri sanctitas veluti Solis Aurora relucentis jubar diffudit. Interim Norici Princeps Arnulphus, cognomento malus, per omne Noricum, Vindeliciam & Boicam ferrò flammâque grassatus omnia fœdis populationibus, & rapinis implevit, sacraque profanis, profana sacris homo nomine Christianus, omnibusque Paganis profanior, permiscuit: ædesque sacras minimè paucas, tum Virorum Sanctorum, tum Sacrarum Virginum alias fœdè vastavit, alias funditùs evertit: in quam sortem etiam B. Rathardi Asceterium venit, quòd unà cum B. Rassonis seu Rathonis* Andecensis itidem Comitis, de quo legi poterit idem Raderus loco cit. fol. m. 90. & seqq.) *Werdensi solo æquavit.* Et sic ille de prima fundatione Diessensi, cujus occasione Nebridius noster in suo Antiquario Monastico

ftico Epift. 140. fol. 645. inter alia fic infert: *Erat* (tum temporis) *fchifma inter Canonicos in Ecclefiis Cathedralibus per Imperium, dum alii laxius, alii ftrictius vivebant, quæ tamen voluntatum diverfitas nondum eo usque procedebat, ut fraternitatem ftatim dirimerent, aut contubernium, fed manebant principio conjuncti, quoad una pars in alteram invalefceret. Et verò fubinde fiebat, ut ftrictiores in fententiam & fimilem converfationem pertruberent laxiores, plerumque tamen contrarium accidebat, fic, ut meliores paulatim moriendo deficerent, vel fecederent ad Canonicos Minifteriales, vel de novo fibi Canonias exftruerent: ad quod accipiebant eam partem redituum; quæ eos in Ecclefiis Cathedralibus contingebat, aut a fidelibus adjuvabantur, aut etiam, quod mireris, ab ipfis Canonicis Cathedralibus, quamvis in propofito perfeverantibus, id quod tibi conftare poteft ex Epiftolis Gregorii Septimi partim ex fundatione Monafterii Dieffenfis, quæ facta eft, Rathardo Canonico Auguftano, qui vixit fæculo octavo, & ab hoc tempore usque ad fæculum duodecimum quam plurima Cœnobia erecta funt, ut ex Auberto Myræo cognofcere poteris.* Et fic Nebridius antè citatus.

Porro cùm fublato Arnulfo antedicto domus B. Rathardi in cinere & fqualore jacuiffet, piiffima matrona Cunigunda ex Oeningenfium (in finibus Superioris Sueviæ ad Rhenum Helvetiam verfus refidentium, de quibus fermo redibit infra in Defcriptione Canoniæ Oeningenfis) *Comitum ftirpe nobiliffima progenies, cùm Fridericum Dieffenfem Dynaftam* (inquit Stengelius Abbas in Commentario Rerum Auguft. Part. II. cap. 25. num. 13.) *cui nupta fuerat, tumulo intuliffet, ad templum itidem Proto-Martyris Stephani honori condendum, animum adjecit, non procul ab eo loco, quo ante annos centum feptuaginta Rathardum ejusdem cum Marito fuo generis fanguinisque, Divo Georgio ædem pro Canonicis Regularibus molitum meminerat, quæ five Arnoldi mali injuriis, five qua alia calamitate labefactata pridem vitium fecerit, & ante annos feptem Adelheimio & Udalrico fratribus germanis connitentibus è ruderibus emerferat; quo tempore etiam Rathardi humilius, quam pro Viri meritis condita non fine Divinitatis impulfu detecta, famam fibi prodigiis, & ope medica, quam Supplices pio voto fufpirióque parabilem ibi inveniebant, conciliarunt.*

Et hæc altera fuit Dieffenfis Ecclefiæ fundatio; *tertia verò* (inquit Hundius in Metrop. Salisburgenfi Tomo 2. fol. 259.) *facta eft anno 1132. juxta Bullam Innocentii II. nam alia fundatio non extat per Illuftres Principes Bertholdum Comitem de Andechs & Ottonem Comitem de Wolfrathshaufen una cum uxoribus Sophia & Laurita, & Liberis earum: qui arcem fuam Damafiam, vulgò* DIESSEN *appellatam, verterunt in Monafterium, conftruentes ibi Ecclefiam in honorem Beatiffimæ Virginis Mariæ, dotantes eam mobilibus & prædiis, nec non pluribus privilegiis ratione Advocatiæ & quarumcunque exactionum, offerentes eam titulo B. Petri, & Sedis Apoftolicæ, cui annuatim unum aureum perfolverent,* prout latiùs continetur in dicta Bulla, quam totam ibidem legimus appofitam in Additionibus Gewoldi fol. 261. apud quem etiam reperiuntur fequentes verfus, ex vetufto M. S. Damafianæ Canoniæ defumpti, & quondam Sepulchro Fundatorum infcripti.

Dieffenfes Proceres, & eorundem Mulieres
Semet cum donis noftris tribuêre Patronis;
Interior foffa cunctorum continet offa,
Nomina fed Procerum temet hic locus & mulierum,
Spiritus Illorum, quo tendat ad alta Polorum
Hæc optent Juvenes cum puerisque fenes.
Marchio Berchtoldus, Cunjunx Hadvvigis & Ejus,
Berchtoldus Comes, atque fua Conjunx præclara Sophia
Cunrat Canonicus Comes Henricus Otto frater & Ejus,
Dux & Marchio Berchtoldus, fua nobilis Uxor, & Agnes,
Filius illorum, Marchio Henrich, vir honorum,
In cœli porta, locet hos pia Virgo Maria.

Catalogum Præpofitorum ex hac ipfa Hundii Metropoli defumptum continuavimus usque ad noftram ætatem ex *Pofthuma Confœderatorum memoria* R. D. Joannis Bapt. Krez Canonici Regularis Exemptæ noftræ Canoniæ Wengenfis. V. DIESSEN.

PRÆPOSITI DIESSENSES.

I. Anno Chrifti clɔcxxxii. primus iniit Ecclefiæ hujus Præpofituram Hartwicus; quem prius Decanum in Rotenbuch, Fundatores noftri virtutum ejus capti bono odore &

& nota induſtria, approbante Hermanno Epiſcopo Auguſtano, inde acciverant. Is quondam aulæ Bavaricæ Cancellarius, ad Monaſterium illud forte venerat in Comitatu Principis, cum Eccleſiam ad Veſpertinas Dei laudes ingreſſus verba illa Chriſti per voces cantantium accepit, *Amice quomodo huc intraſti*, *non habens veſtem nuptialem*? quæ ipſe verba ad ſe referens, & ornatum ſuum ſericum ac verſicolorem Evangelicis nuptiis parum convenire interpretatus, mundo nuntium extemplo remiſit, Canonicúmque regularem induit; quia vero Dieſſenſe Monaſterinm à S. Georgii ad ædem S. Stephani translatum erat, ejus Translationis (annitentibus ſimul Fundatoribus & Epiſcopo Hermanno) confirmationem cum aliis privilegiis ab Innocentio II. Pont. obtinuit. Interim tamen Monaſterium S. Mariæ dudum cœptum, Otto Comes à Wolfartshauſen cum propinguis ſuis Comitibus & Marchionibus Andexienſibus egregiè urgebat, Hartwico etiam non impigre allaborante, qui præter Canonicorum Sodalitium, & Sanctimoniales rexit ſeparato clauſas Cœnobio: rexit, inquam, ea moderatione & prudentia, quam B. Mechtildis earum Præpoſitæ perſpecta Sanctitas commendat. Demum anno Gubernationis XLI. Servus bonus & fidelis vocatus eſt in gaudium Domini ſui: cujus Corpus ante altare S. Joannis Evangeliſtæ ad parietem Aquilonarem ſepultum, lætam anaſtaſin exſpectat.

II. Hartwicum optimum in Chriſto Patrem ſecutus eſt bonus filius Degenhardus, domi nobilis: qui huic loco XXXI. annis ſanctè præfuit. Præter alia, quæ molitus eſt, ædificia, anno ejus nono, hoc eſt Chriſti Dei hominis CIƆCLXXII. perfecta eſt Eccleſia B. Mariæ Virginis, eodémque dedicata IV. Id. Octobris, à Dn. Ottone Bambergenſi Præſule, Berchtoldi Comitis ab Andex filio, præſente Hartwico Auguſtæ Epiſcopo. Otto autem Dedicationis officio minimè contentus, Monaſterium illuſtrium ſuorum progenitorum ſepultura nobile, prædiis compluribus donavit. Sepultus eſt Degenhardus prope Januam Sacelli S. Spiritus infra Hartwicum.

III. Nec degeneravit Ortliebus, anno CIƆCCIV. Cœnobio præfectus: qui quæ deerant Cœnobii ſtructuris, naviter complevit, auxiliarem manum ferente cumprimis illuſtri Principe Othone Duce Meraniæ (cujus parens Berchtoldus in Capitulo haud pridem tumulatus fuerat) ejusque propinquis ac familiaribus, qui ſua prædia certatim dotandæ recenti Eccleſiæ contulerunt. Sed & Ortliebus ipſe, antequam Præpoſituram iniiſſet, erexit S. Petri Eccleſiam in *Pridriching* è fundamentis de ſuo patrimonio, eámque poſtea, & plures alias Parochiales Eccleſias Cœnobio curavit uniendas ab Innocentio III. Rom. Pont. Ut verò ad Deum expeditiori pergeret itinere, Præpoſituram ſua ſponte poſuit, duobus fere ante mortem menſibus, cum eam annos circiter XX. tenuiſſet. Sepultus eſt in templi umbilico.

IV. Succeſſit oneri Henricus Vir prudens & induſtrius, CIƆCCXXIV. Oratorium interius (Chorum vocamus) ornavit ſacris picturis, auxit Privilegia; & annis munere laudabiliter exactis octodecim, ac ſemeſtri vitam cum morte commutavit.

V. Poſt eum præfuit Albertus, orſus anno CIƆCCXLII. qui veſtigiis inſiſtens Deceſſorum, & ſpiritualia ſollicitè, & temporalia curavit diligenter. Litem quandam, quæ ei fuit cum loci hujus municipibus, propter raram judicii formam deſcribere placuit ex antiquo Codice. Is ergò ſic habet. Noverint univerſi præſentem intuentes & audientes paginam, quod Converſione B. Pauli Apoſtoli, præſentibus Domino Conrado Decano de Winckel, qui vicem gerebat Domini Sibottonis Venerabilis Epiſcopi Auguſtani, & Hainrico judice de Starnberg; Dominus Albertus Præpoſitus & totus Conventus Eccleſiæ Dieſſenſis, obtinuerunt ſub ſtola ſua jurejurando, quod nec cives ibidem, nec quiſquam hominum, aliquid juris habeant, vel habere debeant in eo prædio, quod cives prædicti nominabant Locum communem, ad præjudicandam Eccleſiæ jurisdictionem, quod in vulgari dicitur (Gmainde) cum illuſtris Vir Hainricus Comes de Wolfratshauſen prædium prædictum & alia plura prædia ſanctæ MARIÆ perpetuæ Virgini delegando transdiderit in uſum Fratrum ibidem jugiter Deo famulantium. Hujus rei teſtes ſunt: Conradus Decanus de Winckel, Gotſchalcus de Widerſperg, Hainricus Judex de Starenberg, Heinricus de Peſtenacker dictus Monachus, Güntherus Judex de Erſingen, Meinhardus Præco, Hainricus Præco, Conradus Senfto, Haertwicus, Burckardus & Filius ejus Conradus, Hainricus Röſslein, Marquardus Slicho, Conradus Murator, Hainricus Faber, Ulricus Maiſo, Wernherus Latinus, & alii quàm plures. Acta ſunt hæc anno gratiæ CIc. CC. XLVIII. in Clauſtro Dieſſenſi, & ad judicium talis juſtitiæ, Paſtor armentorum in foro Clauſtro Dieſſenſi vicino, Præpoſito Eccleſiæ Dieſſenſis dedit ſolidum legalem, ex quo fundatus eſt locus Dieſſenſis, ſingulis annis, & adhuc XX. denar. perſolvere tenetur: quia omnis locus paſcualis in parochia Dieſſenſi ſitus, ad ipſam

ipſam Eccleſiam, ex collatione Principum nobiliſſimorum de Wolfrathuſen & de Andex ſpectare videtur. Hæc ibi. Verùm diu poſt Hieronymus Præpoſitus cum eadem lis repeteretur, cauſa cecidit, & fundus ille municipibus adjudicatus eſt. Albertus autem, ut oſtenderet, quàm eſſet locus ſuperior amandus, dignitati renuntiavit libens volensque poſt novennium quadrimeſtre quàm acceperat, tum ad bene moriendum ſeſe comparans, anno vertente vitam clauſit.

VI. Sextum Præpoſitum Pollinga dedit, cum ſua non obſcura laude. Conrado nomen fuit Cujus viri quò major virtus erat, hoc magis, permittente Deo, exercita adverſis. Nam ipſo anno cIↄ ccLI. quo ad regendum acceſſit, V. id. Auguſti, horrenda grandine peſſumjerunt omnes fruges noſtræ tum alibi, ad Numerum XXC. prædiorum majorum ac minorum, cum decimis ſeptem Eccleſiarum nimirum Brunnæ, utriúsque Mæuſing, Weſsling, Frieting, Miſcheried, & Eſchenloh, quibus malis non defuerunt aliæ vexationes & cruces quotidianæ; quas tamen Conradus, velut alter Jobus, animo invicto ſuperavit: & quod mirum eſſe poteſt, in tantis calamitatibus non tantum nihil prædiorum Monaſterium avertit, ſed alia emit, alia olim oppignorata redemit, ac poſt annos Præpoſituræ XIII. cum dimidio, migravit è vita.

VII. Ad ſcopulos delabitur hiſtoria, ad Monaſterii naufragium. Henricus homo Juvenis, hujus Eccleſiæ Canonicus, anno cIↄ cc.LXII electus, Deceſſorum ſuorum diſſimulatis optimis exemplis, in diverſa abiit, cujus luxum, quia non ferebant reditus, prædia complura diſtraxit, & cuticulæ ſolum ſtudioſus, de commodis Eccleſiæ ſibi commiſſæ nihil penſi habuit. Igitur cum aliquando per Chriſti natalem totus ſacer apparatus ex auro, argento, ac gemmis ſuper arâ maximâ expoſitus, poſt Veſperas non in ſacrarium reponeretur, ſed in malè munitum armarium, effringunt; quidquid auri, argenti, gemmarum aderat, aſportant; veſtitas is ſacras reliquias haud procul à templo fundunt. Ex eo ſacrilegio nihil reſtitutum, niſi pars gemmarum, ab uno de furibus, Schongaviæ Capitis damnato. Non poterat verò non ſentire tam grave damnum Henricus: ſed dum criminis inſimulat, quem minimè debebat, documento fuit, & quàm cautè in ſuſpicionibus agendum, & quanta diligentia curandum ſit, ne, qui vult alios arguere, ipſe habeat quod arguatur. Igitur Vir nobilis de Giſſonum familia, Ordine Presbyter, conditione Parochus in Fricting, Henrico alias exoſus, in crimen vocatur. Giſſo negat, & facinus à ſe coram Eccleſiaſticis judicibus legitimè amolitur. Quamvis autem hominem injuria morderet, perſuaderi tamen paſſus eſt, ad pacem concordiamque cum Henrico ineundam. Sed ea diuturna haud fuit, & recrudeſcens in animo Giſſonis infamis calumniæ memoria vindictæ modum obtulit. Ergo intempeſta nocte cum fidis hominibus cubiculum ſui calumniatoris (noverat ſcilicet, quid ibi inveniret) per feneſtram inſcendit, Henricum (heu pudor) deprehendit in flagitio, & una cum ſceleris conſorte inſigniter depalmatum, magna ignominia primum ad Cænobii ſodales, tum ad Epiſcopum defert: à quo pro meritis acceptus, & malè geſta dignitate exutus, vixit poſtea XXIX. annis vitam ærumnoſam.

VIII. Anno cIↄ.cc.LXXV. Otho gubernandi onus ſuſcepit humeris imparibus. Henricum namque ipſum imitatus, à loci Ordinario dejectus gradu eſt, anno ejus decimo.

IX. Subiit anno cIↄ.cc.LXXXV. Seifridus Bachreiter, qui Hartmanno Epiſcopo pro Confirmatione præſentatus, objectis ſibi variis criminibus, repulſam tulit. Domum reverſus quamvis triſtis, triſtitiam celavit tamen pulcherrime. Interea dum ſodales de ſubrogando alio diutius deliberant, ecce tibi, moritur Epiſcopus, Wolfhardo ſuccedente; huic ſiſtit ſe Seifridus, ac Confirmationem obtinet nullo negotio. Verùm poſt quadriennium, ob rem malè adminiſtratam & maximè, quòd propinquis nimium ſtuderet, abdicatus, ignominiam non tulit, ſed clanculum (incertum quò) abivit.

X. Anno cIↄ.cc.xc. ne, qui peſſumdaret Cœnobium, deeſſet, denuò electus Otho eſt. Viginti prædia dilapidavit uno anno. Quo factum eſt, ut evoluto quadriennio iterum loco motus, in pagum Schmiechen amandaretur, curam Paſtoralem ejus loci animarum, neſcio an melius geſturus, quàm Præpoſituram.

XI. Accitus eſt deinde an. cIↄ.cc.xcIV. ex Schamhaupten (*Caput Verecundum* latinè dixeris) Fridericus genere, quàm moribus nobilior. Neque is per oſtium ingreſſus in ovile eſt, ſed aliunde artibus nimirum & ope ſuorum conſanguineorum aſcendit. Ut primum Confirmationem obtinuit, equitibus (videtis pompam) amplius quinquaginta ſtipatus acceſſit; ſed longe aliter receſſit. Nam annus tertius vix dum dimidius abjerat, cùm diſſipata re familiari, deſperatione captus, comitante uno famulo,

 noctur-

nocturnam fugam cepit: & manè Conventui, ut sibi alium Pastorem legerent, renuntiari jussit. Ipse autem ad Professionis suæ Monasterium reversus, ibidem obiit inglorius.

XII. Misertus tandem Deus afflictæ nostræ Domus, salutem dedit in manu fœminæ. Mechtildis Princeps, quæ filiorum Ludovici (postea Imperatoris) & Rudolphi nomine superiorem Bavariam regebat, fando acceptis Monasterii Calamitatibus, ipsamet huc adiit, & Bertholdum Conradi, qui jus dicebat municipibus, filium (scholasticum hujus loci, vocat vitæ scriptor) hominem tunc Laicum, sed rebus gerendis sanè aptum, Oeconomum (nec erat in Domesticis qui reclamaret) constituit. Is explorato mox Domus statu, deprehendit ad cIↃ.IↃccc. libras denar. ingentem per id tempus summam, in ære alieno, prædia LXXXII. alienata. Sed brevi dexteritate tanta promovit rem familiarem, ut exhibitis Principi post biennium accepti & expensi rationibus, in Præpositum (nam Regularem Canonicum jam anteà induerat) communi omnium Consilio eligeretur, nec gravatè à Degenhardo Episcopo confirmaretur. Erat autem litteris, ut illa tempora ferebant, liberaliter imbutus, corpore prævalidus, prudens animi, lingua disertus, facie (ita loquitur historia Coæva) terribilis, vitiorum vindex. Novus igitur præpositus ante omnia ad instaurationem collapsæ disciplinæ adjecta manu, Consilio præcipuè Conradi usus est Germani sui, Monachi Dominicani. Conatum boni viri plerique vitæ veteri assueti, adeo tulerunt ægrè, ut aliquando simul non minus septem è fratribus excederent, quorum tamen quinque, emendato posteà Consilio, reversi. Eorum abitu Berchtoldus nihil territus, adolescentulos recepit, quibus, quam voluit, formam facilè impressit. Porrò cum Sodalitium auxisset eoúsque, ut sedecim Presbyteros haberet, Oblajum instituit (certos quosdam redditus, in usus fratrum extraordinarios, ab ipsismet dispensandos) tum fortasse, ob vigilantiam Præpositi tam navi, non malum; sed quod proprietatem posteà invexit, & aliorum vitiorum fons & origo fuit. Mechtildis autem Viri virtutem suspiciens, ornavit eum aulicis honoribus. Assumpsit enim eum, inquit chronicon, sibi in Principalem Capellanum, & sigilli sui secretarium: deinde constituit ipsum totius curiæ suæ Magistrum supremum & provisorem; & renovavit elapsas dignitates libertatésque, priscis temporibus à nobilissimis Principibus Ducibus Meraniæ Præposito IV. Henrico, & omnibus successoribus concessas. Qua Principis gratia bene usus Berchtoldus, redemit prædia distracta, reparavit deserta, patronos Colonorum (advocatos vocant alii) qui se intruserant in partem pensionis, plurimos removit. His accessit prædiorum aliquot ab eodem Principe donatio. Obiit Berchtoldus anno Christi cIↃ ccc.xvi. gubernationis XIX. in Festo SS. Trinitatis, cum in matutinis laudibus cantaretur Responsorium, *Summæ Trinitati.*

XIII. Et secundum Conradum (Berchtoldo non dissimilem, sed suaviorem moribus) tentatio probavit, qui eodem anno Præpositus creatus, dum autumno exeunte ultra Alpes negotiorum gratia moratur, Leopoldus Austrius, Friderici contra Ludovicum Cæsarem electi frater, terram Bavaricam cum exercitu ingressus armatorum, municipium Cænobiúmque (excepto solo nostro horreo pistrinóque) ignibus delevit. Quarto autem post anno, ipsum quoque pistrinum cum omni supellectile hostili manu periit, & Præpositus Monachium, quam urbem obsidebat Leopoldus, captivus abductus; sed Ludovico superveniente & obsidio soluta, & ille liberatus est. Qui ut primum ex calamitate respiravit, mox instaurat Monasterium. Addit reparare afflicta belli clade prædia, oppignorata redemit, amolitur advocatos. Dein distractis fundis aliquot remotioribus, emit alios propinquiores, & diversarum Ecclesiarum patronatûs jura, decimas & dotes. Et jam laborum finem advenisse cogitaverat, cum ecce templum, odejo excepto, totum corruit: quod ipse denuo impensis magnis & sudoribus erectum, auxit etiam novo S. Spiritus Sacello, adjuvante Viro nobili Udalrico Widelshofer, cujus liberalitate fundatum ibi est Sacrificium quotidianum. Nec dissimili exemplo Arnoldus à Mæxenhausen, ut uxoris innocentis cædem expiaret, sacrum aliud instituit in ara D. Leonardi. Sacellum denique sancti Martini in *Hæreden* erexit Conradus ex ruinis. Qui cum præfuisset annos XXXIV. & menses propeduos, gubernaculum deposuit suapte sponte, anno cIↃ.cccLI. Festo S. Alexii: quo die Conventus Oblajum ditavit aliquot fundorum pensionibus: supérque vixit annis VIII. mense uno, diebus circiter viginti. Sepultus in Sacello S. Spiritus.

XIV. Heinricus inde Meilinger secutus, non Conradi, sed suo, sed pessimo exemplo vixit. Prædia & fundos plurimos decimásque partim distraxit ac vendidit, paradeò oppignoravit, ut nulli omnino fructus inde perciperentur; pecuniam vero inde confectam, vel luxu dissipavit, vel in propinquos effudit. Quo ejus flagitio, eo deventum est inopiæ, ut cum sodales peracta re divina, pransum irent, inane autem esset

esset penu & mensa vacua, & nec teruntius in arca, necesse sacros calices Cauponibus opponere, ut esset unde viveretur. Ausus tamen est in tanta sua dissolutione aliis severus esse: & novum quidem Carcerem pro fratribus extruxit, sed ipse anno præfecturæ XXVIII. dignitate proturbatus, primus eo clausus est. Nihil gessit memorabile, nisi quòd non diu antequam abdicaretur, Altare B. Mariæ Virgini in Templi parte infima erexit. Defunctus, tumulum ante Altare S. Barbaræ accepit.

XV. Ecclesiæ nostræ iterum quassatæ, iterum succurrit Principis pia sollicitudo. Joannes Superioris Dux Bavariæ, Ludovico Cæsare dignus Nepos, huc veniens, simul accivit Udalricum Scheller Presbyterum, bonæ famæ virum & peritum rerum agendarum, Pastorem in Königsdorf; quem assentiente Ordinario, nec Conventu repugnante, Administratorem fecit. Is officium tam naviter implevit, tam sapienter spiritualia cum temporalibus attemperavit, ut tandem Præpositus Canonica Electione fieret, ac confirmaretur. Reparavit ruinosa ædificia, prædia redemit obærata, proque facultatibus quas attulerat à sæculo, decrevit multa divino cultui augendo; è quibus est, ut *Alma Redemptoris* quotidie cantetur ante sacrum solemne. Vitam clausit anno regiminis undecimo, pridiè Idus Novembris.

XVI. Jacobus post eum Bienzenawer, quadraginta ipsos ad clavum & octo annos sedit. Rem familiarem satis utiliter, sed impensis magnis procuravit, captato eorum, quibuscum agendum erat, favore ac benevolentia per larga symposia. Sic multa, quæ Heinricus Meilinger prodegerat, recuperavit. Qualis autem quantúsque fuerit in disciplinæ regularis cultu, facilè est cogitare. Oblajum (ut illius sæculi utamur verbo) malorum cæterorum seminarium adhuc vigebat, & multa incommoda invexerat: quæ uti tollerentur, Alberti Ducis opera, vocati sunt ex bene reformato Monasterio Undersdorfensi, qui Diessenses docerent meliora. Ii fuerunt Joannes Schœn Magister artium, postea Præpositus. Andreas, Augustinus, Sylvester, & quidam Anonymus: quibus licet à nonnullis acriter resisteretur, constanter tamen in id, cujus gratia advenerant, incubuerunt. Fama est, & Jacobum Præpositum Reformationi obstitisse varias per artes, atque hanc fuisse Caussam, ut simulata profectione Tyrolensi, in Rotenbuech veniret, hominem suis moribus similiorem designaturus successorem. Sepultus est autem ante aram S. Crucis.

XVII. Thomam Vend, Rotenbuechensem Canonicum à Jacobo nominatum successorem, jam significatum est. Is veræ pietatis Reformationem vel non intellexit, vel aliàs neglexit; externæ Oeconomiæ ac rei rusticæ scientior studiosiorque. Ad Tyrolensem Vindemiam profectus, vitam ibi morbo finiit, annis Præposituræ suæ evolutis nondum planè tribus.

XVIII. Conradus Sartoris, subiit anno cIↃ.cccc.xlviii. cujus Electionem non defuerunt qui studio ambitionis impugnarent: quod ille ut advertit, furori concedendum ratus, renuntiavit suo juri. Verùm ea ratione suæ potius quieti consuluit, quàm Monasterio, cui majores hinc impensæ imminebant. Ergò Augustam profecti cum Conrado ambitiosi illi apud Petrum Episcopum & Cardinalem verbis supplicibus, apud ministros ejus donis muneribúsque, ut sibi præpositus designaretur, institerunt; nihil minus, quàm de Conrado, cogitantes, sed sibi quisque optimè sperantes. Petrus eorum perspectis artibus & ambitu, lupos hiantes pulcherrimè elusit, ac Conrado semel jam electo parere jussos, remisit domum. Ille sic confirmatus, ædificiorum alia resarcivit, ampliavit alia, nova alia construxit, nec Undersdorfenses interim restituendæ disciplinæ segniter advigilabant. Ipse demum anno Præsulatus decimo è Corpore discessit IX. Kal. Febr.

XIX. Conradum Marstaller, Oeconomum deinde elegerunt, quibus horrori erat disciplina regularis, hominem nec litteris excultum, nec aliis regendis natum. Quam Electi ineptitudinem Joannes Schœn, Decanus Petro Episcopo coram exposuit. Responsum est ab illo: *Magister Joannes, non possunt omnes esse Magistri, sed sufficit, si aliàs fuerint dispositi & probi.* Conradus accepta Confirmatione lætus domum rediit: sed qui in Oeconomia laudem alicujus diligentiæ collegerat, hanc quoque brevi perdidit, indulgentia in Consanguineas corruptus. Decanum Reformationi insudantem adeo non juvit, ut & manifesta quorundam Crimina dissimularet, eam ignaviam haud diutius tulere Dux Albertus & Petrus Cardinalis, qui abdicare jusso, concesserunt tamen splendidè vivendi liberalem apparatum; de cujus reliquiis ipso mortuo frustra litigatum est à Consanguineis. Vixit Præpositus tres annos, non multum post superstes.

XX. Tandem Joannes Schoen, hoc eſt, *pulcher* (& verè pulcher, qui tam diu exulantem ſpiritualem pulchritudinem huic noſtro Monaſterio reſtituit) poſt viginti annorum labores in Decanatu exantlatos, factus eſt Præpoſitus. Is Reformationem, omnibus jam remoris ſublatis, aggreſſus; Fratres non tam verbo, quàm exemplo docuit: & ut oves ſuas bonus paſtor ſemper in oculis haberet, in communi dormitorio, uti ex ipſis unus, habitavit, tum Officiales potiores ſui ſimiles creavit, Udalricum Illmunſterer Schirenſem, Oeconomum, & Udalricum Weilheimer, ſæcularem quondam Canonicum in Monte ſancto, Decanum. Sed erant, quibus jugum Chriſti durum erat & onus grave: ex quibus aliquando ſimul quatuor Presbyteri furtim abjerunt, & per internuncios, ut ſibi vitam alibi liceret degere, obtinuerunt. Et aberat adhuc Joannes Thorer, qui jam, Conrado gubernante, equo clam diſceſſerat, hoſtiléſque ac minaces literas miſerat Præpoſito. Enimverò Conradi eas non timuit Succeſſor. Comperto per exploratores luſtro vagi hominis (erat autem tunc in Pago-Menchingen) eum comprehendit, & duro carcere conſtrictum ultra annum tenuit. Sed invenit is tandem, unde evaderet, fruſto quippe cocti lateris repagulum diſſolvit, longo ſed pertinaci labore. Ita cum erupiſſet, comparatis armis, nihil non hoſtile geſſit in res homineſque Monaſterii. Equos abſtulit, fabrorum incendit ligna, unum famulum ſagitta interfecit: graviora ne faceret, Alberti Ducis & Petri Cardinalis interceſſit auctoritas, qui hominem ad pacem minis compulerunt, his conditionibus, uti à Monaſterio extorris ſemper eſſet, ei verò hinc quot annis decem aurei, quamdiu viveret, perſolverentur. Qui tandem in Rotenbuech vivendi finem fecit. Liberato itaque à lappis tribuliſque agro Domini, Præpoſitus noſter ex Undensdorfenſi Profeſſionis ſuæ Monaſterio novam coloniam traduxit, in qua fuit & Succeſſor ejus Joannes Zallinger, acceſſit Petrus Hirs ex Cœnobio Rohrenſi, cujus ſedulitatem teſtantur etiamnum pro choro ſcripti Codices. Multas porro impenſas fecit optimus Præpoſitus in novas, eaſque planè neceſſarias ſtructuras. Nam hortum Refectorio vicinum, ſudibus ad id usque tempus malè ſeptum, muro cinxit bene alto; ac totum Monaſterium mœnibus cœpit portiſque claudere. Ejus quoque eſt tota ædificatio, quæ nunc partim habitatur à Præpoſitis, partim ab hoſpitibus frequentatur. Fatiſcentem vetuſtate S. Stephani Eccleſiam dejecit, Epiſcopi conceſſu, erexitque novam. Ipſius præterea molitio eſt, turris operoſa Eccleſiæ Majoris, quam ſeptennio abſolvit. Sacrum Theſaurum cumulavit multis ornamentis, Bibliothecam bonis libris. Abiit ad meliorem vitam, anno laudatiſſimæ adminiſtrationis quarto decimo, relinquens & diſciplinam rectè conſtitutam, & rem familiarem optime inſtructam.

XXI. Succeſſor datus eſt votis conſpirantibus, anno CIↃ. CCCC. LXXIV. Joannes Zallinger, vultu quidem ſeverus, ſed in Fratres pietate ſuavis. Qui quò faciliùs diſciplinam modò conſtitutam tueretur, ſuos otium vitare docuit, ac libris deſcribendis occupavit. In negotiis civilibus tanta erat exiſtimatione, ut in lite aliquando nobili, quæ ad Cæſareum tribunal agitabatur, arbiter conſtitueretur. Ruinæ proximum ſacellum D. Albani novum fecit, & in templo noſtro Chorum erexit in ſublime, columnis nixum. Condidit Granarium quadrato lapide. Mœnia, quæ Deceſſor ejus cœperat, abſolvit. Ejus temporibus usque in Carinthiam immanitas Turcarum penetravit: quæ cauſſa fuit, ut venditis, quos ibi habebamus, redditibus cenſibusque, eodem pretio vicinos compararet. Porrò ſignificat ante centum annos ſcriptum Chronicon, bonum alioqui virum extrema ætate moroſiorem factum, ac remiſſius agentem obtrectatoribus non caruiſſe. Mortem obiit anno CIↃ. CCCC. XCVI. XII. Cal. Martii, Sepultus in umbilico ſummi templi.

XXII. Dehinc Conradus Maurer Compromiſſo (ſcrutinium tentatum quidem, ſed caruerat eventu) eſt electus. Qui dum nominatur, Lacrymas non tenuit, præſagas fortè Calamitatis ſecuturæ. Erat quidem antea vegeto ſemper integroque Corpore, ſed brevi morbo gallico ac podagræ doloribus affectus ita eſt, ut ad diem usque mortis lecto plurimum hærere cogeretur; acceſſit malum gravius, quod eum fama, ſeu vera, ſeu falſa, luis venereæ ſuſpicione conſperſerat. Chronicum noſtrum vocat hominem minus doctum, & conſequenter parum providum. Fuit tamen in diſpenſandis temporalibus ſatis dexter, nec rerum divinarum negligens: nam templum majus lateritia teſtudine & Organo, & aliquot altaria ſacrarum imaginum quà pictarum, qua ſculptarum tabulis ornavit: aram novam in veſtibulo honori Angelorum excitavit: Sacellum S. Martini renovavit: paſtoralem D. Georgii Eccleſiam, mox ruinam minitantem, dejectam ſolo, novam reddidit. Ejus inſuper ſunt opera, valetudinarium (quod jam in Veſtiarium converſum eſt) & domuncula presbyteri ad S. Raſſonem habitantis. Ipſo præſidente exarſit bellum Palatinum in Bavaria, ad quod reſtinguendum conferre juſſus eſt aureorum millia

millia plus quatuor: quæ caussa fuit, ut æs alienum moriens relinqueret, Hieronymo Viti, qui successit, dissolvendum. Decessit anno CIↃ. IↃ. XII.

XXIII. Hic etiam frustrante scrutinio (ambitionem eligentium accusat auctor vitæ suæ) per Compromissum creatus, in illa incidit infausta tempora cùm Lutherus Germaniam Doctrinæ suæ pestilentia afflatam miscere cæpit seditionibus, bellis, Sacrilegiis: quæres & Hieronymo incommodare visa est. Argumenta certe habeo minime obscura, itum hìc fuisse in antiquum disciplinæ Chaos: & ipse, qui docere sanctitatem exemplo debuisset, impuram consuetudinem nescio cum quo Dæmonis mancipio habebat, sciente & connivente sacro Magistratu. At rem domesticam pro temporum difficultate sat bene procuravit: & quamvis prædia nonnulla, ut imperatam in belli usus pecuniam conferret, alienarit; plura tamen rursus Comparavit, ad plures abiit ætatis anno LI. Christi CIↃ. IↃ. XXXV. Cal. Febr. cùm Præpositus fuisset annis XXII. ac semestri.

XXIV. Depositum ab Hieronymo per mortem onus Joannes Dietmair suscepit Weilheimensis, mitis animæ Vir, in pauperes munificus, sibi temperans, Orationis studiosus. Bernardum suum deinde successorem habuit, Granario præfectum: qui abusus viri lenitate impedivit, ne Joannes admodum in re familiari promovenda esset felix. Quamquam, si verum est, quod adhuc narrant natu grandiores, ad bellum Turcicum, ad aliasque patriæ necessitates, supra viginti aureorum millia per annos totidem contribuit, mirum non est, pauxillum ab eo contractum æris alieni, aut unum alterumve prædium oppignoratum. Mortis necessitati paruit anno CIↃ. IↃ. LVIII. III. Kal. Novemb.

XXV. Joanni Bernardus ejus Civis mox suffectus est: quem laudare vellem, si verò possem. Mores certè hominis non meruêre. Vinariam tabernam excitavit ad mœnia Cœnobii, impensis sanè magnis, nullo impendio. Prædia non pauca vendidit. Ergo tandem dignitate, quam novennio tenuerat, exutus est.

XXVI. Dein Udalricus Trieg Buchloënsis, Suevus, biennium Administrator audiit, Præpositus quinquennium; homo intemperans, œconomiam universam ita gessit prodigaliter, ut Successori nihil prorsus relinqueret pecuniæ paratæ, nihil vini, frumenti nihil, sed æris alieni multum. Nec tamen, quod sciam fundorum distraxit quidquam (oppignoravit autem nonnihil, redimendum Successori) imò unum emit & alterum. Sacellum in Raumental construxit honori SS. Trinitatis, & Beati Udalrici. Tribus locis erexit Christi statuas è cruce cum latronibus pendentis, quæ tacere nolui, qui deteriora dixi.

XXVII. Post hunc Joannes Reismair, Odertingæ natus ad Ambram, pago provinciæ Landspergensis, Pollingensis Monasterii presbyter professus, & parochus in Beisenberg, Udalrico relegato Rotenbuchium, cæteris de Collegio per alia Cœnobia dispersis, utriusque Magistratus authoritate ad Diessensem vocatus Præposituram, Monasterio tam fuit utilis, quàm noxii, qui eum proxime antecesserunt. Annos præfuit XV. desiitque vivere IV. id. April. anno CIↃ. IↃ. LXXXIX.

XXVIII. In ejus locum eodem anno scrutinio electus Balthasar Günter Krälhoviensis (quæ villa solitaria est parœciæ Beisenbergicæ) in Decessoris sui vestigiis perrexit laudabiliter. Emit opimam vineam Terlani ad Athesin. Ecclesiam S. Rassoni novam eamque ampliorem condidit. Deposuit Curam Cœnobii cum vitâ anno CIↃ. IↃC. XI. Nonis Februarii, sepulchrum nactus juxta aram sanctæ Annæ.

XXIX. Simon Werlinus, natione Bojus, Patriâ Landspergensis annô ætatis 16. Sacram Regulam Augustinianam Professus, tum expleto tyrociniô ad Universitatem Ingolstadiensem studiorum causâ missus operâ R. P. Jacobi Rhem, Soc. Jesu Presbyteri (cujus Laus est in Evangelio seu in Bavariâ Sanctâ jam suprà citata fol. 160. & seqq.) non tam altioribus scientiis, quàm Religiosis Virtutibus solerter admodùm imbutus, inter malos bonus, & forma gregis ex animo factus anno 1611. præter spem omnium per viam Compromissi, uti vocant, in Præpositum Diessensem electus, quàm primùm in novo Superioritatis munere confirmatus, nihil antiquius habuit, quàm ut locum sibi creditum omni ex parte reformaret, quod & brevi temporis spatio (afflante Spiritu sancto) feliciter omnino præstitit, ut juxtà Concilium Tridentinum veterem & Regularem restauraret disciplinam prospero successu merissimè subsequente, nempe Divino Numine in ipso Simone Præposito æquè ac Religiosis Fratribus ac Filiis illius mirabiliter operante; atque hæc inter singularis humilitas variis titulis in eo mirificè præluxit, dum scilicet prærogativas ac dignitates Prælaturis Claustralibus aliquando conjungi solitas, sibi ultrò

oblatas omninò respuit, imò etiam munus suum & regimen omne sæpiùs ad manus Ordinarii resignare voluit, quod tamen nemini non displicuit, ut scilicet virtus ejus ampliùs illucesceret. Visitator etiam Ordinis sui in Diœcesi Augustana ex officio constitutus, talis nec à quoquam nominari seu inscribi severè vetuit. Observantia votorum substantialium sanè rigidissima, ad exemplar omnium mirificè præluxit, siquidem de communi Vestiario cum aliis vulgariter indutus, vulgari etiam mensâ semper in Refectorio pastus; omne item famulitium hominum sæcularium pro privata persona sua in totum repudiavit, unius solùm fratris Laici ministerio quandoque usus. Castitatis amore omnem congressum fæminarum etiam in publico & coram testibus in tantum exhorruit, ut palàm hostis earum & vir planè virgineus audiret. Obedientiæ & Reverentiæ erga Reverendissimum ac Illustrissimum Ordinarium suum semper studiosissimus, ab Eodem vicissim singulari amore præ reliquis charus haberi meruit, & pretiosus, proin juxtà mentem præfatæ Celsitudinis suæ *Corona Prælatorum* intitulari solitus; quin etiam suo (qui ei cum Conventu communis erat) Confessario liberum esse voluit, ut cum Eo etiam extra Confessionale agere liceret de iis, quæ videret, observaretque circa se animadversione digna. Præclare autem illud consideravit, & non semel gloriantis in Domino more dicere solebat, per Decreta Statutorum Diessensium Præposito efficaciter consultum esse, & speciatim quidem quoad substantialia Religionis; Paupertati quidem illius per commune depositum: Castitati per somnum & quietem nocturnam in communi claustri dormitorio, Obedientiæ per relationem annuam de temporali & spirituali profectu statuque Monasterii Ordinario Loci faciendam: Temperantiæ porro in se suisque conservandæ promovendæque semper studiosissimus fuit. Conversatio Ejus post mensam, & aliàs ferè tam in suo Conventu, quàm cum aliis erat de rebus spiritualibus vel litterariis. Reliquo tempore occupatus erat in suo ad humilitatem undique composito Conclavi proximè juxta Claustrum, in quo plurimum ei negotium fuit cum Breviario Romano, lectione SS. Patrum, aliorumque Scriptorum vel commentatione scribendorum operum, quorum non pauca elaboravit, partim etiam typo vulgavit. Præcellens ejus ingenium, judiciúmque probant libri editi, ineditíque quàm plures, ut proin Gabriel Naudæus illum jure merito recoctæ sagacitatis & diligentiæ laude Scriptorem laudatissimum appellarit. Cæterùm fuit Simon iste (uti celebris quidam Scriptor jam dudum evulgavit) Religiosissimus atque doctissimus, æqui verique amantissimus; quo quidem nomine graves adeò & frequentes adversariorum contradictiones passus est, atque contumelias, quas tamen ille tota Religiosa patientia ac precibus, in salutem inimicorum Deo litatis, vindicare solebat hilari vultu subdens: modò ego salvem animam meam, cætera curo nihil. Quaterna, urgente bello Suecico, passus exilia, ea in rem ita traduxit suam, ut novarum dici potuerit officina virtutum; occupationes siquidem erant, frequentatio Divinorum, sacrorum Codicum lectio &c. &c. Sed finiri tandem exilia, & de exilio redire in Patriam oportebat; cælum dico, quod & ille Patriam semper suam esse censuit, & meritis ejus rectissimè debebatur. Usus fuerat in quarto & postremo exilio (ut aliàs semper) Collegio Neocellensi Diœceseos Brixinensis in Tyroli, itidem recensendo infrà. Atque hîc loci tandem annô 1648. morbô lethali correptus, ac sacris de more pientissimè provisus, cùm integro mense antè quasi futurorum præscius, haud quicquam aliud diu noctúque egisset, quàm ut intensissimos eliceret actus virtutum, totus, ut semper erat, & assueverat, in Deum resignatus, devotissimè, uti vixerat, mortem oppetiit die 30. Septembris prædicto anno Christi 1648. ætatis 66. Religiosæ Professionis 50. Sacerdotii 40. Prælaturæ 38. Decessus illius multis uberrimè ciebat lacrymas, corpus terræ mandatum fuit in sacello, Prælatorum Neocellensium sepulturæ designato, dignissimus sanè ipse (uti totum attestatur Diessense Cœnobium) qui optimis jam inde à quingentis annis conferatur, vel etiam anteferatur Præpositis Diessensibus; quippe qui sæpefatum Monasterium suum tot novis instauravit ædificiis, pretiosisque adauxit libris, ut fundator dici meruerit, tam sapienter Religiosos subditos gubernavit, salubribúsque munivit legibus, ut inter præclara Ordinis Canonico-Augustiniani Sydera referri dignus omnimodè censeatur. Plurima scripsit, quæ partim (ut suprà dictum est) jam sunt edita, partim verò adhuc inedita manent, hæc tamen eadem itidem recensenda paulò inferius post finitum Præpositorum Catalogum.

XXX. Antonius Iglmayr, Acroniano-Suevus, Patriâ Uberlinganus, priùs Sacerdos Sæcularis provectâ jam ætate Monasterium ingressus anno 1627. brevique post emissam Professionem Canonicam jam in Virum formatus omnibus muneribus parem, & eximia rerum gerendarum peritiâ clarus, rei familiaris dehinc curam agere fuit constitutus; quo in officio dum omnes solertis Oeconomi partes ad amussim explevit, à morte Prædecessoris communi suffragantium calculo summam in Diessenses de posthac exercere potestatem nominatus, licèt vel invitus maximè, Prælaturæ vices adiit anno 1648; ex

quo

quo tempore tam diu profuit quàm diu præfuit, etsi cuncta, quæ fecerat, ipse in nullo pretio haberet, tantâ semper inter supremos honores demissione fulgidus, ut non coæqualibus modò, sed & inferioribus locum cederet honoratiorem in congressibus publicis, imò domi suæ nec famulum admitteret, aut puerum, qui necessaria quandoque ministeria lasso præ senectute Præsuli præstaret, aut succurreret; egregius sanè Religiosæ paupertatis cultor, tenui victu, vestitúque contentus, allaboraret plurimùm, quìnam vetustate collapsa, aut labentia restauraret, ædificia nova construeret, æs alienum dissolveret &c. Arsit in eodem laudatissimo Antistite discretus admodùm Regularis observantiæ Zelus, eximius cultum divinum magis & magis adaugendi conatus, imperterritus in adversis, quæ plurima tulit, animus, tota denique virtus, quæ Deo annuente tot ei vitæ dies peperit, ut festivos inter occurrentium applausus Mysta Jubilæus ad Aram steterit. His meritis & annis grandævus Senex pientissimus in Domino requievit anno 1673. ætatis 78. Sacerdotii 52. Religionis 46. Uberrimas integerrimi Præsulis abitus & obitus ex Filiorum, & Subditorum, eorumque, qui morientis lectulum circumstabant, oculis lacrymas extorsit, quin & resorptis in ima pectoris singultibus demonstrabant, quàm charum omnibus Caput amiserint. Sic finiit.

XXXI. Renatus Sonntag, & is quoque natione Suevus, Patriâ Waldseensis die 29. Augusti annô 1622. terris editus, post editam Professionem pluribus annis Officium Oeconomi seu Procuratoris, ùt vocant, plusquàm laudabiliter administravit, donec anno 1673. die 10. Julii ad vacantem, omnium & singulorum suffragantium votô, Prælaturam assumptus durante regimine suo plura reliquit industriæ suæ monumenta, atque hæc inter amplissimam Religiosorum Canonicorum suorum claustralem habitationem, cui tota Superior Bavaria in cunctis aliorum etiam Ordinum Monasteriis vastitate, & majestate sua vix habet similem, maximis sumptibûs apparatam, debitum naturæ solvit die 15. Novembris anno 1690.

XXXII. Andreas Sedlmayr, natione Bojus, Patriâ Berghusianus annô 1690. die 15. Decembris communi suffragantium calculô ceu dignior, atque aptior ad Regularem Prælaturam delectus, tum etiam præ cunctis Prædecessoribus suis ampliùs honorari promeritus, authoritate Sedis Apostolicæ ab Ordinario suo Reverendissimo ac Serenissimo Principe ac Domino Domino Alexandro Sigismundo S. R. J. Principe ac Comite Palatino Rheni &c. &c. Principe & Episcopo Augustano, seu Ejusdem Serenitatis suæ substituto Suffraganeo, Reverendissimo itidem ac Perillustri Domino D. ex Baronibus de Westernach Episcopo Dioclensi Suffraganeo Augustano Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ Canonico & Præposito &c. Assistentibus simul Reverendissimis Dominis D. Valerio Pollingensi, altero Felice Augustano ad S. Crucem Præposito &c. anno 1707. die 6. Aprilis Dominica secunda post Pascha in propria sua Diessensi Ecclesia, complaudentibus omnibus bonis, mitrâ Præsulari ac cœteris Insigniis Pontificalibus festivissimo ritu solenniter inauguratus. Tempore Regiminis sui multa adversa sustinuit, heroicum semper præferens animum, ex ore ejus nihil aliud effluebat, quàm: *fiat voluntas Dei; terrena sunt ista, modò Deus non concedat inimicis meis, ut æterna, & cœlestia mihi eripiant.* Quotidiana visitatione honorabat Jesum Eucharisticum. Personæ propriæ propè oblitus omnia in profectum Collegii sui, & S. Rassonis præclarissimi Thaumaturgi Ecclesiæ exstructionem, Ecclesiasticum Ornatum, plurium campanarum comparationem, & Religiosæ domus suæ incrementnm convertit, quare alterum quasi Fundatorem illum etiamnum dilaudant Posteri. Tandem post plurimos exantlatos labores, post dolores per continuum annum patientissimè toleratos, totus quantus in divinam voluntatem resignatus, viribus deficientibus è sublimi Crucis suæ, id est Regiminis Arbore cum Suo Patrono exclamare visus est: *Accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo*, quod & obtinuit, dum 2. Aprilis omnibus SS. Sacramentis ritè præmunitus, piissimè & placidissimè obiit anno ætatis 79. Professionis 57. Jubilæi Sacerdotii 50. & laudabilissimæ Præ-laturæ 29. Christi verò 1719.

XXXIII. Ivo Baader, Undensdorffensis Bavarus. Jam viginti tres numerabat annos, cum Canonicæ Militiæ nomen daret. Emenso Philosophiæ cursu Anglipolim missus, egregius Theologus & Canonista rediit. Curis Pastoralibus admotus, ægrotis & solatio & consilio nunquam defuit à quibus anno 1719. die 26 Aprilis redux in Abbatem electus est omnium bonorum suffragiis. Electus honores mutavit non mores, humilitatis studio omnibus admirandus. Pater Pauperum, singulare Castitatis speculum, rarum sobrietatis Exemplar, in mensa frugalis & communi contentus, Orationis amator, Virtutum imitator, Sanctorum cultor, præsertim B. Virginis (in cujus honorem singulis Festis Marianis Lytanias Lauretanas sub expositione SS. Sacramenti solenniter decan-

 tari

tari instituit) devotissimus Cliens fuit. Decorem Domûs Dei vel maximè dilexit ; ad hunc enim promovendum, insignem atque magnificam Basilicam ædificare intendit, in tantum Davidem superando, ut non modo præparatoria Filio Salomoni Successori suo collegerit, sed & ipse eandem ad tectum propè ascendere fecerit. Jussit autem Deus quiescere à laboribus dilectum sibi Operarium, postquam magno Canoniæ Damasianæ emolumento portavit pondus annos 9. Sacerdotii quindenos, Religionis 19. Mortalitatis 43. Obiit enim Anno post Christum natum 1728. 14. Martii in divinam voluntatem resignatissimus, & ad æternitatis felicis iter optimè instructus meritis quàm annis gravior Erysipelate, ac tandem superveniente phrenesi consumptus.

XXXIV. Herculanus. Meritissimi hujus Antistitis vitæ seriem ex funebri elogio disce, quod eidem mæstissimi filii posuêre in Litteris ad Confœderatos. Fascias Reverendissimo nostro, inquiunt, dedit Oenipontum Tyroleos caput: ubi è Parentibus honestissimis oriundus, in sacro Baptimatis Fonte Josephi, Filii accrescentis nomen est adeptus. In primo ætatis flore se sub Herculis Sydere, consequenter ad Laborem natum demonstrabat ; nam per indefessam diligentiam sciebat Ipsius lingua eo tempore & suaviter, & doctè canere, quo in aliis vix balbutire didicit. Postea à domo paterna maximæ spei surculus, qui furtivè avulsus, plantatus est in domo Gregoriana Monachii Bavariæ Metropoli, ubi in Laboribus à juventute, pusillo in corpore prægrandem alebat animam; in studiis enim erat inter omnium primos primus: in virtute nulli secundus.

Vix Ephebos egressus de vitæ futuræ statu deliberans in virtutis, & voluptatis bivio positus, cum Hercule repudiatis mollioris vitæ illecebris, virtutem ad ardua vocantem generosô mundi contemptu secutus ambulabat *viam Viri in adolescentia.* Prov. 30. v. 19. Hinc Canoniæ nostræ fores pulsans, illas sibi apertas invenit, peractóque feliciter Tyrocinii annô, in sacra Professione magnum accepit Herculani nomen, grande omen, ùt inceperat, plenissimè impleturus. Ingolstadium enim missus Philosophiæ, Theologiæ, ac Jurisprudentiæ per diurnum, nocturnúmque Laborem adeo præclaram navabat operam, ut in florentissima illa Universitate scientiam prorsus excellentem sibi compararit, interque Gigantes se Herculem demonstrarit. Sic crevit cum annis Labor ; nam *qui addit scientiam, addit & Laborem.* Eccl. 1. v. 18.

Domum redux, ad Sacerdotalem dignitatem evectus Herculis mox cothurnos induere, Fratribus junioribus Aristotelem prælegere, reique œconomicæ curam gerere jubebatur: quæ munia dexterrimô, omni charitate referto, fructuosissimóque Labore sic obivit, ut Capitularium animos amore sibi devinctos tenens, per Canonicam Electionem ad Præsulis dignitatem sit promotus.

Hoc jam in munere Reverendissimus Herculanus noster Labores in se suscepit verè Herculeos, ubi Cœli, mundique globum suis humeris sustentabat. Fervidissimé insudabat spiritualibus concrediti Collegii bonis : Giganteis passibus ad Sanctitatis culmen properabat. Nam Paupertatis religiosæ cultor prorsus eximius in victu, vestitu, habitatione, supellectili omnis luxûs acerrimum se se osorem semper exhibuit. Erga beatissimam Virginem devotionem omninò insignem fovebat totus Mariophilus, cùm tot inter curâs, Laorésque integrum in Illius honorem quotidie Psalterium, seu tria Rosaria, præter varias alias ad varios Cœlites preces, persolveret. Cœlestium contemplationi, sacræ Lectioni, Examini Conscientiæ, Horis Canonicis statas horas indispensabili Lege consecravit vix non ad scrupulos fervens, ac devotus: in volvendis, revolvendísque S. Asceseos, præcipuè R. P. Alphonsi Roderici de Perfectione Religiosa Tractatibus assiduus, & ultimis præsertim ægritudinis suæ annis per omne fermè tempus antemeridianum occupatus. Præclaris hisce exemplis suos Filios ad imitationem provocans, insuper mores ad omnes perfectionis regulas excultos verbis, hortationibus, minis, ac (ubi opus erat) paterna etiam castigatione instituebat. Et hercle! priùs Herculi clava, quàm Reverendissio HERCULANO nostro virga disciplinæ extorqueri potuisset.

At nondum hic stitit indefessus Vigilantissimi Præsulis nostri Labor: plùs ultra, & extra Herculis etiam columnas se se extendit. Tacemus hìc œconomiam ad optimam methodum instructam: rem familiarem oppidò auctam, multiplicata Fratrum cubilia, exornata hospitum habitacula. Silemus plura, & plurima minoris monumenti gesta in aliis forsan, non tamen in Herculano ob majorum copiam, dilaudanda. Tacemus, quod Ecclesiam Parochialem S. Georgii ampliaverit, ampliatam artificioso ex calce torevmate decoraverit, decoratam Particula SS. Crucis donaverit. Silentio involvimus, quòd templum ad Thavmaturgum S. Rassonem nostrum in Werth eleganti Organo pnevmatico, aurô, & penicillô artificiosissimo splendescere jusserit. Satis superque, nobis etiam

iam tacentibus, loquitur indefessos Herculani Labores Ecclesia nostra Regularis, quam præalta cum Turri è fundamentis erectam statuis, Altaribusque à Phidia, picturis ab Apelle, marmoribus à Dædalo elaboratis, omnique ornamentorum genere ita locupletavit, ut aurum, & argentum multiplici Altarium ornatui impensum, non tam ab intrinseco pretio, ac pondere, quàm artificio omnium æstimationem sibi jure vendicet. Hinc peregrinus non rarò oculus ad primum obtutum præ admiratione quasi in extasin raptus illud Apocalypsis cap. 21. v. 1. *Vidi cœlum novum*, *vidi cœlum novum*, ingeminare est auditus. Sanè posset Reverendissimus HERCULANUS noster merito suspectum se reddere, cum Hercule aurea Hesperidum poma surripuisse, & applicasse sumptuosissimo huic operi, quod nunquam cessabit improbum Illius, & verè Herculeum deprædicare Laborem. Hucusque audistis Labores: jàm dolores percipite.

Herculem fingit Ovidius diu, multumque gravissimis flammarum doloribus excruciatum. Reverendissimus HERCULANUS noster veros, & efferos dolores non potuit non sentire, dum Patria nostra diro Mavortis incendio evertebatur, dolebat in vastatis prædiis: dolebat in evacuato Granario: dolebat in depauperato subdito: dolebat in Charissimis Filiis Amandissimo Patri suo, quem fulgurantes inter acinaces captum videbant, condolentibus paucis, non tot ex hydra illa Herculis Capita, quot tristissimâ illius Ævi periodô dolorum causæ in HERCULANUM propullulabant.

Vix dolor hic universalis per Pacis olivam lenimen acceperat, novus dolorum exercitus Reverendissimi HERCULANI Corpus invasit, Calculi enim acutissimi Cruciatus per septem & ultrà annos tam vehementer, támque sæpè Reverendissimum HERCULEM nostrum lancinabant, ut nec sol, nec luna vel horulam, aut horæ quadrantem sine gravissimo Illius dolore numerârit. Quales namque, quantique Reverendissimi HERCULIS fuerint herculani dolores, in Ipsius Corpore tanquam stabili morborum Nosocomio habitantes, damus ex Testimonio peritissimi Medici, ac Chyrurgi, post sectionem anatomicè institutam tradito. *In cavitate Thoracis vix non mensura una seri extravasati inveniebatur, cum quatuor concretionibus polyposis tam in dextro, quàm sinistro Cordis ventriculo existentibus, ita, ut uterque lobus pulmonum corruptus in illo quasi fluctuare videretur. In vesica (S. H.) urinaria duo calculi majores, duóque minores reperiebantur, quorum primi mediam Libram & & amplius ponderis civilis: reliqui verò dimidiam drachmam adæquabant. Nec minùs renes erant penitus exulcerati copiosissimóque sabulo repleti.* Quæ mala tamen omnia adeò invictâ Reverendissimus Heros noster patientiâ, & resignatione toleravit, ut dolores etiam intensissimi alios gemitus, questusve extorquere non possent, quàm: *Mi DEUS! auge dolorem, sed auge & patientiam: Sit nomen Domini benedictum: hic ure hic seca, modò in æternum parcas: Miserere mei DEUS secundùm magnam misericordiam tuam &c.* Luculentô utique testimoniô, quòd *sub linqua ejus* fuerit *dolor*. Psal. cit.

Tandem Hercules fictus à Poëtis, & victus à doloribus in Oetha Thessaliæ monte per Rogum suos cruciatus, ac vitam finivit. Ovid. loc. cit. Reverendissimus, melior, & verus HERCULES noster hucusque invictus sensit 13. Martii se brevi per inflammationem vesicæ à morte vincendum; hinc postquam SS. Sacramentis ad ultimam Luctam fuerat munitus, ab omnibus & singulis suis (ùt humilitas vocare jussit) Confratribus illatæ fortassis injuriæ, dative scandali, in præsentia multorum sæcularium, verbis melle stillantibus veniam rogavit, sicque suos Filios, quorum pectora palpitabant gemitibus, futuros mox pupillos, oculorum suorum pupillas, in amaras abire lacrymas fecit. Donec 16. Martii, eâdem, quâ Reverendissimus Illius Antecessor p. m. ante 27. annos decesserat, Dominicâ Christo patienti sacra, doloroso in Lectulo, Patientiæ rogo, Laborum, & dolorum victima, Animam meritis gravem, in Corona Filiorum comprecantium placidissimè exhalavit, Cœlóque ad recipiendam (ùt confidimus) lenti Martyrii Laureolam transmisit, circa horam noctis decimam, anno Ætatis sexagesimo quarto, S. Professionis quadragesimo secundo: Sacerdotii trigesimo octavo: Regiminis vigesimo septimô.

XXXV. Bertholdus II. Patriâ Augustanus, natus ex Patre Mathia Wolffio, celeberrimo ævi nostri Bibliopola, ex cujus Officina libraria præstantissimorum Virorum Opera magno numero prodiêre. Egregiis naturæ gratiæque dotibus ornatus, ab honorifico Decanatûs munere ad Insulam Damasianam in florenti adhuc ætate, Musarum & Virtutum choris in unanimia suffragia conspirantibus, anno 1755. vocatus, Spem optimam de se conceptam non implevit, sed superavit hactenus. Charismata meliora Antecessoris sui æmulando, tritam de Hercule fabulam invertit in historiam, ut absque

palpo affirmare liceat, Herculi, five Herculano iterum fucceffiffe Atlantem minimè feffum, fed paribus lacertis & meritis inftructum.

Vivat Atlas, facrúmque diu fuftentet Olympum!
Tandem hunc poft feras fcandat Olympiades!

Catalogus

Potiffimorum Scriptorum Illuftrium Collegii Dieffenfis.

Albertus Teuto: Canonicum Inftitutum in hoc Collegio profeffus, Vir pietate ac litterarum fcientiâ præftans, qui, ut fuam erga SS. Chrifti Servatoris noftri dolores ac mortem, propenfionem, animique affectum Pofteris palàm redderet, mortem ac cruciatus Ipfius graphicè depinxit: floruit anno Partûs Virginei 1422. fcripfit itaque

Speculum Paffionis Dominicæ: cujus aliquod Exemplar MSS. in fol. in Bibliothecâ S. Crucis Auguftæ adfervatur.

Antonius Igelmayr, Carolus antea dictus, natione Suevus, Patriâ Uberlinganus ad Lacum Acronianum. Adolefcens inftitutum Cann. Regg. S. Auguftini in Dieffenfi Cænobio hoc fufcepit, irruente verò, ac devaftante Bavariam Sueco, è Monafterio abire jubetur. Ingolftadium indè profectus, Philofophiæ ac Theologiæ operam ibidem navavit; in fæcularem Sacerdotem initiatus, pluribus annis Paræciæ cuidam in fuperioris Palatinatûs Ducatu laudabiliter præfuit; Bavariâ poftmodum rerum potiente, priftinæque libertati ac paci reftitutâ, Damafiam iterùm appellat, togam poftulat, nec defiderio ac votis fruftratur, fed ad tyrocinium denuo recipitur, expletaque annuâ probatione, ad emittenda tria fubftantialia Religionis vota admittitur. Cui dein pueri moribus formandi, litterifque erudiendi committuntur; quo officio ritè functo, in Oeconomum Monafterii (Procuratorem vocant) eligitur, ac tandem annô partæ falutis 1648. omnium eligentium calculo, ipfo folo renuente, lacrymáfque largè fundente, in locum Reverendiffimi Patris ac Domini Simonis Werlini Dieffenfis Præpofiti, die 30. Septemb. ejusdem anni vitâ functi, fuffectus eft, ut paulò fuperiùs in Supplemento Catalogi Prælatorum meminimus. Quam Præpofituram laudabili Zelo tenuit annis ferè 25. obiens 12. Junii anno 1673. ætatis 77. Elucubravit, quæ MS. apud Dieffenfes adverfatur,

Exegefin rerum Sueco - Dieffenfium.

Athanafius Keneffe, Gallo - Belga, antehac Militiæ Caftrenfis Præfectus, poftmodùm, nefcio quâ caufâ, in vincula conjectus, voto fefe obftrinxit, æterno Regi fe in Religiofo quodam Inftituto militaturum, fi incolumis inde evaferit: libertate deinde potitus, votum fuum exfoluturus Canonicum Regularem in Collegio Dieffenfi, & quidem primus juxtà reformata à Simone Werlino Præpofito. p. m. ftatuta anno 1641. induit. Ex Gallico in Latinum transtulit Canonici Regularis Anonymi Congregationis Gallicanæ

Conteftationem fuper Authorem librorum de Imitatione Chrifti divifam in tres partes, editámque Parifiis anno 1652. in 4. Gallicè.

Carolus Erath, natione Boius ob raram in re Oeconomica dexteritatem, ejusdem jam ultrà 20. annos fub nomine Procuraroris Adminiftrator folertiffimus: hic tamen extraneis negotiis non adeò fe abripi paffus, quò minùs & fuam in Cælites Religionem conteftaretur confcripto à fe

Nucleó prodigiofo, excepto ex 8298. S. Raffonis Miraculis ab anno 1444. usque ad annum 1692. annotatis, inter Acta Sanctorum Bollandi excufo.

Innocentius Keferlober, gente Bojus, Mofpurgo Frifingam inter, ac Landishutum oppido, quod Ifara gentilitium flumen alluit, oriundus, Adolefcens humanioribus litteris inftructus in Dieffenfi Cænobio ad Ambronium Lacum in Superiori Bavariâ Regulari militiæ fub D. P. Auguftini Canone nomen dedit: exactô fummâ cum laude probationis annô Dilingam Sueviæ migrare juffus, altioribus ibidem difciplinis animum applicuit, eo cum profectu, ut omnium calculô vel primus, vel inter primos fuorum condifcipulorum femper numeratus fuerit. Neque tamen fervore ftudiorum adeò fefe abripi patiebatur, ut fervor Spiritûs, qui jam altiffimas ipfius in animo radices fixerat, lanquefceret; quin utrumque tam dextrè inter fe conjunxerat, ut meritò dubitares, num alterutri cedendum foret, at vicit pofterior; hinc quia non tantùm nomine, fed & re ipfâ fuit Innocentius, Angelus à plerisque compellabatur. Abfolutis ad Superiorum nutum ftudiis, domum revocatus, Novitiorum curam aliquamdiu geffit, tum Decanus electus, eam provinciam rarô, fed imitando Pofteris exemplo ftrenuè adminiftravit. Silentii regularis quâ domi quâ foris rigidiffimus & exactor & obfervator fuit; certè, fi in alio fubindê

indê versaretur Monasterio, in eóque suo tempore ad silentium signum daretur, mox interrupto omni colloquio, pisce magis mutus, suis exercitiis eo tempore consuetis vacaturus secedebat; Carnem ciliciis, flagellis, aliisque mortificationum operibus domabat: nocturno tempore plerumque nudo asseri, trunco culcitræ loco capiti substrato, indormiebat. Suis cum oculis velut Jobus fœdus pepigisse visus est, ut ne cogitaret quidem de Virgine, tantoperè ab aspectu personarum disparis sexus abhorruit. Demum, quod rei caput est, præcipua post suum R. D. Præpositum Simonem Werlinum piæ memoriæ causa fuit ejus Reformationis, cui primo in flore conservandæ hodiéque Religiosissimi Diessenses Ascetæ impigrè student. Tandem temporariam hanc vitam, meliorem scilicet eámque æternam auspicaturus cum morte commutavit anno servati Orbis 1652. 22. Octobris. Posteritati M. S reliquit

Commentarium in Regulam S. Augustini. Asservatur in Garsensi Monasterio ad Oenum. Item:

Vitas SS. Possidonii & Rassonis inter Opera Bollandi excusas.

Philippus Angelus, Augustæ Vindelicorum mundo natus, & postmodum Religiosa Professione in hoc Diessensi Cœnobio Christo renatus; hoc tamen suum domicilium (quæ sequentia sunt verba formalia Chrysostomi Hager olim Decani Garsensis, de quo infrà *V. Garsense* plura dicemus) cum planè exoticam Reformationem inchoâsset, prædictus Pater obtenta licentia, deseruit, & variis in locis tum Theologiam, tum Philosophiam magno fructu & plausu docuit (erat enim Philosophus & Theologus profundè doctus) hospitem egit apud nos Garsenses, omnino gratum: Huic ego, qui hæc scribo, primam in mea pueritia Exomologesin deposui. Tandem Ranshovii alteram sub habitu & Regula Canonica professionem fecit, ubi virtute, & scientia, ac cum primis Ecclesiastis munere non modicum illuxit. Tandem grandibus oppressus corporis infirmitatibus obiit 24. Septembris 1654. non longè ante per litteras familiarissimas mihi Ingolstadium (ubi tum Metaphysicæ studueram) suas miserias insigni virtutis patientiæ specimine detegens. Scripsit integrum Cursum Philosophicum, doctum planè & prælo dignissimum, qui partim, imò totus existit Ranshovii. Item:

Commentaria eruditissimæ scientiæ in Summam D. Thomæ Aquinatis. Sermones per annum de Tempore & Sanctis. Controversiam, an Regula à S. P. N. Augustino Scripta fœminis Virisve fueit tradita?

Simon Werlinus, cujus res gestas hìc in Catalogo Prælatorum fusè recensuimus; adeóque nil superest, nisi ut præmissis præclara jungamus, quæ reliquit ingenii monumenta: sunt autem sequentia:

Crisis Augustiniana. Commentarius in Regulam S. Augustini. Annotationes in Regulam S. Augustini. Vindiciæ novæ Kempenses. Rosweydus redivivus, seu *Vindiciæ Vindiciarum pro aureo libello de Imitatione Christi Thomæ Kempensis Canonici Regularis. Vita B. Lidewigis* latinè à Thoma Kempensi conscripta, Juris germanici autem ab ipso facta. Suppresso nomine: *Officium parvum B. Mariæ Magdalenæ. Officium duplex parvum S. Augustini Hipponensis Episcopi unà cum litaniis.* Et hæc opuscula edita fuere, inedita sunt:

Philalethes sive Commentarius alter in Regulam S. Augustini. Commentarius tertius in Regulam S. Augustini seu Philalethes abbreviatus. Proprium Sanctorum Ordinis nostri Statuta Diessensis Monasterii unà cum eorundem Apologia. Mortè præventus absolvere nequivit Opus, quod moliebatur, nimirum:

Hortum Hipponensem constantem 7. areolis seu libris, quorum primus contineret S. Augustini vitam, alter Refutationes Fabularum Sancto Patri ab aliis Scriptoribus affictarum. Tertius Lexicon Augustinianum seu Antiquitates Ecclesiasticas pro intelligendis scriptis S. Augustini. &c.

Thomas Dürr, Augustanus Suevus, & olim hujus Collegii Decanus dignissimus, ad instantiam Germani Fratris sui Reverendissimi & Amplissimi DD. Joannis, ad Exemptas Insulas Wengenses Ulmæ Præpositi, ad hoc Collegium liberè resignato Decanatu Theologiam Scholasticam Junioribus Canonicis prælecturus se contulit, ubi immaturo demum fato abreptus anno 1680. vivere desiit, cùm jam priùs vernaculo idiomate à se conscriptam reliquisset anno 1678. typis Augustanis in 8. excusam:

Vitam B. Mechtildis Abbatissæ Diessensis Ord. Cann. Regg.

Ubaldus Luzenberger, Germanus Kirchemii, quod oppidum in Suevia est, anno 1594. natus, Canonicum Regularem S. Augustini postmodum induit anno 1611. in Monasterio B. Virginis in Diessen, quo loco absolutis prius Dilingæ Philosophiæ ac Theologiæ cursibus anno 1623. in Decanum electus est; verùm inde post biennium ad Monasterium Reicherspergense eundem ibidem agere jussus est: inde rursus biennio post ad Professio-

nis domicilium reverſus, antiquo munere fungi cæpit, donec ob hoſtilem Suecici militis incurſum exulare cum cæteris Con-Canonicis fuit compulſus, ex quo poſt aliquot annorum ſpatium rediens, cùm novæ vitæ habitusque Regularis per Simonem Werlinum, tum temporis Præpoſitum, piæ memoriæ, inchoatæ Reformationi aſſentiri nollet, tertia vice abire cogitur, veniensque Beyhartingam, noſtri Ordinis inferioris Bavariæ Friſingenſis Diœceſis domicilium, ibidem anno 1643. ſtabilitatem promiſit, inde Vicarius templi Deiparæ Tuttenhuſani ob creberrima prodigia celeberrimi conſtitutus, biennio poſt Decanus Beyhartingenſis proclamatus fuit, quo munere cum triennio functus laudabiliſſimè fuiſſet, tertia vice poſt plurimos pro Numinis honore ac gloria exantlatos labores in exilium ire jubetur, Waſſerburgum cum pluribus aliis è ſuis Beyhartingenſibus profectus, ubi viribus fractus die 19. Julii anno 1648. maximò adſtantium mærore ac luctu ſanctè diem clauſit extremum, Vir planè religioſiſſimus, laborioſiſſimus ac æterna memoria dignus. Concinnavit plurima Opuſcula aſcetica, quæ lucem publicam promererentur, adſervantur M. S. in dicto Beyhartingenſi Cænobio, & ſunt ſequentia:

Novitiatus Practicus. In quo breviter ac dilucidè, quæ Novitii agere, quæve fugere debeant, explicatur. Liber certè cuivis Religioſo Tyroni, imò jam emerito utiliſſimus. Continet tres Tractatus, ac in fine ſeptem colloquia inter Magiſtrum Novitiorum & duos ejus Novitios Amatum & Aſellum de Diſtributione dici in 8.

Meditationes pro Novitiis Religioſorum valdè utiles in 8. *Libellus de vera abnegatione ſui ipſius* in 8. *Exercitia & inſtructiones pro Novitio proximè profeſſuro & recens profeſſo*, in 8. *Querelæ Chriſti Domini de paucitate verorum Religioſorum.* Item *Obſervationes Monaſticæ* in 8. *Infirmarium & medicina pro paſſionatis Religioſis* in 8. *Hortuli Novitiorum partes* 3. in quibus vitæ ac virtutes variorum Sanctorum ſelectiſſimæ continentur imitandæ à Novitiis in 8. *Canonicus Regularis*, in quo continentur vitæ & virtutes variæ Canonicorum Regularium imitandæ in 8. *Conſolatio Tribulatorum* in 8. *Schola Charitatis proximi*, in qua docentur exercitia Charitatis proximi Sanctorum per ſingulos anni dies in 8. *Amor JEſu & Mariæ*, opus bipartitum in 8. *Panis quotidianus*, ſive Meditationes de Vita Chriſti & Hiſtoriæ pro SS. Euchariſtia ſumenda, adoranda & viſitanda uſurpandæ in 8. *Meditationes de Paſſione Domini*, cum adjuncta ad quamlibet meditationem hiſtoria apta in 8. *Tolle lege, & bene habebis* ex memoria acerbiſſimæ Paſſionis Domini, id eſt, puncta notabiliora de Paſſione Domini in 16. *Scintillæ ſive Meditationes de B. V. M.* quibus excitari poteſt amor erga eandem Beatiſſimam Deiparam, adjuncta cuilibet Meditationi hiſtoria & miraculo. in 16. *Meditationes ſuper* AVE MARIA & SALVE REGINA. in 16. *Vita B. Virginis Mariæ ex S. Scriptura, SS. PP. & Viris Aſceticis collecta* *Virtutes ejusdem cum Sanctis Imitatoribus.* Item *Exercitia & Devotiones Sanctorum erga B. V. Mariam.* Opuſcula quæ ſequuntur vel ex aliis collecta vel merè hiſtorica ſunt, nempè *Surſum Cor*, ſive *Adhortationes ad Religioſos ex Sermonibus S. Auguſtini deſumptæ.* *Exercitia Virtutum* ex S. Chryſoſtomo. in 16. *Exercitia Canonicorum Regularium hiſtorica.* in 16. *Sacerdos Sacrificans*, ſeu Præparationes & gratiarum actiones ante & poſt miſſam. in 8. *Miracula B. V. M. in Tuttenhauſen.* in 4. *Auxilia B. V. M.* in 16. *Martyria crudeliora Sanctorum ex Martyrologio & Notis Cæſaris Baronii deſumpta.* in 8. *Miracula de Sacrificio Miſſæ.* in 16. *Miracula de SS. Euchariſtia.* in 16. *De fiducia ad Deum in vita & morte habenda.* in 12. *Vade mecum Spirituale* Orationum in 16. *Conceptus Prædicabiles* de B. V. in 8. *Compendium Concionum Pelbarti de Temeswar & Mathiæ Fabri.* in 8. *Inſtructio Decani.* Extat M. S. in Ducali Monaſterio Ordinis noſtri in Berchtoldsgaden. in 16. *De quatuor virtutibus Religioſo neceſſariis.* *Vita & Miracula S. Hemmæ* Fundatricis Eccleſiæ Cathedralis Cann. Regg. in Gurck, ubi auctor exulaverat. *Tolle lege*, ſive tribulationes Juſtorum. *Concordantia Evangeliorum* pro meditatione quotidiana in 8. *Curioſitas* in Geneſin. in 8.

DIESSENSE

Alterum paris quidem nominis & Ordinis, diſcrepantis tamen Sexus, ſeu Sacrarum Virginum contubernium, priori Canonicorum Collegio antiquioribus ſæculis propiùs adjunctum conſtitit, inde tamen labentibus annis penitus antiquatum, dum primitus una cum uxoribus ſuis Sophia & Laurita fundarunt, & (uti jam ſuprà dictum eſt) inſtituerunt Bertholdus Comes ab Andechs, & alius Otto Comes de Wolfratshauſen, qui arcem ſuam Damaſianam, ſeu Dieſſenſem, verterunt in Monaſterium, conſtituentes ibi Eccleſiam Beatiſſimæ Cælorum Reginæ ſacram, atque hic loci præter Canonicorum Sodalitium immorari voluerunt etiam Moniales, idem ſupra dictum Regulare inſtitutum profeſſas, quas ſeparato clauſas domicilio rexit primus loci Præpoſitus Hartwicus jam nominatus ſuprà. Scriptores quidam Neoterici de Ordine S. Benedicti, ut Beatam Mechtildem in cætum Veſtalium ſuarum Monaſticarum arripiant, ac proin Parthenonem

nonem hunc Dieſſenſem Juris ac Ordinis ſui faciant, ipſum quoque hoc regulare clauſtrum à Kunigunde ſanctæ memoriæ Comitiſſa Oeningenſi pro Domicellis Benedictinis fundatum fuiſſe dictitant, de quo tamen quisquam alius hactenùs nec quidem ſomniavit, ſed dato, neutiquam tamen conceſſo, alterum hoc Dieſſenſe Cænobium fuiſſe Benedictinum, quid quæſo contra omnem totius Ordinis Canonici ac Patriæ morem piis Fundatoribus antèdictis in mentem venit, priori Virorum Monaſterio pro ſolis Canonicis Auguſtinianis (ut audivimus) excitato, eodémque à ſæpe memorata Kunigunde pro Clericis Regularibus reſtituto, adjicere Religioſum Clauſtrum legibus peregrinis ſeu Monaſticis conquadratum? Et quis obſecro ſanæ mentis tenebit, Hartwicum noſtrum primum Dieſſenſis Eccleſiæ Præpoſitum, Ordine & Profeſſione Canonico-Auguſtinianum ſacras Virgines in animam ſibi commiſſas inſtituiſſe ſecundùm ritus alienos ſeu Monaſticos? ergo &c. &c. Verum de hoc amplius audire juvat Continuatorem Bollandianum Tom. 6. May die 31. ejusdem Menſis in Commentario prævio vitæ B. Mechtildis fol. 442. ita diſſerentem: *Hugo Menardus, & Gabriel Bucelinus eandem* (B. Mechtildem) *ad diem 6. Julii Martyrologio Benedictino inſeruerunt, & hos ſecutus dicitur noviſſimus Calendarii Benedictini in quatuor Tomos excuſi Auctor, Ægydius Rambeck Schyrenſis in Bavaria Monachus, allegatque auctorem vitæ Engelhardum, quaſi is Regulæ Benedictinæ Mechtildi ſervatæ meminiſſet, ſed neque ibi, neque alibi ullum talis aſſerti veſtigium apparet aut fundamentum. Econtra Innocentius II. Papa in citato ſuprà Diplomate ſtatuit, ut Ordo Canonicus ſecundum B. Auguſtini Regulam in eadem* (Dieſſenſi) *Eccleſia futuris temporibus conſervetur, & ita B. Mechtildis in vita num. 22. cum petiiſſet ex reditibus dotis ſuæ Domui vicinis Eccleſiis panem in altari conſecratum, addit:* ID, QUOD PETII PIE HARTWICE PRÆPOSITE, MIHI PRÆSTET GRATIA, ET CONFIRMETUR CONSENSU OMNIUM CONFRATRUM AC DOMINORUM HUJUS ECCLESIÆ CANONICORUM. Et in elogio ipſius Præpoſiti Hartwici apud Hundium dicitur, præter Canonicorum Sodalitium & Sanctimoniales rexiſſe ſeparato clauſas cænobio, idque ea moderatione & prudentia, quam B. Mechtildis earum Præpoſitæ perſpecta Sanctitas commendat. Præfuit Hartwicus Præpoſitus ab anno 1131. usque ad annum 1173. & ſic usque in noſtram ætatem ibidem perſeverant Præpoſiti eorum, qui Canonicam Regulam ſub Hartwico ſuſceperunt Succeſſores, ut citra controverſiam videatur eisdem adſcribenda B. Mechtildis. &c.

DIETRAMCELLENSE,

Venerabile Monaſterium Friſingenſis Diœceſis in Superiori Bavaria, noſtris etiamnum temporibus perinclytum, anno Chriſtiano ſuprà milleſimum nonageſimo nono primos Authores habuit Ottonem & Berengarium, Viros duos rara vitæ pietate conſpicuos, quos ambos flagrantiſſimo omnigenæ pietatis ſtudio, una cum Dietramo, quodam devoto Sacerdote conſimilis propoſiti tenaciſſimo, qui ſeſe ſimul in Eichenfurtenſe (aliis Elingenſe) nemus abdiderunt, ubi tranſacto in ſolitudine biennio ſedibus ſuis ad rivum, idem nemus adlambentem, tranſlatis, novum quoddam Oratorium condiderunt ter Omnipotenti Deo, & S. Martino Turonenſium Epiſcopo & Confeſſori ſacratum; Quæ inter inſperata lite de latifundiis, & ejusdem Sylvæ confiniis inter Ottonem Dynaſtam Damaſianum ſeu Dieſſenſem, Udalſcalcum Abbatem Tegerenſeenſem, Rupertum Dominum de Reuthenſem, geminósque fratres ſuborta, dum per arbitros, quamvis ſpecialiter in id delectos, non fieret ſatis, nutu (ut piè creditur) divino omnes, & quorum interfuit, ſinguli in eam conſpirarunt ſententiam, ut tota Sylva, & ex ſingulis fundis confinantibus pro Monaſterio recens condendo tantum tribueretur, quantum ſufficeret pro congrua habitatione Viris Religioſis Canonicam S. P. Aurelii Auguſtini Regulam profeſſis, iſthic locorum coadunandis quantocyus apparanda. Dictum, factum, primus illis in Præpoſitum datus eſt moribus, & doctrina conſpicuus, Venerabilis Dei Sacerdos Dietramus antedictus, cum novum Cænobium iſtud *S. Martini Cella* diceretur, ejusdem Præpoſiti meritis & honore, communi omnium judicio *Dietrami Cella* de poſthac nuncupari debuit ac voluit, tum ipſe primus loci Præpoſitus ſub annum 1107. Romam digreſſus, à Paſchali II. Pontifice plenam novæ Fundationis iſtius Confirmationem impetravit, à quo tempore digniſſimum hoc Cænobium usque hodie in ſtricta Profeſſionis Regularis Obſervantia Sacro Ordini Canonico-Auguſtiniano perſeverat addictiſſimum. Hundius in Metropoli Tom. 2. fol. 252. & ex ipſo Myræus de Can. Reg. cap. 47. fol. 82. Adelzreitterus. Part. I. Lib. 18. num. 94.

DOMAPRENSE

Monaſterium, ſeu Abbatia ſuo nomine communiter *Domaprenſis* intitulata, apud Lotharingos in Diœceſi Tullenſi de Congregatione (uti vocant) Salvatoris nuncu-

pata, hodiedum insigniter adeò claret, & uberiorem descriptionem illius inde nuper gratiosè transmissam accepimus taliter adornatam: Anno circiter reparatæ salutis humanæ post octingentesimum nono, nobilis quidam Lotharingus nomine Bodo mortua Uxore Tullensem Episcopatum obtinuit, atque inter alia Beneficia Ecclesiastica à se collata, propriisque sumptibus ædificata quoddam etiam Monasterium in Vogeso juxta fines Urbis Blamont nuncupatæ versùs Germaniam fundavit *Boden-Monstier* appellatum, Monialibus sub regimine filiæ suæ ad illud introductis, ejusque Ecclesiam B. Mariæ Virgini simul ac Apostolorum Principi donavit. Verùm à multis jam sæculis omnino nullum ejuscemodi Monasterii superest vestigium. Interea Bertholdus Comes ex Bodonis Successoribus aliud Monasterium fundavit, dotavítque suo patrimonio sub annum Christi millesimum decimum, & hoc quidem sub vocabulo & invocatione S. Salvatoris, cujus Religiosos possessores & Inquilinos constituit, & esse voluit Canonicos Regulares Institutum S. P. Augustini professos. Successu temporis venerabili huic Asceterio traditi fuerunt, & perpetuis futuris temporibus plenissimè possidendi assignati, & incorporati illi antedicti Cænobii Virginum proventus, & annui census omnes, quod factum est Authoritate Apostolica; dum scilicet ex speciali mandato Moniales isthic loci subsistentes, & ob atrocia crimina sua mirissimè infames inde penitus fuerunt eliminatæ, certa tamen pensione illis concessa. Verùm exortis præterito sæculo decimo sexto gravissimis terræ hujus bellis, & ob mutatæ Religionis acerbissimos motus Calvini Sectatores è Gallia in Germaniam discedentes, quidquid Catholicorum pietas olim erexerat, ferro flammáque devastarunt Sacrilegi, quam miserandam prorsus cladem, ac depopulationem quamvis haud sine gravissimo animi dolore & mœstitia sufferre debuit memorata nostra S. Salvatoris Ecclesia, & sic quidem currente anno 1569. Quam ob rem Abbas cum Religiosis Canonicis in Prioratum Domaprensem tribus tantum leucis isthinc distantem se recipere fuit compulsus, ubi nunc hujuscemodi Abbatia perstat æque multis ac magnificis ædificiis exculta, & ornata, eóque soli & uni Sedi Apostolicæ immediatè subdita, cujus Abbas Electionis suæ Confirmationem ab Episcopo Tullensi, absque ullis Ecclesiæ Romanæ Bullis potest obtinere. Gaudet jure Episcopali ac jurisdictione Ordinaria in plures Ecclesias, quales sunt ipsamet Paræcia Domaprensis, Barbatensis, Herbuviensis, Parvimontensis, Civejensis, Vallis Monasteriensis & plures aliæ. Habet & Jus Patronatus in multas Ecclesias spectabiles alias, quæ per Canonicos dictæ Congregationis regi solent. Habet itidem memoratus Abbas jus vitæ & necis, item altum, ut vocant, Dominium in pagos Domaprensem, Arracuriensem, Burticuviensem, S. Salvatoris & alios plerosque. Nec deest illi jus & usus Baculi ac Mitræ præsularis. Memoria plurium Abbatum in luctuosa illa Titulorum, documentorúmque conflagratione simul cum ædificiis in totum periit, attamen illorum, qui sequuntur nomina, perhibentur esse sequentia, & quidem certissima.

Series Abbatum Domaprensium.

I. Sigibaldus. anno 1085.
II. Frigebertus. anno 1117.
III. Hugo. anno 1130.
IV. Otto. anno 1140.
V. Ymericus. anno 1170.
VI. Gillonus. anno 1260.
VII. Henricus. anno 1299.
VIII. Gerardus. anno 1315.
IX. Reginaldus. anno 1330.
X. Sictardus. anno 1332.
XI. Gerardus. anno 1343.
XII. Valtrinus. anno 1355.
XIII. Simon. anno 1379.
XIV. Godefridus. anno 1383.
XV. Joannes Aubertinet. anno 1430.
XVI. Joannes de Vauxevilla. anno 1450.
XVII. Joannes Stephani. anno 1460.
XVIII. Joannes Desiderii. anno 1470.
XIX. Joannes Gadeti. anno 1486.
XX. Claudius Gozelet. anno 1515.
XXI. Gerardinus Vivant. anno 1527.
XXII. Joannes Jacobi. anno 1552.

XXIII. Nicolaus Malriat. anno 1574.

XXIV. Sebaſtianus Malriat anno 1594. cujus ſub regimine Abbatia hæc S. Salvatoris Domaprium fuit translata.

XXV. Chriſtianus Malriat. anno 1614.

XXVI. Chriſtianus Fabry anno 1625. Hujus ſub regimine anno 1628. ipſo Divi Auguſtini Sanctiſſimi Præſulis & Eccleſiæ Doctoris feſtivo die Reformatio fuit introducta ſecundum conſtitutiones ſæpedictæ Congregationis S. Salvatoris.

XXVII. Clemens Philippus Canonicus Regularis dictæ Congregationis.

XXVIII. Carolus de Begue modernus Abbas Canonicus Regularis dictæ Congregationis Alumnus, cujus perſpicacia, cura, & Religioſiſſima liberalitate omnino novum erectum eſt, ac inſtauratum inſigne ædificium, quod nunc Canonicis, tam qui Choro vacant, quàm qui ſublimes ſcientias tractant, feliciter abundat.

DIVIONENSE.

Divio Urbs à Metropoli Lingonienſium 14. leucis diſtans, & pridem Ducatus Burgundici caput facta, continet Collegium Canonicorum Regularium S. Auguſtini ſub titulo S. Stephani anno trecenteſimo & quadrageſimo primo à Domini Paſſione primitus fundatum, uti colligitur ex Actis Sanctorum Bollandi, ubi in Miraculis S. Medardi, Tom. 2. Junii fol. 98. ponit ſequentia: *in Eccleſia & Monaſterio glorioſiſſimi Proto-Martyris S. Stephani Divionenſis, quæ eſt Ordinis S. Auguſtini, & Diœceſis Lingonienſis.* Cæterùm huic Collegio inſigne decus acceſſit ex Reliquiis S. Medardi Epiſcopi Noviomenſis anno circiter 901. illuc translatis, ſatagente Yſmaro Divionenſis territorii comite, & poſtmodum anno 1392. loco honorificentiori reconditis, quod Chifletius in hæc verba recenſet: *Anno 1392. die Veneris in vigilia Inventionis S. Stephani Proto-Martyris II. Auguſti fuit poſitum beatiſſimum corpus S. Medardi ſuper Altare prædicti Proto-Martyris S. Stephani, per Reverendum Patrem & Dominum D. Robertum de Baubigneyo Decretorum Doctorem, Abbatémque prædicti Monaſterii, præſentibus Fratribus, B. Petro de Liceyo, Priore ejuſdem Monaſterii Fratre Guidone de Arcu. &c.* De hoc Roberto Abbate dein Bollandus Tom. 2. Junii fol. 98. n. 16. ulterius hæc habet: Quanquam autem idem Robertus non multò poſt tranſierit ad potiorem S. Pauli Biſuntinenſis Abbatiam (uti ſupra in Catalogo Abbatum Biſuntinenſium *V. Biſuntinum aliud*, tetigimus) ubi usque ad annum 1428. vixit, Stephanenſis tamen Collegii usque ad mortem memor, meruit ex Necrologio quot annis commemorari ſub hac formula: *VI. Kalendas Martii Depoſitio Venerabilis Patris Roberti de Baubigneyo, Doctoris in Decretis, Abbatis Monaſterii S. Pauli Biſuntinenſis, & quondam Abbatis hujus Eccleſiæ: qui dedit Conventui noſtro, pro ſuo Anniverſario, ſingulis annis faciendo, & pro una Collecta pro Defunctis, quolibet die dicenda in Miſſa noſtra quotidiana, quinquaginta ſcuta auri, cum ſuis libris, quos de bonis noſtræ Eccleſiæ ſua induſtria acquiſivit, ponendis in noſtra libraria.* Cum denique inclyta aliàs hæc S. Stephani Eccleſia tractu temporis vetuſtate corroſa, ruinam undequaque minitaretur, Richardus Chambellan Abbas S. Stephani anno 1488. fideles omnes invitavit ad opem ſuam conferendam, ad ejus Baſilicæ reſtitutionem, quam etiam feliciter perfeciſſe memoratur in ejus loci Necrologio his verbis: *XIV. Kalendas Septembris Depoſitio bonæ memoriæ Reverendi in Chriſto Patris Domini Richardi Chambellani, hujus oppidi oriundi, in jure Canonico Baccalaurei, hujus Eccleſiæ viceſimi quarti Abbatis, per annos decem & octo Abbatizantis: nec non ejuſdem (poſt illam graviſſimam ruinam die penultima Januarii hora circiter decima ante meridiem anno 1487. factam) Reparatoris curioſiſſimi, ac Fundatoris Ampliſſimi plurium redditum, & inter cætera, quæ diffusè habentur in Menſe Februario, multa alia bona huic Eccleſiæ fecit. Qui dictus migravit anno 1495. die 19. hujus Menſis.*

DOMMARTINENSE

Monaſterium, ſeu Canonia *Dommartini* nuncupata, Lotharingicæ Congregationis antèdictæ commembrum hodiedum proſtat, ac floret, cujus vel ſuccinctam itidem nuper accepimus deſcriptionem, inter alia taliter exaratam: *Fundata eſt hæc Domus anno 1684. à duobus Convicinis Parochis in Suburbio loci dicti Gallicè Ville Surillon ditionis Illuſtriſſimorum Dominorum de Livron non procul ab Urbe Domperio in Lotharingia. Scopus hujus fundationis eſt, Parochiam adminiſtrare, pueros erudire, Miſſionibus & prædicationi Evangelii ſtrenuè ac frequenter obeundis vacare. &c.*

DUCUMBURGENSE,

Vel ex nomine ſuo celeberrimum, in Inſula Danubiana juxta Traſenam fluvium inferioris Auſtriæ Collegium Auguſtinianum, patrio Vocabulo *Herzogenburg* nuncupari

ſolitum,

ſolitum, hodiedum inclareſcit. Primus id anno Chriſtiano condidit, qui poſt grandia pericula, & incredibiles calamitates, utcunque demum ſuperatas, ex Palæſtinâ denuo ſoſpes & incolumis Domum reverſus, grati in Deum animi teſtem ſpeciale quoddam Sanctitatis Domicilium extare volens de bonis (quæ quàm plura habuit) ſuis hæreditariis illud ipſum etiam abundè dotavit loci Ordinarius Vir ætate ſua rara vitæ Sanctitate conſpicuus, Udalricus ex Comite Ciliæ & Tyrolis illuſtriſſimo genere ab Hefft oriundus, Summus Eccleſiæ Patavienſis in Norico Paſtor & Epiſcopus numerô & ordine triceſimus ſextus; qui poſt Hieroſolymam (Supremis Orbis Chriſtiani Dominatoribus Urbano II. & Henrico IV. à Godefrido de Boullione è manibus Saracenorum anno 1099. feliciſſimè recuperatam, unà cum Thiemone Archi-Epiſcopo Salisburgenſi, & copioſa Nobilium Germanorum multitudine, pietatis ac devotionis causâ ad viſendam Terram Sanctam digreſſus; inde tamen ipſe Udalricus Epiſcopus (Thiemone antedicto interim anno 1101. die 28. Septembris ab immaniſſimis Barbaris pro fide Chriſti crudeliſſima morte necato, de quo pluribus agunt Raderus in Bavaria Sancta Volum. 2. fol. m. 122. Adelzreitterus in Annalibus Bavariæ Part. I. Lib. 18. ad finem, & Franciſcus Dückler in Chron. Salisburg. fol. 101.) demum ad lares proprios reverſus, plenus meritis ex hac mortali vita deceſſit primus Ducumburgenſis Canoniæ hujus Fundator inclytus anno 1124. die 6. Auguſti; quo eodem recurrente grata ipſius memoria recolitur, mortualibus ſuffragiis quotannis in Ducumburgenſi Eccleſia ritu ſolemni de more celebrandis, ut & largiſſimis eleemoſynis; ut puta panis, vini, & peculii in pauperes & egenos erogari ſolitis. Referunt nonnulli, pientiſſimum hunc Antiſtitem Udalricum Roma (quò abiturus negotiorum cauſa Summum Pontificem convenit) patrios Lares repetentem haud procul Patavio urbe ſua, jam ſeniô & itinere debilitatum infelici caſu equô delapſum occubuiſſe in viâ; cujus exanime corpus catellus fidus itineris comes mirabiliter prodidit, & commonſtravit, de quo ſuperant Verſiculi parietibus Ducumburgenſibus inſcripti, ac taliter legendi:

Pataviæ ad portus rediens Fundator ab Urbe
Concidit, æthereas & capit ipſe fores.
Monſtrat inhumatum fidus comes ecce! catellus,
Haud paſſus Domini Buſta neglecta ſui.

Vertentibus annis locus Cænobii cum adjacente ejusdem nominis oppido Ducumburgenſi (octoginta domos circiter numerante) per alveum Danubii in tantum fuit interclusus, ut tandem fluvius iſte arrepens, montem, cui Canonia hæc fuit impoſita ſeu primitùs ſuper inædificata, unà cum adjunctis manſionibus oppidanis depreſſerit, ſorpſeritque. Accedit, quòd inſalubritas aëris ex contigua palude ebulliens, & humor noxius inde ſuccreſcens, Dei famulos adeò affixerat, ut non modò morbis diverſiſſimis intabuerint, ſed & iisdem frequenter abſumpti omnino defecerint; quare tam pernitioſo & inevitabili malo cautè præcavendo Venerabilis Præſul Engelſchalcus (ultimus in Inſula Danubiana, idémque primus ad oppidum Ducumburgenſe Præpoſitus) anno 1244. unà cum Religioſo Clero ſuo ſedem mutavit, & omnimoda neceſſitate compulſus, & ſic quidem haud ſine ſingulari auxilii auſpicamine de habitatione ſalubri & magis accommoda (penes quam Cænobii mœnia collocarentur) ſibi ſuisque conſulens. Placuit autem loci Ordinario Reverendiſſimo Antiſtiti Conrado Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopo, ſæpefati S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ Filio, Canoniam iſtam Ducumburgenſem haud procul transferri ab ejusdem Provinciæ vicino Cænobio S. Andreæ Apoſtoli cognominato, eodémque jam recenſito ſupra; cujus tamen pientiſſimi Principis & Epiſcopi conatus, haud ſine maximo Religioſorum Canonicorum comploratu, præſcidit amara mors, quousque Rudigerus in eadem Patavienſi Sede ſubſtitutus, & ipſe quoque in ſacrum Ordinem noſtrum Canonico-Auguſtinianum ſatis pronus, totum aliud novum excitavit Cænobium, & quidem juxta ſacram ædem S. Stephani Proto-Martyris, quæ Parochialis eſt, nec non & propria ſupradicti oppidi Ducumburgenſis; ubi locorum de præſenti ſtat, ſtabitque (Cælo favente, & S. Martyre Georgio Patrono Tutelari ſedulò protegente) præclariſſimum hoc Collegium à populo terræ jam ab immemoriali tempore communi vocabulo *Herzogenburg* appellari ſolitum; ubi juxtà notandum occurrit adjacens oppidum *Traſenburg*, ſeu aliis *Traiſenburg* taliter ab allambente fluvio *Traſma*, ſeu *Traſena* dicto hujuscemodi nomen ſuum conſtanter retinuiſſe, quousque demum fortè ex itinere ſuo iſthuc delata doloribus partûs præpedita, vel invito animo ſubſiſtere fuit detenta Principis cujusdam (fortè terris iſtis imperantis) uxor gravida, uno eodémque partu gemellos infantes ſimul enixa; quo felici facto locus iſte (juxta mandatum Illuſtriſſimi Domini Parentis) ſpreto priori vocabulo *Traiſenburg*, in perpetuam rei geſtæ memoriam *Herzogenburg* nomen indidit.

Cæterùm

Cæterùm Regulares Antistites, seu Reverendissimi Canoniæ hujus Præpôsiti statim à primis primæ fundationis temporibus imperitantes, suo loco descripti fuisse leguntur sequentes:

Syllabus

RR. DD. Præpositorum Ducumburgensium.

I. Wisento, Obiit annô gratiæ humanatæ 1120.
II. Catoldus. annô 1148.
III. Gerwicus. annô 1170.
IV. Ludgerus. anno 1187.
V. Rupertus. anno 1194.
VI. Hartwicus. anno 1212.
VII. Marquardus. anno 1227.
VIII. Henricus. anno 1239.
IX. Eckardus. anno 1240.
X. Herbertus. anno 1243.
XII. Wolckmannus. anno 1243.

XIII. Engelschalcus; quo præsidente, & quidem statim primo regiminis annô Christi 1244. Cœnobium (uti jam suprà dictum est) ex Insulâ Danubiana ad sæpè fatum Oppidum Ducumburgense fuit translatum; ipse verò Engelschalcus Præpositus iste morte naturali decessit anno 1262.

XIV. Artolphus. annô 1283.
XV. Wolframus. anno 1307.
XVI. Triosto. anno 1321.
XVII. Herlibus à Mühl. anno 1337.
XVIII. Sigefridus à Wildurigsmarn. anno 1360.
XIX. Hermannus. anno 1360.
XX. Nicolaus à Wirmla. anno 1360.
XXI. Nicolaus à Playn. anno 1363.
XXII. Joannes. anno 1376.
XXIII. Jacobus. anno 1391.
XXIV. Martinus Scherz à Sebardt. anno 1412.
XXV. Joannes Praun. anno 1456.
XXVI. Mangoldus. anno 1457.
XXVII. Jacobus Raiser. anno 1463.

XXVIII. Ludovicus Decretorum Doctor. Hujus sub regimine Canonia Ducumburgensis ad annum 1460. grave fatis pertulit incendium, ac proin cladem, ruinamque maximam; quando nimirùm Fridericus IV. Romanorum Imperator, & Albertus hujus nominis VI. Archi-Dux Austriæ, mutuis inter se dissidiis & bellis intestinis impliciti, usi sunt operâ & subsidiô Boëmi militis pro tunc Hussitico schismate nefando depravati, quem dicti Principes cùm (Ærario exhausto prohibiti) solito stipendio non benè soluto liberum dimisissent, totus exercitus inediâ pressus, primùm in agrum Viennensem, tum etiam Ducumburgensem & totam circumcircà viciniam immanissimè deseviit, sed & Duce Wenceslao à Vetaw ipsum oppidum Ducumburgense hostiliter expugnavit, nec minore sævitiâ quàm immanissimi Turcarum Tartari in totum Religiosum Contubernium, & quosvis Domicellos illius fœdè debacchatus, post sacrilegam deprædationem templo & Cœnobio illatam, item post utrumque illud voracibus flammis absorptum, etiam Nazaræos Domini, Thesauros item Ecclesiæ, & vasa sancta ferocissimis canibus tradere reluctantes, in ore gladii sacrilego furore crudelissimè trucidavit; unde isti tanquam grata Deo victima pro fide & incolumitate Ecclesiæ Christi Martyres effecti, securi pervenerunt ad triumphum gloriæ.

XXIX. Wolfgangus. Obiit anno 1470.

XXX. Thomas à Kaispach. Hujus temporibus cùm post recensitam cladem Cœnobium vix à ferali busto denuo resuscitatum nova incrementa capesseret, iteratis vicibus novissima hujus facta sunt pejora prioribus, prædonibus nimirùm & depeculatoribus, item latrocinantibus Hungaris, Boëmis, Moravis, Silesiis &c. contra Fridericum Imperatorem antedictum ad universam Austriacorum plagam funditùs delendam, à Mathia Rege Hun-

Hungariæ hostiliter immissis; quorum sævitia iterum priorem lamentabilem ac prorsus miserandam faciem induit, totò nimirum Canonicorum Claustro & oppido Ducumburgensi in merissimos cineres redacto, juxtà quoque venerabili Religiosorum Virorum Cœtu in durissimam captivitatem abducto; quos tamen amantissimus iste Pater Thomas Præpositus præ aliis sibi fugâ consulens, & ad civitatem Hippolitanam sese recipiens, multo demùm sudore, magnoque satis ære redemit, suósque fecit. Interim dum hæc nefanda geruntur, pars immanium grassatorum per agros, per vineas, & oppida circumcircà situata quamplurimos eorum Inquilinos sævissimè trucidavit; sed neque hic Barbarorum insatiabilis furor substitit, nam cùm hostili igne turri campanariæ immisso æs omne diffluere cœpit, tum impiissimi raptores sacris muneribus, ut puta thesauro Ecclesiæ sacrilegè repleti, Librariam etiam, & Cellam vinariam, ac horreum universum deprædati sunt; & sic in Ducumburgo locum invenit illud Joëlis vaticinium cap. I. vers. 4. *residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. &c.* quando nimirùm memoratis spoliatoribus utcunque dilapsis, inimici hominis domestici ejus sunt facti, ut puta, ipsimet oppidani & convicini cum tota reliqua flocci hominum caterva, quidquid rapinæ recensitæ & spolii superfuit violenter aggressi, sine quovis jure potestatis præposterè solùm mala hæc fecerunt. Post luctuosissimum tot & tantorum omnis consummationis finem Reverendissimus ac Perillustris Dominus Dominus Albertus Pro Episcopus Pataviensis sæpefatam Ducumburgensem Ecclesiam, tot ac tantis injuriis labefactatam, ritu solemni de more reconciliatam, pristino flori ac dignitati in totum restituit; quibus omnibus feliciter expletis venerabilis Pater iste & Ducumburgensis Præpositus Thomas calamitatum & miseriarum satur, post 18. annos in Prælaturæ munere laudatissimè traductos, à queisvis laboribus suis in Domino requievit, nimirum ad refrigerium reductus anno 1484. tertio nonas Martii.

XXXI. Georgius Eisner, singulari vitæ probitate, nec non & exterarum rerum gerendarum peritiâ præditus, inter optimos quosque totâ dexteritate suâ perinclytus constitit; unde & quæ cunctis suis anteambulonibus Authoritate Apostolica Præsularibus Insigniis inauguratus est, hoc solo infelix, quòd ipso præsidente vorax flamma Oppidum Ducumburgense, vel secundùm quid adussit, quatuordecim nempe domibus oppidanis casuali igne consumptis; quo lamentabili casu denuò major pars Cœnobii & unà simul etiam turris campanaria cum toto interiore cultu templi, aliísque sacris cimeliis totaliter in fumum abiit, conflagravitque, sedulâ tamen ac diligenti opera Patrisfamilias hujus Vigilantissimi Georgii (maximè verò de speciali Superni Numinis gratiâ, piorúmque Benefactorum munificentiâ) brevissimò temporis spatiò quævis ædificia igne concremata pristino splendori suo fuerunt restituta. Tandem dignissimus Præpositus iste (siquis alius de sua Ducumburgensi Ecclesiâ annis untrecentis strenuè fuit promeritus) terrestrem corruptionem exuens, æternam immortalitatem induit anno post Christum natum suprà Millesimum quingentesimum decimò tertiò.

XXXII. Casparus Grinzinger, diem suum obiit anno 1516.

XXXIII. Joannes Weinhardt ad Superos digressus terris evanuit anno 1533.

XXXIV. Bernardus Schomperger, vitam terminavit humanam anno 1541.

XXXV. Philippus à Maruniâ, natione Belga, Bruxellis in Brabantia nobili genere procreatus, & in aulâ Oenipontanâ Serenissimi Principis Ferdinandi Archiducis Austriæ inter ipsas Musas educatus, postquam in leges Canonico-Augustinianas juravit ob insignes (quibus inter reliquos Claustrales suos sublimis emicuit) animi dotes anno 1541. pro meritis ad Prælaturam assumptus, continuò ferè nobiliorum negotiorum causâ Viennæ in Austria substitit, ubi & in Concilium Excelsi Regiminis Cæsarei adscitus, tandem etiam Præses illius fieri debuit, queisvis maximi momenti negotiis feliciter expeditis, ab Augustissima Cæsarea Majestate sua (quæ Virum hunc inter paucissimos charum habuit) nunquam non admotus, & occupatus; qui tandem seriis omninò laboribus fractus & insolito capitis dolore correptus, postquam 9. annis Prælaturæ Ducumburgensi præstitit, immaturâ morte præreptus in fata concessit anno 1550.

XXXVI. Bartholomæus à Cataneis egregius laudatissimi sui Prædecessoris æmulus; nam pari rerum forensium æquè ac Statûs Ecclesiastici peritiâ clarissimus Augustissimis Imperatoribus Ferdinando I. & Maximiliano II. omninò gratissimus, causis publicis ritè decidendis inter primos deputatus, sed & in arcanum Consilium assumptus Statuum provincialium Inferioris Austriæ Triumvir fieri meruit; ex quo tempore plenariam etiam Gottwicensis Monasterii Benedictini administrationem toto decennio magnâ solertiâ ac vigilantiâ subiit, sed & Archi Ducali Canoniæ Claustro-Neoburgicæ, Sede vacante, vel ad interim præesse rogatus humanissimâ excusatione sese Prælaturæ subducens, solùm mitram

mitram Præsularem Ducumburgensem retinuit; ubi laboribus fessus, æquè ac multis titulis strenuè promeritus tandem vitam finiit temporalem anno 1562.

XXXVII. Joannes Pilzer. anno 1569.
XXXVIII. Joannes Glazi. anno 1572.
XXXIX. Jacobus Reiser. anno 1577.
XL. Georgius Pyrenæus. anno 1590.

XLI. Paulus Zinck ab Harthausen, ad majorem ac perennem Cœnobii sui utilitatem præclare satis plurima gessit; quæ inter in ipsâ Austriæ Metropoli Viennâ sat magno ære proprias quasdam ædes, atque istas à quovis civili onere liberas, & exemptas feliciter coëmit, tandem plenus dierum in Senectute bonâ terris demortuus anno 1601. Ejus temporibus, & quidem primo statim ejus regiminis anno, Christi verò 1590. horribilis terræ motus per universam Austriacam plagam suscitatus, ac præter spem toto unius anni decursu plusquàm formidabiliter continuatus, homines patrios terræ incolas adeo deterruit, ut insolito timore perculsi plerumque ruri in hortis & pratis tentoria fixerint.

XLII. Joannes Rauschach. anno 1609.
XLIII. Udulricus Halwerth. anno 1610.

XLIV. Melchior Kniest, post octennium in Præsulatu Ducumburgensi consummatum, ad gubernandam vicinam Præposituram Thierensteinensem evocatus abiit anno 1618.

XLV. Joannes Haunold.

XLVI. Nicolaus Hay, unanimi quidem suffragantium calculo ad regimen promotus, jamque administratione Ducumburgensi solemniter installandus, ad instantiam Augustissimi Imperatoris Ferdinandi II. sponte locum dat Martino Cathedralis Ecclesiæ Seccoviensis in Styria Canonico Regulari SS. Theologiæ Doctori; tum ipse Nicolaus in Parachiâ Heizendorff, Ducumbergensibus incorporatâ, vices Curionis ad multos annos subjens, tandem ad Præposituram Thierensteinensem postulatus, sed & de eâdem nunquam non strenuè promeritus, demùm post annos naturæ debitum exsolvit.

XLVII. Martinus Müller, antedictus in electione Cathedralis Præpositi Seccoviensis Collegæ suo Antonio de Pozz, item SS. Theologiæ Doctor, uno tantùm voto posthabitus, cùm Ferdinando Cæsari supradicto longè esset charissimus, satagente eâdem Augustissimâ Majestate sua ad Ducumburgense solium evehitur sapientiâ & authoritate singularî præpollens, Ecclesiam sibi creditam per omnia laudatus plurimùm illustravit; juxtà quoque bono publico totius Provinciæ perquàm utilis insigniter præstitit; dum nempe toto decenniô Inclytorum Statuum Inferioris Austriæ Deputatum, uti vocant, ordinarium agens, plerumque in causâ publicæ Salutis Aulam Viennensem constanter incoluit, quoad usque tandem terris emortuus anno 1640. vitâ terrestri defecit; cujus obitum non tam Religiosi Filii ac Fratres quàm etiam extranei, imò tenella quoque Juventus, & tota pauperculorum caterva passim in publica, per quam funus optimi Præsulis deductum fuit, plateâ maximo ejulatu amarissimè deflevit incessabili voce proclamans. *Charissima anima Deo vivat, quia in memoriâ æterna erit justus &c.*

XLVIII. Joannes Baur, SS. Canonum Doctor, obiit anno 1653,

XLIX. Josephus Kupfer, SS. Theologiæ Doctor, priùs ob insignia merita ad Comprovinciale Collegium S. Andreæ in Præpositum postulatus, tum ad nativam Religiosæ Professionis suæ domum reductus, & vacanti Prælaturæ solio impositus, tandem in fata declinavit anno 1669.

L. Antonius Sardena Styria oriundus, Canonicorum Regularium ad D. Georgium, vulgò, Herzogenburg vigilans Præpositus: de rebus œconomicis sui collegii imprimis laudatus, quosdam Viennæ Austriæ annos & in D.D. Deputatorum domûs Provincialis egit collegio, à selectioribus etiam Consiliis industrius ibidem assedit; atque Vir imperterritus, sinistrô sui temporis fatô, quo anno 1679. & subsequo, totâ Austriâ, & in Urbem, & in agros gravissimè sæviit pestilentia; spe fretus Divini Flaminis, quod, ubi tot hominum millia flante hoc undique pestilenti aëre vidisset exhausta, nihilominus Religiosorum suorum nullum, eorum etiam, quod mirum videtur, qui Zelo, & curæ animarum addicti, nullum, inquam, suorum hac contagione extinctum Ipse conspiceret, si unicum tantummodo demas fratrem laicum (seu ut cum aliis loquar) Conversum, qui

Sacer-

Sacerdotis morienti assistentis dum esset Socius, ratusque infirmo dari vitam, sibi mortem communicavit. Infelix hæc inter vitæ discrimina Austriæ ætas! ubi suffocatô pestilentiæ venenô tantisper respirare anhelabat, jam novus anno 1680. die festo primi Christi Athletæ S. Stephani in cœlo ignis accenditur: horribilis nimirùm magnitudinis sese exhibet cometa, majorum DEO fortè Vindice calamitatum, quæ omnem Austriæ plagam recenti denuò plaga afficerent, non sine prudenti omnine prænuncius, qui postquàm integrum 30. dierum cursum in horizonte nostro confecisset, relicto incredibili in Universo terrore, ac dolore, hic Divinæ ultionis prodromus tandèm disparuit. Hoc autem astro Divinam prænunciatam esse vindictam, eventus paulò post docuit; altero namque abhinc anno infensissimus Christiani nominis hostis trecentorum ferè millium copiis stipatus, Austriam invadit, Viennámque Metropolim arctissima cingit obsidione, à flumine Leutha ad Anasum usque pagos omnes huic lateri adjacentes, castella, vicos, oppida omnia, ac nonnulla muris non vallata cœnobia, ense, & flamma consumit, devastat; nec pecoribus, nec hominibus parcit, quos aut crudeliùs enecat, aut miserrimè in triumphum ducit; taceo, 240. subditorum domos, villas etiam nostras, nec non ædes Parochiales cum adventitiis earundem censibus, ac beneficiis in cineres redactas. Hac interim durante obsidione cùm omnia susque deque verterentur, urbes vexarentur, arderent oppida, agri exinanirentur, atque adeò tam Collegium nostrum, quàm oppidum periclitarentur, Antonius providus Præsul & se, & Cancellariam, & Archivii monumenta ad Collegium ejusdem S. Ordinis nostri Thirnsteinense, veluti ad securum illo adhuc tempore asylum contulit; ac ibidem eo usque moratus est, dum Viennâ solutâ, propulsatisque longè hostibus, tutus ad lares proprios pateret reditus. Redux verò factus ad eruendas è ruinis Parœciales Cœnobii sui ædes, & ad domos Oeconomiæ destinatas protinùs restaurandas, tùm ad suppetias suis ad incitas redactis subditis quantocyus ferendas animum, virésque omnes appulit. Verùmtamen suis accurrentem cæca mors prævenit, eumque sanctis his conatibus ex integro perficiendis non absque suorum dolore subtraxit; dum nempe cum suis Canonicis horis interesset matutinis, verbo ultimo Halleluja pronunciato fluxione apoplectica tactus, Divinis morientium mysteriis ritè munitus hora, & die, quo mundo primum *Ave*, eodem ipso ultimum *Vale* dixit, 5. videlicet Januarii, anno post Christum natum 1687. Cui successit

LI. Maximilianus Herb, Patriâ Bojus Neostadiensis, qui jam tenera sua ætate, consensu parentum, duce quodam populari suo in Austriam Ducumburgum pervenit, ubi tam litteras, quàm Musicam edoctus, tanta Pietatis ac scientiæ dedit specimina, ut exactô Philosophiæ studio, institutum nostrum amplecti eidem sit concessum, quod dum professus, ad studium Theologiæ Viennam dispositus, tantâ illud excoluit solertiâ, ut coævis exemplo, Superioribus suis esset solatio. Indè domum reversus, Sacerdotali insignitur charactere, atque animarum saluti suum omne devovet studium. Quas ob præclaras animi sui dotes elapsô aliquot annorum spatiô Decanus eligitur; hoc cùm Officium sex annis ritè obiret, anno 1687. die 14. Febr. unanimi Confratrum suffragio Præsul dignissimus eligi promeruit. Quanta sibi merita per annos, quibus primas tenuit, viginti duos cumulaverit, ipsa, quæ extruxit, loquuntur opera; vestigia enim Antecessoris sui suprà laudati secutus, quod Ille cœpit, hic perfecit: templa videlicet, ac ædes Parochiales Collegio suo adjectas, Turcarum incursione devastatas, nec non ex integro hactenus custauratas, statui pristino penitùs restituit. Ipsum quoque templum Ducumburgense sacro apparatu, ac pretiosa argentô supellectili adornavit, celebris novi organi posuit initia, Religiosorum auxit numerum, quos Divinis imbuendos litteris, diversis in Germania Academiis delegavit. Inter cætera verò id genus præclarè ab Eo facta illud celebratur, quòd, cùm Pietatem ad omnia utilem continenter æstimâsset, non parvam novi ædificii partem templo Virginis DEI Matris in montanis sito & dicto, quæ ùt miraculorum gloriâ, & beneficiorum gratia celebris, adstruxerit; Haizendorffense verò Parœciæ nostræ templum, & Altari summo de novo erecto, organo, & campanis dotaverit. Sed quem Suis, eundem & exteris, suorum nempè, & Patriæ se Patrem probavit; testantur id Provincialium labores Officiorum, quos 15. annis mira dexteritate & industria pro Rege & grege inter turbida & tumultuosissima Austriæ cum Hungaris tempora ita exantlavit, ut assiduis curis & vigiliis, valetudinis quidem suæ periculum non nihil senserit, ab utroque tamen Augustissimo Cæsare tam Leopoldo, quam Josepho tanquam æquis laborum æstimatoribus, pretiosa pectoralia, aliaque id genus Regiæ munificentiæ dona in perpetuam meritorum suorum memoriam consecutus sit. Hæc Maximiliano Nostro ab Imperatoribus facta effecêre, ut etiam Statibus Ecclesiasticis, æquè ac Politicis venerationi haberetur. Demùm ob suum prudens, pium, sincerum, beneficum, ac integrum vitæ genus omnium hominum sibi animos devinxit; quidquid suorum ita occupavit, ut Vir, Cui benedixit Dominus, Præsul Antecessoribus

ribus suis si non suppar, impar nulli, novus penè fundator omnium voce compellaretur. Nec immeritò: utpotè cui domum nostram Viennæ è regione domûs S. Annæ ad ampliores censuum proventus erectam, duas cellas vinarias in Willandstall exstructas, easque aliquot millium urnarum vasis ferrô munitis instructas, integram domum Paroecialem Haizendorffii, bonum quoddam nomine Primmerstorff Dominicale, quod etiam ad majores ex primæ Fundationis decimis fructus in futurum capiendos, cella frumentaria satis ampla providit, veterem, & obscurum dormiendi locum vulgo (Dormitorium) in lucem productum, ac pleraque Religiosorum cubilia fornacibus olim destituta, commodiora iis reddita, soli Illi in acceptum referamus, oportet. Ea itaque sunt, quæ hunc Antistitem suorum, Patriæque Patrem comprobant, ac mortem Ejus tantò acerbiorem nobis in memoriam reducunt; quam, quia mortalis erat, in Festo S. Maximiliani vesperi sentiens in Haizendorff die sequenti modicâ apoplexiâ tactus, circa horam decimam matutinam Sacra mysteria participans, ætatis suæ 58. annorum, non habens hic manentem civitatem, futuram sancta morte inquisivit, & DEO propitiò indubiè invenerit anno Salutis 1709. quem sequitur

LII. Wilhelmus de Schmerling, qui prænobilibus parentibus Viennæ in Austria natus 12. Octobris 1693. finitô jam Philosophiæ studiô, Institutum nostrum solenniter profitetur, atque posteà studia Theologica Viennæ integrô quadrienniô laudabiliter absolvit, Domi dein Novitiorum Magistrum, ac Juniorum agit Correpetitorem, usquedum Decanus eligitur, ac tandem exactô hoc in Officio trienniô Infulam, & pedum sibi promeretur. Is pro DEI gloria, pro Regularis disciplinæ observantia, ac pro omni Collegii nostri emolumento ita vigilavit, ut laboribus, ac vigiliis penè fractus jure meritò dicere potuisset: *zelus domus tuæ comedit me.* Quare hoc zelo suo & fervore suis multum lucri attulit, æs alienum ob ingentes, durante bello Turcico, contributiones (quibus reditus nostri non erant pares) contractum, solicitè, quantum poterat, expunxit, addidit jus rusticum seu paganum Sallapulkæ, Præfecturam in Primerstorff, ædificium in Ponsée altiùs sustulit, atque templum Sanctissimæ Matris DEI Gratiâ ibidem plenæ à fronte ampliabat, ac totius templi pavimentum naturali ex marmore fieri curavit; templi verò Ducumburgensis apparatum auxit, Sacellum defunctorum in pulchriorem redegit formam, majori campanæ 70. centenariorum pondo gravi similem fundi jussit, ipsum denique Collegium mediam supra partem à fundamento eleganter erexit, quod ædificium larga cœlesti Benedictione, atque suâ indefessâ industriâ certô certiùs consummâsset, nisi præmatura morte præventus, atque dum à Rationibus domus Provincialis esset deputatus, ad reddendas Supremo Judici vitæ rationes evocaretur. Ad quod tribunal celebrato ad Virginem DEI Matrem in Ponsée Missæ Sacrificio, elapsâ inde horâ mediâ citatus, una aut altera sanguinis vomitione animam efflavit pridiè festi S. Georgii Ecclesiæ nostræ Patroni anno 1721. Cujus locum occupat

LIII. Leopoldus anno 1671. Ducumburgi, die festo S. Augustini claris natus parentibus, Patre nempè Hugone Theodorico de Planta ex Helvetico districtu Bernensi oriundo, qui ex amore ad Catholicam se transferendi Religionem, relictis ibidem rebus omnibus, in Austriam ignotus appulit; Matre verò Nobili de Hirnheim. Leopoldus hic Viennæ studiis Philosophiæ ad finem deductis anno 1690. die festo S. Augustini secundum Regulam nostram vivere cœpit, quam & altero anno, die eodem professus, ad dandam Juri Pontificio operam, Pragam deputatur; rediens inde, ac Presbyter ordinatus jam paulò pòst Cancellariæ præficitur; dein ad Paræcias Reidlingensem primùm, postèa ad Haizendorffensem curandas promotus, demum anno 1721. piè defuncti Wilhelmi locum occupat, ac 22. Julii solenni ritu inauguratur, atque infulâ decoratur. Erat Ille vir: ingenio perspicax, moribus gravis, ac dicendi facultate insignis. Præsul erat: cui cordi erat eorum cura unica, quæ sivè ad Religionis, sive ad boni temporanei faciunt incrementum. Quapropter Zelosus Pastor vitam Regularem in rigore & vigore conservare studuit, Sacrorum rituum, ceremoniarum, ac functionum Ecclesiæ amans; cùm sacro quoque eloquio præstaret: non nunquam pro concione dicere consuevit. Ut autem Collegium suum condecoraret magis, & piis, Religiosisque auxiliis juvaret, roboraret ampliùs, effecit, ut illud Romæ Congregationi ad S. Salvatorem Lateranensi consociaretur; undè Ille primus Abbas Lateranensis audiit. Præter hæc ædificium Collegii nostri ab Antecessore suo cœptum promovit, villam huic proximam, nec non supra cellam vinariam in Wiellandstall ædem novam moliebatur. Cæterùm tempora vixit quieta, atque in his, suis Antecessoribus longè felicior, nisi sinistra tum corporis, tum animi valetudo ultimos vitæ annos Ei difficiles reddidisset. Statuum nihilominus Provincialium Inf. Aust. Deputatus dum esset, iis, quibus valuit, viribus quatuor annis huic Officio præfuit, donec anno 1740. Viennæ in aula nostra 29. Augusti lentè è vita ex-

excessisset; itaque uno à die S. P. Augustini mortuus est, quo mundo, & Religioni natus. Corpus Ejus Vienna ad Collegium nostrum translatum, in sepulchro conditum est anno eodem 1740. Post quem

LIV. Frigdianus Knecht hodiedum feliciter regnans Præpositus, & Abbas Lateranensis secundus, natus Viennæ anno 1709. die 26. Januarii Institutum Canonicorum Regularium Ducumburgi Professus anno 1729. die solenni omnium Sanctorum. Sacerdotio initiatus Neo Mysta ad Aram stetit anno 1732. die 24. Aprilis festo Tutelaris nostri D. Georgii. Demùm anno 1740. 16. Novembris ad Præsulis Dignitatem evectus est. Quem DEUS Optimus quàm diutissime conservet!

Publicas & decentissimas gratias Reverendissimo & Perillustri D. Præsuli agit Monasteriologici hujus Operis editor, qui ferè Solus hucusque Musarum Wengensium preces audiit & exaudiit, cum plures alii ad instantissimas preces obturaverint aures fortè &c.

Sed præstat motos animi componere fluctus!

DUDERSTADIUM.

Urbs Franconiæ sub Dominio Archi-Episcopi & Electoris Moguntini, olim Ducis Brunsuicensis de Linea Grubenhagensi vel breviter descripta à Zeilero in Continuatione Itinerarii Germaniæ cap. 33. fol. m. 620. & Abrahamo Sausio de Urbibus fol. 405. Superioribus sæculis venerabile quoddam Parthenæum habuit, Religiosis Domicellis Canonico-Augustinianis addictum, atque istud tempore & authoritate non notato fundatum; quod tamen sub decursum sæculi decimi quinti unà cum totâ eâdem civitate Duderstadiensi casuali incendio concrematum, omninò periit; cujus proin sola superat memoria apud Albertum Kranzium in Wandaliâ Lib. 11. cap. 2. sic legenda. *Tribus uno tempore* (circa annum 1426.) *locis distantibus satis* (*quod prodigii loco habitum est*) *exorta fuerunt incendia, quæ nullâ vi restingui poterant. Gedani in Prussiâ, Janclem in Wandaliâ, Duderstadii in Saxoniâ, Ecclesiæ & Monasteria unà conflagrârunt cum multis mortalibus &c.*

DUISLACENSE.

Taliter patrio nomine suo dictum, hoc tamen ipsum jam pridem à Geüsenistis Calvinianis miserrimè direptum, spoliatum, & abrogatum Sacri Ordinis Canonico-Augustiniani Parthenæum sub Diœcesano limine Coloniensi comprehensum, in territoriali ditione Cliviensi vel olim inclaruit, ad quod cùm annò 1474. Carolus Burgundiæ Dux Leodiensibus, Nussiensibus, atque aliis finitimis locis Bellum intulit, ac proin Religiosas Personas per totam Ubiorum Regionem hinc inde dispersas violenter exulare coëgit, ad venerabile Claustrum istud Duislacense tanquam ad Asylum, & tutiorem locum vel pauci quidam Religiosi Ascetæ è Monasterio suo Ruremundano in Geldriâ profugi, charitativè fuerunt recepti; de quo Anonymus Author Magni Chronici Belgicorum vel paucis sic habet : *ad Regularissarum Monasterium Duislacense in Ducatu Cliviensi duo deputati sunt Fratres Sacerdotes cum uno Diacono &c.*

DÜRNSTEINIUM.

Antiquatum Diœcesis Wormatiensis Monasterium intra fines Palatinatus Heidelbergensis, vel ante tempora inundationis hæreticæ sub annum circiter 1583. per universam terram illam circumquaque diffusæ omnino celeberrimum, atque ipsum quoque Venerabili Congregationi Windesimensi combinatum, de tempore & authore primæ fundationis suæ usque hactenùs nullo negotio per nos fuit obtinendum, utpote sub decursum sæculi decimi sexti à territoriali fundi Domino Comitibus de Leningen violenter occupatum, ut & postmodum anno 1648. illustrissimæ familiæ isti in plenam possessionem confirmatum, & dehinc usque modò iniqua possessione detentum. De cujus proin statu tam novo quàm antiquo mihi, licèt penitiùs inquirenti (genuinis documentis domesticis seu Claustralibus, vel sacrilegê direptis, vel occultatis, annihilatis) vix paucissimis respondere potuit solus & unicus Reverendissimus Prænobilis ac Amplissimus D. Augustinus venerabilis memoriæ Celeberrimæ Canoniæ Marbacensis in Superiori Alsatia de Congregatione Windesimensi Prior, seu Præpositus Infulatus gratiosè mihi respondit per proprias sub dato 1690. die 13. Julii directas, quæ inter alia sic habent : *Reverendissimus meus* (in Prælatura Marbacensi) *Prædecessor proximus Dominus Petrus à Kappenberg, dum adhuc anno 1643, & 1644. miles Hispanicus armis suis Palatinatui Heidelbergensi fuit dominatus, Regularis Prior & Rector Monasterii Dürnsteinensis in officio perstitit imperturbatus.*

Littera

Littera E.

EBERSPERGENSE.

Vetuſtiſſimum Friſingenſis Diœceſis in Superiori Bavariâ primùm Canonicorum Regularium Auguſtinianæ Profeſſionis Cœnobium, exinde verò Benedictini Ordinis Aſceterium, ac tertiò demùm immutatione ſuâ Societatis Jeſu Domicilium ſecundùm primogeniam Originem ſuam recenſetur ab eruditiſſimo Adelzreittero in hæc verba deſcriptum: Anno ſequenti (poſt Chriſtum natum ſupra nongenteſimum undecimo) Comes Ratholdus Sighardi Comitis qui caſtrum Eberſpergenſe condidit Filius, Divi Auguſtini Clericos Eberſpergam induxit, eisque præfecit Hunfridum virum prudentiæ & pietatis ſingularis, attributis proventibus, quos deinde Everhardus Ratholdi filius ampliavit &c. Item infrà lib. 14. num. 35. Annales Domeſtici apud Hundium paulò diſertiùs nominant Monaſterii Eberſpergenſis Fundatores Everhardum & Adalberonem Comites de Sempta, Nepotes Sighardi ex Ratholdo filios, qui bello Hungarico anno 955. egregiam operam navavit: Hos ajunt cum Sorore Wilpergâ templum Divo Sebaſtiano in arce ſua Eberſpergenſi conſtruxiſſe anno 970. indéque extitiſſe Monaſterii primordia, & ita Eberſpergenſe domicilium Comites Semptanos à prima ſui origine Fundatores agnoſcit. Nobiliſſima hæc in Bavariâ familia nomen accepit à Semptâ fluvio, cui erant proximæ Comitum ditiones. Sighardus familiæ caput ſuam ſtirpem refert ad Carolomanni Bojariæ Regis Nepotem aut Pronepotem, qui ab inſolitæ Magnitudinis apro, quem eò loci invenit, Eberſpergam nomen dedit, unde poſtea titulum Eberſpergenſium & Semptanorum Comitum ſunt adepti. Quem dixi Sighardus anno 906. vivendi finem fecit. Ejus Filius Ratholdus à Conrado Rege limiti Carantanorum ob res contra Hungaros fortiter geſtas præfectus, divi Sebaſtiani templum S. Auguſtini Sodalibus attribuit, diem obiit anno 919. Ejus filius Everhardus, qui cùm Boja ab Hungaris fœdè vaſtaretur in Eberſpergenſi caſtro eorum vim repreſſit, quique Henrici Bojariæ Ducis auſpiciis ad Auguſtam ſub Othone Imperatore memorabili eos prælio ſuperavit. Duxit vitam cælibem, & Deum divúmque Sebaſtianum bonorum ſuorum Hæredem ſcripſit, Adalberone Fratre factum improbante. Hic Eberhardo volenti Aheimenſe prædium divo Sebaſtiano tranſcribere, rogantíque, ut quam partem Adalbero ſibi in eo prædio vendicabat, cœlo donaret, ſibíque id integrum eſſe negavit. Ex eo tempore multis conflictatus miſeriis divinam denique manum agnovit, quando aliorum liberorum jacturam paſſus, Udalricum unicè charum tabe penè confectum animadvertens ad ultimam horam properare, ſtitit ad aram divi Sebaſtiani, devotúmque ejus obſequio recepit incolumem & morbô repulſo refloreſcentem. Atque is quidem eſt Udalricus, qui ſub annum hujus ſæculi nonageſimum nonum parentibus orbatus familiam accepit, ſex liberos, quos ſuſtulit ex Rainharde Marquardi Carantanorum Præfecti Filiâ, quique Othonis ſecundi partes adverſam Henrici Boji factionem conſtanter ſecutus, divi Sebaſtiani templum ſacro ritu per Fridericum Salisburgenſem Archi - Epiſcopum conſecrandum, & Religioſos ex Divi Benedicti familiâ Eberſpergam induxit, cùm Divi Auguſtini Canonici Regulares inde migrâſſent; quorum Præpoſitus ordine primus (ut jam antè dictum eſt) illic fuit Hunfridus à Ratholdo Comite de Sempta ſeu Dynaſta Eberſpergenſi conſtitutus, anno gratiæ 911. confirmatus verò ab Everhardo Ratholdi filio, anno poſt nongenteſimum triceſimo quarto: cujus ejusdem Hunfridi præclarum ſatis elogium eſt, quòd fuerit Vir in Deum & Divos ferventiſſimus, ut & pietate ſimul, ac morum honeſtate, vitæque integritate præſtantiſſimus, qui quia ſubeſſe magis quàm præeſſe conſtanter exoptans, Prælaturæ faſces ultrò dimiſit anno ſæculi decimi quadrageſimo, ac poſt hæc terris adhuc ſupervixit annis 35. demum ſarcinâ carnis exoneratus & beata morte ſublatus anno nongenteſimo ſeptuageſimo quinto.

Secundus Eperſpergæ Præpoſitus Regularis erat Dietricus ſive Dietgerus ab aliis appellatus, itidem pari morum pietate conſpicuus, qui vitam finiit temporalem, poſtquam ſuos ſibi in animam commiſſos rexit anno ſolùm unico, relictâ poſt ſe proprii nominis laude ſumma maxima, currente anno memorati ſæculi decimi ſexageſimo primo.

Tertius Meginpoldus nobiliſſimâ cum induſtriâ Præpoſituram adminiſtravit annis undecim, & in Domino demortuus abiit ad plures anno poſt nongenteſimum ſeptuageſimo nono.

Quartus fuit Guntherus omni virtutum genere decorus, ac variis scientiis instructissimus; qui unà cum Sociis de bona Comitis Udalrici supradicti veniâ ad eremum secessit, & sic quidem ut cœlestium rerum contemplationi commodiùs inservire posset, ubi adhuc annis 40. superstes vixit, Ascetis Benedictinis inde Ebersspergæ succedentibus, atque locum constanter usque ad annum 1566. incolentibus; quibus pro tunc loco cedere coactis, Ebersspergam obtinuerunt RR. Patres Societatis Jesu; de qua Religiosi statûs immutatione videri poterit idem Adlzreitterus ante citatus lib. 12. num. 72. & Romanus Hay in Horto Cusiano fol. 339. & seqq.

Verùm qui plura nôsse velit de vetustissimo hoc Regularium Canonicorum domicilio, lustrare poterit Mathæum Raderum S. J. in Bavariâ Sanctâ editionis primæ Volum. secundo fol. 167. & 177. ubi de primis & antiquis Prælatis Eberspergensibus professione sua Augustinianis ita scribit: *Evoluto post Dedicationem biennio, Hunfridus ille, Vir doctus, pius, & Sanctus olim Augustinianorum Præpositus, isque primus templi bujus & Monasterii Parens, post Deum & Author. Tum bomo privatus naturæ concessit anno videlicet septuagesimo quinto ac octogesimo primo Weginpoldus tertius Augustinianæ familiæ Præpositus; cui successit.* Et paulò post: fol. 178. *Canonici porrò Regulares Cœnobii tum incolæ Religiosæ pacis & tranquillitatis, nec non contemplationis cœlestis amantiores sæpiùs ab illo* (Udalrico Comite suprà dicto) *pacificam binc in eremum discessionem expetierunt, quare eò faciliùs tam piæ illorum tandem petitioni acquievit, fecitque satis.* Quâ ratione autem à Monachis Bendictinis ad RR. PP. Societatis Ebersperga transierit ex Diplomate CLEMENTIS VIII. colliget benevolus Lector, quod mox sequitur:

CLEMENS Episcopus Servus Servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Cælestis patris providentia ad summum Apostolatus apicem evecti, tamquam de excelso monte ad ima agri irrigui Militantis Ecclesiæ nostrum dirigentes intuitum, considerantesque laboriosam atque indefessam operam, quam veneranda *Societas Jesu* in seminanda sapientia salutari inter cæteros ipsius agri cultores ubique præstat, dignum quin potius debitum reputamus, ut illius Collegia & loca congruæ sustentationis adminiculis etiam per suppressionem regularium locorum minus utilium confoveamus, ac alias desuper disponamus, prout Nobilium virorum vota expetunt, & temporum condicio persuadet, nosque conspicimus salubriter in Domino expedire. Sanè pro parte dilecti filii Nobilis viri Ducis Bavariæ nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum in Monasterio Ebersperg nuncupato, propè & extra muros oppidi Monachii Ordinis Sancti Benedicti Frisingensis Diœcesis, quinque Monachi vel circa supersint, ipsique vitam licentiosam, & Regularibus institutis dicti ordinis parum conformem ducant, & vix aliquod futuræ emendationis specimen præ se ferant atque ita scandali potiùs, quàm ædificationis occasionem præbeant, &, si in dicto Monasterio ordo ipse ac omnis status regularis perpetuo supprimeretur illiùsque fructus, reditus & proventus Collegio Societatis Jesu in dicto oppido, quod celebre inprimis & frequens, ac erudiendæ juventutis, aliisque piis dictæ societatis exercitiis, etiam propter vicinarum civitatum opportunitatem, quà in eis uberes quotidie in vinea Domini fructus produci possunt commodum, existit, instituto applicarentur. Unio verò aliàs dicto Collegio de Mallersdorff ejusdem Sancti Benedicti, ac de Schamhaupten Sancti Augustini Canonicorum Regularium Ordinum Ratisbonensis Diœcesis Monasteriorum, alias Apostolica auctoritate facta, perpetuo dissolveretur, illaque in pristinum statum ad effectum, ut in ejusdem Religiosi ordinum suorum hujusmodi per illorum superiores, quibus id utile & gratum erit, introducantur, restituerentur, & alia, quæ sequuntur fierent, quo casu dictus Guilielmus Dux annuos redditus duorum millium florenorum Monasterio celebri, sed tenuioribus subnixo redditibus Montis sancti ejusdem Ordinis S. Benedicti Augustanæ Diœcesis provinciæ Moguntin. in augmentum dotis illius assignare paratus est, ex hoc omnium hujusmodi locorum statui & felici successui cum majore Dei laude & servitio, populique ædificatione opportunè provisum foret. Quare prædictus Guilielmus Dux nobis humiliter supplicari fecit, ut præmissis annuere, aliasque desuper opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem æstimationem etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, dictum Guilielmum Ducem à quibusvis Excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, dictique Collegii fructus, reditus & proventus verum annuum valorem secundum æstimationem prædictam, nec non aliarum unionum, eidem Collegio hactenus forsan factarûm tenores, verum

verum quoque & ultimum primo dicti Monasterii, cujus fructus, redditus & proventus ad trecentos florenos auri in libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiuntur, vacationis modum præsentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, si vel postquam dictus Guilielmus Dux redditus annuos duorum millium florenorum hujusmodi dicto monasterio *Montis sancti* perpetuò donaverit, & assignaverit, ut præfertur in primo dicto Monasterio Abbatis regimine destituto, Ordinem ipsum Sancti Benedicti, ac omnem illius statum & essentiam ac dependentiam regulares, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò supprimimus & extinguimus, illudque cum annexis ac juribus & pertinentiis suis universis, illiúsque ac annexorum suorum quorumcumque fructus, redditus & proventus hujusmodi, ac jura, proprietates & bona prædicto Collegio etiam perpetuo unimus, annectimus & incorporamus: annuum vero redditum duorum millium florenorum per præfatum Guilielmum Ducem ut præfertur, assignandum monasterio Montis sancti hujusmodi etiam perpetuò applicamus, & appropriamus; unionemque prædictam de Monasteriis Mallersdorf & Schamhaupten eidem Collegio factam, similiter perpetuò dissoluimus, ac eadem Monasteria de Mallersdorf & Schamhaupten, illorumque conventus, cum omnibus suis redditibus, juribus & bonis, suo suoque ordini hujusmodi ac aliàs, in pristinum & eundemmet statum, in quo ante prædictam unionem quomodolibet reperiebantur, in omnibus & per omnia restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus: ita: quod liceat Rectori & Collegialibus Collegii, nec non Abbati & Conventui Monasterii Montis sancti bonorum & jurium sibi applicatorum, ac sancti Benedicti & sancti Augustini Ordinum hujusmodi superioribus Monasteriorum de Mallersdorf & Schamhaupten, ac annexorum & pertinentiarum suorum quorumlibet corporalem, realem & actualem possessionem, per se vel alium seu alios eorum, ac Rectoris & Collegialium, nec non Monasteriorum & Ordinum eorundem nominibus propria auctoritate libere apprehendere, ac etiam perpetuò retinere, ipsasque proprietates & bona locare, dislocare & arrendare, nec non fructus, redditus & proventus illorum percipere, exigere, levare, & recuperare, ac in suos usus & utilitatem convertere, nec non eisdem sancti Benedicti, eosdemque quinque aut tot, quot sunt in primo dicto Monasterio, Mallersdorf & S. Augustini Ordinis prædictorum superioribus sui ordinis religiosos usque ad competentem numerum in Schamhaupten Monasteriis prædictis, ut ibi Conventus faciant, transferre, & introducere, ac desuper, prout expediens fuerit, statuere & ordinare cujusvis licentia desuper minimè requisita. Decernentes, præsentes, ex eo quod interesse habentes vel prætendentes ad hoc vocati non sint, nec præmissis consenserint, & causa vel causæ propter quas illa fient, examinatæ & justificatæ ac verificatæ non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio aut intentionis nostræ, seu quovis alio defectu notari, impugnari, vel aliàs quomodolibet infringi, aut in jus vel controversiam vocari, seu adversus illas quodcunque juris vel facti remedium impetrari nullatenus unquam posse; sed illas semper & perpetuò validas & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, vel aliis contrariis dispositionibus per quascunque literas vel constitutiones Apostolicas, aut Cancellariæ Apostolicæ regulas, & per nos & successores nostros etiam motu proprio, ac sub quibuscunque tenoribus & formis, nec non cum quibusvis clausulis & decretis pro tempore factis & concessis, etiam in crastinum assumptionis ad summi Apostolatus apicem cujuscunque ipsorum successorum nostrorum comprehendi, sed semper ab eis exceptas, nec non quoties illas revocari vel limitari aut suspendi, seu eis derogari contigerit, toties in pristinum statum restitutas, & plenariè integratas, ac de novo concessas esse & censeri, & ita per quoscunque judices, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili fratri nostro Episcopo Ratisbonensi, ac dilectis filiis Ratisbon. & Collegiatæ Oppidi Monachii etiam Frisingensis Diœcesis hujusmodi Ecclesiarum Præpositis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios easdem præsentes & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Guilielmi Ducis ac Rectoris & Collegialium ac superiorum ordinum hujusmodi seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti solenniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra literas prædictas & in eis contenta quæcunque firmiter observari, ac Guilielmum Ducem atque prædictos omnesque alios & singulos, quos literæ ipsæ quomodolibet concernunt, illis pacificè frui, & gaudere: Non permittentes illos seu eorum aliquem desuper quomodolibet molestari: Contradictores quoslibet & rebelles per censuras Ecclesiasticas aliaque opportuna juris & facti remedia, eâdem auctoritate nostra appellatione post-

postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus sententias, censuras, & pœnas ipsas iteratis vicibus aggravando. Invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus priori voluntate nostra prædicta, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis, ac quibusvis aliis Apostolicis, nec non in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, nec non Monasteriorum prædictorum fundatione & dotatione, si obstent, eorundemque & Ordinum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis etiam illis eorumque superioribus & personis sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis, nec non irritantibus, & aliis Decretis in genere & in specie etiam motu simili & aliàs etiam iteratis vicibus in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat harum serie specialiter & expressè derogamus, contrariis quibuscunque: aut si conventui, Vasallis, & aliis subditis primodicti Monasterii vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis: proviso, quod propter suppressionem, extinctionem ac unionem, annexionem & incorporationem prædictas Ecclesia Monasterii suppressi hujusmodi, debitis propterea non fraudetur obsequiis, sed illius congruè supportentur onera consueta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, suppressionis, extinctionis, unionis, annexionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, dissolutionis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, Decreti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus noverit se incursurum. Datum *Romæ* apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, quarto decimo Kal. Junii. Pontificatus nostri anno quarto.

Montaltus Vice-Can: M. Vestrius Barbianus.
A. de Alexiis.

Post traditam Reverendis Patribus Societatis Jesu possessionem Monasterii Ebersperg, Rectores Collegii Monacensis fuere. An. Christi. *an.*

M. D. XCVI.	CHRISTOPHORUS Marianus.	I.
M. D. XCVII.	OTTO Eisenrieth. HENRICUS Gaugenrieder.	I.
M. D. XCVIII.	MELCHIOR Hertelius.	VI.
M. DC. IV.	MATTHIAS Mairhofer.	III.
M. DC. VII.	JACOBUS Keller, adhuc jam XII. *annos.*	

EBORACUM

Amplissimum ac potentissimum ætate nostra Cisterciensis Ordinis Monasterium est, Diœcesis Herbipolensis in Ducatu Franconiæ, quatuor milliaribus à Schweinfurto notâ Imperii civitate sejunctum; idem etiam vel olim inter liberos & immediatos Imperii Status recensitum, fundatum autem istud fuit à Bernone & Richario Nobilibus Fratribus Germanis familiæ de Ebrau nuncupatæ; quod factum est anno Christiano 1126. de quo eodem celeberrimo Asceterio pluribus agit Bruschius de Monast. Germ. centur. 1. fol. m. 40. & seqq. Ordo Canonicus isthic loci inter primos Ascetas Eboracenses institutus, usitatus, & observatus, post brevem aliquot annorum decursum transivit in alium claustralis disciplinæ statum, Religiosissimo nimirum id loci Antistite cum cæteris omnibus Regularibus Canonicis novum Cisterciensis formulæ institutum adeò desideranter

ample

amplexis, pro quibus ipse Divus Bernardus Clarevallensis Abbas ad primum hujuscemodi Abbatem Eboracensem propriam quandam scripsit Epistolam, quæ in ordine 95. est, atque ex horum Religiosorum numero videtur fuisse B. Humbertus, cujus laudes amplius recenset idem Divus Bernardus proprio sermone de eodem Humberto.

EBSTORFIUM

Ducatus Luneburgensis, Diœcesis verò Mindensis, jam pridem antiquatum sacri Ordinis Canonico-Augustiniani Parthenæum, Ducali fundatione sua ditissimum; cui sub decursum sæculi decimi quarti recens condendo in diebus suis pius Author fuit Ludovicus Ottonis Ducis Luneburgensis filius, Supremus Ecclesiæ Mindensis Pastor seu Episcopus, numero & ordine decimus nonus; qui dum in Episcopali Cathedra multa cum laude, nec minore illius utilitate annis 22. mense uno, & diebus quatuor honoratissimus præsedit; demùm cum Patribus suis piissimè in Domino requievit in parthenio itidem ac Comprovinciali Benedictino tamen Cænobio, Walsrode dicto anno 1342. die 22. Julii mortuus, & sepultus.

EDELSTETTENSE,

Seu prisco nomine *Oettlinstettense* dictum perillustre Parthenæum, seu Nobilium Canonissarum (hodiè Sæcularium) Diœcesis Augustanæ in Marchionatu Burgoviensi, medio ferè itinere potissimas inter duas Sueviæ civitates Imperiales Augustam Vindelicorum, & Ulmam ad Mindulam fluvium primitùs fundatum fuit anno 1126. à Wernhero Comite de Schwabeck & Balizhausen; & sic quidem pro Virginibus Sacris, Canonicam S. P. Augustini regulam professis; secùs verò Sæcularibus, prout perperam habet Bruschius de Monast. German. cent. 1. fol. 45. & nos etiam in nostra Suevia Ecclesiastica fol. 294. eundem iniquè secuti, sed verè Domicellis Religiosis utpote cum Claustralibus Diessensibus, quas Canonissas Regulares fuisse superius V. *Diessense* ex Continuatore Bollandi, Godefrido Henschenio probavimus, quoad vivendi normam omnino æqualibus. Ex quo ipso fundamento prædictus Hensch. Tom. 6. Maji fol. 443. Canonicam Edelstettensium Professionem sic roborat: *Monasterium Edelstettense verò ejusdem cum Diessensi instituti fuisse vel ex eo colligas, quòd ex hoc ad illius regimen postulata Mathildis fuerit. Si quis nihilominus dubitare vellet, huic opponetur Bulla Sixti IV.* Anno MCCCCLXXXI. 13. cal. Novembris. Pontificatus anno XI. data, Dilectis in Christo Filiabus, Abbatissæ & Conventui Monasterii de Edelstetten Ordinis S. Augustini, Augustanæ Diœcesis. *Hujus Bullæ authenticum exemplum accepimus sub attestatione & sigillo Augustini Erath, Doctoris & Notarii Apostolici.* Rem extra omnem dubitationis aleam ponit Damasianæ Canoniæ Anonymus Scriptor in Vita Beatæ Mechtildis, seu Mehtildis Abbatissæ, ROGATU QUARUNDAM SANCTIMONIALIUM IN CÆNOBIO OETTELSTETTEN (quæ verba sola ad decisionem litis sufficerent) scriptâ. Hanc ex vetusto codice Diessensi descripsit R. D. Augustinus Seiz Can. Reg. ad Exemptas Insulas Wengenses Ulmæ, & ex illa evidenter constat, nec Beatam hanc Abbatissam, nec ejusdem Sorores CANONICAS à votis Religiosis fuisse Liberas, quod nonnulli Scriptores moderni contendunt, at non nisi cum jugulatione veritatis. Censeo non injucundum Lectoribus nostris fore, si Biographia hæc non admodum longa & hactenus inedita eorundem oculis subjiciatur. Sit ergo.

PROEMIUM.

Ad laudem honorémque Individuæ Trinitatis & Instructionem Spiritualium & Religiosorum, rogatu quarundam Sanctimonialium in Cænobio Oettelstettensi commorantium, pariter de Vita virtuosa & laudabili Beatæ Mehtildis Abbatissæ conscribendum duxi. Quæ quidem in Monasteriis Diessen & Oettlenstetten Bajorariæ Provinciæ suam bonis operibus confirmavit Sanctitatem. Cujus etsi cunctam ejus Vitæ Virtutem & devotionem hoc exiguo complecti vellem libello, calamus deficeret & papirus:

Legenda Beatissimæ Mehtildis Abbatissæ Oettlstettensis Cænobii feliciter incipit.

Devota Beatissimáque Virgo Mehtildis & Abbatissa, cujus Vita Sanctissima (prout in ejusdem Legenda reperimus) breviter in tribus commendatur. Primo de potenciali & progenie religiosa, quæ de nobilissimis Comitibus Baronibúsque de Andex originem traxit. Nam Pater Beatæ Mehtildis genere spectabilis fuit Comes devotus nomi-

 ne.

ne Berhtoldus de Andex, eo loco, quo jam situatum & constructum est Monasterium supra Montem Sanctum, cujus & Mater nuncupata est Sophia pariter de nobili prosapia exorta, perpetua divini cultus existens amatrix. Prememorata verò Beata Mehtildis Abbatissa & Virgo subsequentes habuit Consobrinos in sua progenie & Cognatos, videlicet Ottonem Episcopum Bambergensem. Berhtoldum Margravium de Austria. Divam Eufemiam Abbatissam apud Altenmünster. Gisilam Comitissam apud Montem Sanctum. Divam Elizabet Ungariæ Regis filiam unacum aliis complurimis Ducibus & Dominis de sua progenie exortis. Perpendens autem B. M. Simplicem fore rem & abjectam apud Deum corporis ingenuitatem & quod vera nobilitas in ipsius animi consisteret virtuositate, qua mediante ad vitam mereretur pertingere perennem. *Primò* à Prima ætate Deo optimo maximo diligentius servire deliberavit. Hac quidem tempestate Cænobium quoddam erat Sanctimonialium in partibus Bajoariæ constructum, in quo divina disponente gratia plures Deo militabant Sanctimoniales. Quare cum præfatus ille Comes Bertholdus suæ filiolæ ingrediendi Religionis cognovisset affectum, Tradidit filiam suam Mehtildem quinquennem ad præmemoratum Monasterium, ibidem Deo jugiter sub regulari disciplina ampliori devotione serviendo, in qua etenim tanto devotiorum vigebat fervore, si quis eam quærebat solummodò in oratorio reperiebat, unde merito dicere potuit: Illud Evangelici: quid est quod me quærebatis, an nescitis, quòd in his, quæ patris mei sunt oportet me esse? Quæ mox relictis omnibus Monasterium petiit, quare haud immerito concinere quivit cum sacris illis Virginibus: Regnum mundi & omnem ejus ornatum contempsi propter amorem Domini mei JEsu Christi. Cùm autem Beata Mehtildis annos attigerat discretionis, & in dies magis ac magis in Spiritualibus divinóque cultu proficeret, promisit Deo in manus Magistræ suæ hæc tria videlicet Castimoniam servando perpetuam, obedientiam voluntariam & in paupertate humillima vivendo. *Secundò*, comendatur Beatissima Virgo Mehtildis in Vita sua & Legenda ratione suæ virginalis munditiæ & puritatis, quam semper in suo corpore gestavit & mente. Hanc & pro virili confirmavit & Voto. Et quidquid Virginalis erat puritatis vigilantissime observare studuit, itaque veraciter in ea inventum est, ceu Paulus ille, inquit, Virgo cogitat, quæ Domini sunt ut sit sancta corpore &c. Nam Beata V. Mehtildis corpusculum suum multipliciter punivit variísque castigationibus affecit; adeóque semel duntaxat in vita carnes comedit, & semel vinum bibit, ùt inferius volente Deo plenius audietur.

Accidit autem quadam vice præfatum Comitem Berhtoldum amore filiæ suæ Mehtildis Monasteria tam fratrum quàm sororum (circa annum à Christi Natali millesimum centesimum tricesimum secundum sub venerabili regimine Præpositi Hartwici Monasterii Diessensis Canonicorum Regularium) visitare, cui præmemoratus ille Comes Berhtoldus rogatu suæ filiæ Mehtildis decimam suæ substantiæ contulit partem pro suis Sponsalibus existentem circa Ylaram in Confinio Dyenge, dummodo sese Christo JEsu desponsaverit Sponso suo per votum castitatis. Cum autem tempore suo redditus illi ad Monasterium deportarentur, de quibus Conventus uterque Fratrum & Sororum magnum capiebant gaudium cum Beata Mehtilde, & facto mane, tempúsque prandendi & hora adesset Signóque prandendi Sorores Missaticum quendam destinaverunt ad Præpositum Hartwicum quatenus ad eas in suúmque venire sine mora refectorium dignaretur. Ubi Beatæ Mehtildi sub obedientiæ præcepto mandatum fuit, ut sua cum Magistra cæterísque Sororibus in refectorio de Patris sui Donis carnibus vesci deberet, quo facto mandato inquiens Beata Mehtildis ad Præpositum Hartwicum; Domine Paterque amantissime, ve & angustiæ sunt mihi undique veterem quòd debeam infringere consuetudinem bonam. Nullo tamen Pater reverende de tempore volo inobediens inveniri, inobedientiæque culpæ redargui & sic cæteris cum Sororibus apposita edebat. Quequidem manducatio haut modicam in animo Beatæ Mehtildi causabat tristitiam, finito itaque prandio Sanctimoniales Deo in processione sua gratiarum actiones referentes affuit & vox angelica dicens: O Virgo Mehtildis felicissima scito te non esse cibatam cum Esau reprobato & damnato. Verum Sancto Helia cibum sumpsisse gaude, quo pariter facto miraculo audita est vox circa galli cantum divinitus, & precatus ad prefatum Comitem Berhtoldum ejusque Conjugem Sophiam dicens: Surgite velociter & ad Dyessen ambo properate illic Dei magnalia, quæ Deus optimus Maximus operaturus est vestra cum filia Mehtilde audiendo. Quo audito mox exurrexerunt ad Dyessen cicius venientes, qui cum ingenti gaudio suscepti sunt, Laudantes Deum & suam divinam potenciam.

Voluit autem B. illa Mehtildis cognitum dare pro semper affectum maximum ad istud Venerabile Sacramentum corporis Christi & devotionem hujusce supplicans suppliciter Patri suo carnali & Præposito Hartwico ut preordinare dignarentur de suis Sponsalibus, hoc est de Redditibus in confinio Dyenge existentibus, quatenus de illis frumentis an-

nuatim

nuatim tot diſponi deberent hoſtiæ & oblatæ, ex noſtro Monaſterio Dyeſſen, quantum ſufficere poſſent unicuique Eccleſiæ in propinquo exiſtenti cum illis laudabiliter in Miſſis Chriſti JEſu corporis & Sanguinis Sponſi ſui agendo, quod & hactenus apud nos obſervatum eſt. Beata námque Mehtildis otioſa nunquam fuit, ſed quod quæſivit invenit, aut oravit legit ſcripſit aut aliquid aliud operis fecit Statui ſuo conveniens; Sciens enim B. Mehtildis otium omnium malorum eſſe originem & primordium; Nam ejus habitudo & geſtus tam bene compoſiti fuerunt & virtuoſi, quòd in illis nemo ſcandalizari potuit. Verum ejus cernentes converſationem & geſtum in melius protinus comutati ſunt. Legitur quoque de B. Mehtilde quod quinque ſenſus ſuos in tali ſemper conſervaverit cuſtodia, ne quid aut videret audiret aut loqueretur quo Deus offendi poſſet aut proximus aut illius devotionis fervor impediri poſtergaríque poſſet. Se pariter pro virili abs cunctis elongavit & abſtraxit cauſis humanis hominúmque conſortium quantum poſſibile erat fugit & evitare ſtuduit. Nec Sermones multos inter commiſcere voluit & cognatos, in cujus quoque ore nunquam vel rarè verbum inutile inventum eſt, ſicut legitur de illa, quod quadam vice quædam Sanctimonialis femina coram Beata Mehtilde ſtabat aliquid in manu tenens, & illud quod manu geſtabat caſu de manu laberetur in terramque caderet, tunc dixit Beata Mehtildis ex animo in præmeditato: *Calca deſuper.* Propter quod verbum inutile tantum habuit contritionis dolorem ac ſi enorme quoddam comiſiſſet crimen, inde ſeſe ob id mane verbum & inutile duriſſimè punivit & caſtigavit. Factum eſt autem retroactis temporibus quod devota illa Magiſtra Monaſterii Dyeſſenſis, abs hac luce per mortem diſcederet. Abs quoque cunctis Fratribus & Sororibus magno fletu & planctu plangeretur cogitabant quod alteram Magiſtram loco prioris Magiſtræ eligeretur. Videntes enim B. Mehtildem vivens ſpeculum fore & exemplum plenum omnium Virtutum & operum bonorum; quapropter conſenſu omnium conſilióque Præpoſiti unacum Fratribus & Sororibus, Beata Mehtildis in Magiſtram hujus Cænobii ceteras Sanctimoniales & Sorores juxta tenorem regularis diſciplinæ regendo prælecta eſt; Sed Beatiſſima Mehtildis ex Magiſtri ſui corde humiliter electioni contradixit & ſe illius Officii indignam reputabat. Præpoſitus autem ille reverendus mandavit, præcipienſque ſub obedientiæ virtute illud officium humillime capeſſendo; Quod cum aſſumpſiſſet officium tandem in virtutibus ampliorem fecit operam, & bonis operibus, & in devotione dietim proficiebat, ut & ceteris ſuis Sororibus ſibi regulariter ſubjectis exemplum bonum & laudabile præferre poſſet; Quæ ſic cum omni humilitate & manſuetudine Monaſterium rexit & gubernavit, quod laus illius & præconium longe latéque pervenit & divulgatum eſt & non modò à ſpiritualibus quàm à ſecularibus ſummo amore proſequebatur.

Quomodo B. Mehtildis in Monaſterio Oettlſtettenſi Abbatiſſa facta eſt & electa.

Hac tempeſtate erat fundatio quædam antiqua in Monaſterio Oettlſtetten. Quod plurimis Sanctimonialibus ſatis erat redimitum, ibidem Deo omni devotione & humilitate famulantibus, quod quidem Cænobium divitiis claruit & poſſeſſionibus, Divina autem ordinatione factum eſt præfatam illam Abbatiſſam ex hac luce per mortem tranſire, & cum ipſa & poſt ipſam prædicta fundatio & Monaſterium in regulari diſciplina diſpendium & damnum patiebatur in temporalibus quoque diminutionem, qua propter Principes & Nobiles unacum Epiſcopo Auguſtenſi & ceteris Monialibus Concilium tenentes ubi aut quam ſororem in Abbatiſſam eligere ſublimaréve deberent, quæ hujusmodi negligentias & damnum bono regimine ſuo & prudentia recuperare poſſet, unde bono Concilio conſenſuque omnium prædictorum fuit B. Mehtildis Magiſtra Monaſterii Dyeſſenſis in Cænobium Oettlſtettenſi electa, confeſtim prænemorati Canonici noſtri Monaſterii & Sorores cum litteris Epiſcopalibus ejusque auctoritate & favore, litterasque precatorias & perſonas reales ad Beatiſſimam Mehtildem & Præpoſitum Hartwicum Sororéſque illius Monaſterii miſerunt ſuppliciter rogantes, quatenus hujusmodi Electioni pium præbere favorem & conſenſum deberent, unde grandis abs illis Fratribus & Sororibus fletus exoritur & planctus, quod ipſis talis & tam ſancta omníque laude digna ſubtrahi deberet & aufferri Magiſtra. Et præſertim B. Mehtildis (quod dilectas ſuas Sorores quibus toties devotionis ſuaviſſimas habuerat converſaciones jam relinquere deberet) amariſſime flebat, ſe pariter magis ex humilitate hac poteſtate officiíque dignitate indignam penitus reputabat, Ideo eorum electionem nequaquam propoſitúmque fiendæ illius Monaſterii Abbatiſſæ aſſumere intendens & volebat. Verum Præſul Auguſtenſis & Præpoſitus Hartwicus videntes illius reſiſtentiam & quod nullomodo conſenſum ſuum Electioni dare volebat, Eidem per obedientiam præcipientes, ut favorem

piúmque consensum & voluntatem conferre velit hanc vicem Abbatiam capessendo. O quam lamentabilis hæc erat separatio ! nam omnes Canonici & Sorores amarissime flebant & sese brachiis constringentes mærore pleni ab invicem discedentes & sibi invicem haut sine parva tristitia valedicebant. O quàm ingens gaudium Missaticis illis ex hoc subortum est quoniam commissum suum tam laudabiliter exequuti fuerant, & secum Beatissimam Mehtildem de Dyessen ad Monasterium Oettlstettense perducentes ubi Canonici omnes cum tripudio & gaudio hymnísque & honorabili susceptione eidem ceu Abbatissæ & Matri suæ Dilectissimæ occurrerunt & sibi unanimiter voluntariam obedientiam vovebant & exhibebant Quo facto statim venerunt officiales & famuli omnes se Ei & Monasterio fideliter famulaturos profitentes, Et Beatissimam Mehtildem omni honoris exhibitione suscipiebant. Unde universis gaudium erat & tripudium, quod Eis Deus optimus maximus talem contulerat Abbatissam Dominam & illius Cænobii gubernatricem fidelissimam, Quæ vero per Diocesanum Augustensem in Abbatissam consecrata & in Monasterio Oettlstetensi locata. Die noctúque quiescere nequivit. Verum regimen & curam Domesticam considerans & præsertim divinum cultum quo pacto & Ipsum unacum regulari disciplina augmentare posset & meliorare diligentius incipiebat pertractare. Et quò inceptum opus celerius nullo obstante temporalis curæ impedimento beatius exequi posset & perficere deelegit sibi, electique sunt sibi nonnulli viri reales & honesti curam super familiam domesticam habentes, resque temporales vigilanter utiliterque tractantes. Erat námque Beatissima Mehtildis admodùm solicita omnem quoque adhibens operam quo pacto subjecto sibi gregi bonum & laudabile exemplum præferre posset, quo Sorores suæ in claustro sub regulari disciplina militantes, aliquantò magis voluntariæ existerent & divinum cultum cum regulari disciplina ampliori opera & solicitudine expedirent. &c. Videns verò Beatissima Mehtildis claustrum suum apertum & nulli clausum, unde viri seculares ad Sanctimoniales & Sorores liberum habere poterant ingressum. Hoc dissimulando diutiusque tollerando B. Mehtildi indignum & rationi dissonum arbitrabatur, verum Monasterium perpetuo & clausum & repagulatum habere volebat, ne aliquis virorum aliquem ad eas ingressum habere valeret, sciens etenim hujusmodi virilem ingressum ad Sanctiomoniales devotionem nequaquam fore servilem & celibatui, Quapropter cunctas ad se convocans Canonicas & Sorores intentum suum & animum eis aperuit, quia Cænobium universis apertum claudere intenderet quid eis super hac re bonum videretur faciendúmque esset, citius manifestarent ostenderéntque monuit Quod quidem quibusdam Sororibus admodum grave videbatur & contrarium ut Monasterium contra morem antiquum & consuetudinem claudi deberet, sed ut apertum juxta pristinam consuetudinem servaretur volebant. Sed B. Mehtildis inventum earum non acceptavit nec voluntati aquievit. Verum Diocesanum Augustensem convocans ut ipse Cænobium claudat admonuit & precatur, auxilium quoque in hac re ferat ipse & opem : Erat namque B. M. tam frequenter in Ecclesia & pro omni hora & tempore in oratorio inveniri sinebat corpus suum (ne aliquando animæ & ratione contraire & rebellare videretur & prævalere) quotidie domabat quare nec lectisterniis nec plumis nec lineis linteaminibus utebatur, verum singulis noctibus super stropodium quiescebat duntaxat jacebat, Cæteris autem sui convictus feminis mitis semper erat, & voluntaria lectisternia linteamina & hujusmodi quibus nocte utebantur emendo & procurando ut & ipsæ consequenter magis voluntariæ forent in regularis disciplinæ observatione. 3tium est propter quod Sancta Mehtildis Abbatissa laudibus cunctis existit maxima illa gratia quam à Deo promeruit, adeò quod per ipsam adhuc vivente corpore & post mortem magna miracula (ut consequenter audietur) Deus per ipsam operatus est nam nullum prætermisit tempus vel horam quin Deum in sua devotione diligentissime & devote adoraret & veneraretur. Nam laudabilis illa fundatio in Oettlstetten in magnis causis coram regali judicio causabatur unde B. M. famulos nonnullos & causidicos illuc destinabat licet his in causis nulla Monasterio contingebat exequucio finalis. His verò temporibus Imperator Fridericus cognatus existens Beatæ Mehtildis regnabat, qui multa de vita virtute & cognatæ suæ sanctitate audiverat & licet pluries videre eam desiderasset quia tamen obstantibus nonnullis impedimentis & causis fieri nequaquam potuit; Contigit autem quadam vice præfato Cæsare una cum ceteris multis Dominis & Principibus Ratisponæ existente, misit suam legationem ad Beatam Mehtildem præcipiens per litteras missorias quatenus visis litteris sine dilatione ad suam Imperialem Majestatem venire dignaretur Ratisponam alias sui Monasterii causa longo tempore finem non consequeretur & effectum, qua propter Beata Mehtildis compulsa Ratisponam versus una cum paucis suæ familiæ famulis iter arripuit, & Ratisponam usque pervenit, ubi ab ipso Imperatore ceterísque Heris & Ducibus laudabiliter summóque gaudio est suscepta, Qua visa Imperator plurimum est gavisus quod talem & tam sanctam virtuosúmque in sua progenie haberet consortem ubi & sui Monasterii Oettlstetensis causa bene & sufficienter expediebatur,

tur, Imperator autem præfatus Fridericus volens Beatæ Mehtildi ſpecialem honorem exhibere & amicitiam illam ad ſecum prandendum & ceteris Dominis & Principibus invitabat, ubi inter prandendum Deus cum B. Mehtilde in præſentia Cæſaris aliorum Principum magnum patravit miraculum conſedentibus octo Principibus ad menſam unacum B. Mehtilde Abbatiſſa & ipſa quodammodo ſiti laboraret & in menſa nihil præter vinum eſſet appoſitum & B. Mehtildis ex more vinum non biberet annuit famulo ſuo qui erat miles, ut ei aquam de fonte clanculo afferret, quia miles id libenter fecit, ut ei Abbatiſſa & Domina ſua mandaverat Qua per militem famulum ſuum allata, volens B. Mehtildis aquam bibere quam Deus in optimum comutavit vinum. Et hoc quidem miraculum in eadem menſa trina vice divinitus factum eſt, ſed hoc portentum lubens B. Mehtildis occultaſſet, ſed nimium erat coram Imperatore ceteríſque Heris & Ducibus divulgatum, Quibus indubie miraculis Sanctiſſimæ Mehtildis Abbatiſſæ erga Deum magnum meritum conſiderari poteſt vitæque ſuæ ſanctitatem procul dubio oſtendere ſolent. Cauſis autem ſui Cænobii laudabiliter coram Imperatore ad terminum perductis & expeditis Imperatori valedixit ceteríſque Principibus. Feſtinanter cum ſuis famulis ad propria remeavit. Ne iſtius mundi honor aliquando vel fabulæ curiales illi in ſua devotione obicem ponere poſſent & impedimentum.

Qualiter Beata Mehtildis quandam Virginem à Dæmone poſſeſſam liberavit & priſtinæ ſanitati reſtituit.

Sancta Mehtildis Abbatiſſa ceteræque ejusdem Cænobii Sanctimoniales per preces quandam cujusdam honeſti Viri filiam in Monaſterii præbendariam aſſumpſerunt, quæ à quodam Dæmonio erat graviter poſſeſſa adeò quod die noctuque horribiliter clamitans ſeſe quoque per crines trahens in facie quoque unguibus miſerabiliter lacerans. Quam & Diabolus lubens jugulaſſet, verùm in bona diligentique cuſtodia nocte habebatur quod nemini nocere potuit, cujus equidem puellæ impetuoſitas Sororibus cunctis totíque conventui ſatis intollerabilis erat, qua propter poſſeſſa illa à Dæmonio ad Beatiſſimam Mehtildem ducitur & abs Sororibus multis precibus pulſatur ut Ipſius miſeretur puellæ Deúmque precaretur omnipotentem, ut Plaſma ſuum & Creaturam filiolam hanc propitius redimere liberaréque dignaretur. Confeſtim B. Mehtildis confidentia quam ſemper in Deum Sponſum ſuum geſtabat, Deum devotis orationibus incipiens interpellare ut ejus dignaretur propitius exaudire preces Diabolo quoque per Dei virtutem præcipiens & per Chriſti Jeſu amaram paſſionem, ut ab illo exeat homine ampliúsque apud eum locum & manſionem habiturus ſit nullam, Diabolus autem Dei virtute Chriſti Jeſu quoque paſſionem ulterius ſufferre non valens, & preces & interceſſionem B. Mehtildis ſed dentibus ſtridere inchoans & eam in facie dilacerare diſceſſit ab ea qui nec poſtea ad eam eſt reverſus, continuò poſſeſſa illa priſtinæ ſanitati eſt reſtituta, Deúmque largitorem omnium bonorum laudavit devotè orationibus gratias quoque eidem pro hoc preſtito in menſas retulit quod & ei loquucionis beneficium contulerit quæ prius loquelæ officio caruerat. Inhibuit autem B. M. cunctis necuiquam hoc quispiam prodere miraculum præſummeret ſed poſſeſſa illa jam à Dæmonio meritis B. M. liberata laudem Dei pronuntiat & Beatiſſimæ Abbatiſſæ Mehtildis ingens apud Deum meritum. Qua propter multi homines variis fatigati egrimoniis & oppreſſi confluxerunt ad B. Mehtildem rogantes per ejus orationes devotas effundere ad Deum, quatenus & Ipſi per ejus interceſſionem & meritum corporis ſoſpitatem aſſequi queant gaudioſam. Ex quibus indubie infirmi multi per meritum B. Mehtildis Abbatiſſæ & interceſſionem curationis beneficium ſunt adepti & à ſuis protinus exonerati ægritudinibus.

Quomodo B. Mehtildis oculo cuisdam Sanctimonialis ejusdem Conventus per ſuam interceſſionem curationis Beneficium obtinuit.

Habuit námque B. Mehtildis in Oettlſtetten devotam quandam Canonicam, cui ſcribendi erat uſus & libros complurimos propria conſcribebat manu pro Choro, propter quod plurimum à Beata Mehtildis ceteríſque ejus Sororibus diligebatur, quadam autem vice ſe obtulit quod Canonica præmemorata cui ſcribendi uſus erat cultellum quendam incaute in manu tenuit, quo ſibi ſubitò oculum transfodit, itaque in oculo illo transfoſſo excæcabatur unde ſanguis per maxillam defluere incepit & illa flere. Accurrerunt Sorores ad clamorem, videntes damnum fæminæ illatum, cum illa compaſſionem haut parvam habere inceperunt. Nulla etenim ſpes ulterius recuperandæ ipſius

oculi

oculi sanitatis erat. Quam mox Sorores acceperunt ad Beatissimam Mehtildem haut parvo mœrore & ploratu perduxerunt, nam abs cunctis feminis Conventus ratione ejusdem utilitatis (quia plurimos conscribebat libros) summè diligebatur, quæ manu oculum vulneratum seu perfossum contingens & Deum devote precabatur continuo femina illius oculi vulnerati, de quo spes nulla erat consecuta est sospitatem, adeò quod in illo oculo perforato (ut ipsamet cognovit & publice postea confessa est) acutius videre potuit quam illeso & sano. Quapropter Deum omnium bonorum largitorem laudavit gratias quoque Eidem referens immensas quia per meritum Beatissimæ Virginis & Abbatissæ Mehtildis eam & complurimos sanavit alios homines. Hæc & multa alia signa & miracula Deus optimus maximus per meritum B. M. patravit quæ pro nunc brevitatis causa * obmittendum duxi. * f. obmittenda.

Quomodo Beatæ Mehtildi Abbatissæ Oettlstettensi suæ mortis hora adeò manifestata est.

Cum Dominus omnipotens unicuique homini horam & suæ mortis tempus statuerit attamen homini suæ mortis hora & tempus penitus incognita existit & sepulta Piissimus autem Deus volens devotam suam famulam Mehtildem abs illa per mortem temporalem revocare vita mortali hanc in vita cælesti munere superno præmiando cui itaque Deus suæ mortis horam manifestavit & tempus. Appropinquante vero mortis suæ hora convocans ad se omnes sui Monasterii Canonicas totámque familiam, aperiens eis corporis sui debilitatem magnam ac quod brevi temporis spatio abs hac vitæ calamitate & miseria esset transitura & ulterius minimè victura. Quod cum fecisset incepit fideliter & materne Canonicas suas & Sorores adhortari ut alterutrum dilectionis vinculum diligentius observare studerent cum hoc Deus in Evangelio observandum præceperit & hortatur dicens: *Diliges proximum &c. &c.* Et potissimè quod divinum cultum cum regulari observantia omni opera expedire & observare deberent ceu eis & verbis & operibus semper prætulisset ut se divina permissione in cælesti patria alterutrum essent visuræ formidabat enim se oculis corporalibus easdem diutius non esse visuram. Unde eis significabat qualiter in Cœnobio Dyessensi à primæva ætate esset educata & hic in Dyessen suam suique Prædecessores omnes specialem haberent sepulturam ideò illuc reduci & reportari vellet. Hoc in loco divinæ Majestatis præstolando voluntatem. Suámque ibidem sepulturam habendo Tunc incepit B. M. suis Sororibus gratias referre quod tam promptè & voluntarie in divino semper exstitissent cultu & disciplinæ regularis observatione. Supplicans illis ut in ipsis jam supra tactis perseverare & permanere vellent usque in finem sine Dubio salvandæ essent percepturæque præmium vitæ perhennis Quæ multos coram Sororibus hujusmodi fecit sermones ita quod in fletum resolvebantur sed illas consolabatur & singilatim felicibus suis complexabatur brachiis & valedixit eis. Tandem B. M. Abbatissa se convertens ad familiam suam & eis de fideli suo servitio & famulata regratiabatur, omnésque charitativè adhortabatur ut Cenobio Oettlstettensi fideliter diligentérque servirent ut hic & in futuro premium queant promereri perhenne quo dicto caput eis inclinans & valedicens iter arripuit & ad Dyessen perrexit Confestim à feminis seu Sororibus grandis exoritur meror & fletus & familia tota, quod talem piissimam sanctámque amiserant Abbatissam quæ cunctis verbis & factis fiducia extiterat & exemplar.

Qualiter Beatissima Mehtildis de Oettlstetten iterato ad Dyessen reducta est.

Postquam autem B. Mehtildis cum suis comitibus debilis & infirma ad Dyessen divina providentia erat deportata unde ipsa cum multo fletu & mæstitia à Sororibus est suscepta attamen humanissimè in sua ægritudine ab eis est provisa & tractata non ut hospes verùm ut Domina & istius Monasterii fundatrix Dilectissima Quumque etsi hæc ægritudo Beatissimæ Mehtildis Sororibus haut parvam causaret animi mæstitiam, universis tamen erat lætitia & gaudium de iterato Beatissimæ Mehtildis ad eas reditu & migratione cujus autem dolor & ægritudo Mehtildis in dies magis ac magis accrescebat & augmentabatur. Qua propter Comes Berhtoldus una cum Conjuge Sophia parentes Mehtildis existentes ad eam venerunt hanc in sua ægritudine consolando vertens autem se B. M. versus parentes suos dicens Patri suo: Domine & Pater mi dilecte (noveritis enim) quod me Juvenculam quinquennem huic Monasterio B. M. V. in Dyessen tradidistis in quo me Christo Jesu Sponso meo devovi & desponsavi quod & si volente Deo in hoc

hoc ſæculo manſiſſem dotem ſeu ſponſalia mihi contuliſſetis ideo veſtræ ſupplico paternitati Pater amantiſſime quatenus Deo Sponſo meo Chriſto JEſu dilectæque Matri ſuæ ad laudem & honorem & ad omnium animarum noſtrarum medelam & ſalutem ac ad utilitatem Fratribus Sororibusque in hoc Monaſterio Deo militantibus & ſervientibus ut his mediantibus Deo optimo maximo liberius famulari valeant velitis & vos de veſtris non de noſtris ſed de ſuis bonis temporalibus partem aliquam dare deprecor, videlicet Decimam quam habetis in confinio Dyengen. Quo audito ſe voluntarium ad preces filiæ ſuæ exhibuit & contulit Comes Berhtoldus cenobio Dieſſenſi de ſua facultate ſubſtantia bonisque temporalibus quæ habuit in Confinio Dyengen prout ſuperius ſufficienter enuntiatum eſt Tunc Beatiſſima Mehtildis patri ſuo gratias egit immortales dicens: Pater Dilectiſſime gratias vobis refero quod meam petitionem per omnia exaudiſtis, Demum vertit ſe erga Præpoſitum Hartwicum Fratres & Sorores flexis genibus elevátisque in cælum manibus flens dicebat. Domine Jeſu Chriſte accipe hoc donum huic Monaſterio à Patre meo pronunc collatum conserváque illud famulis famulabúsque tuis ad futurum commodum & utilitatem in illa domo devotè famulantibus. Tunc dixit præmemoratus ille Comes Berhtoldus O Dulciſſima filia mea roga mecum Deum omnipotentem pro noſtræ progeniei Succeſſoribus quod ſi quispiam illorum foret hoc donum per me hodie huic cenobio ad preces tuas collatum obſtaculum obicémque ponere vellet nec Monaſterio permittere ut eundem Deus in hac vita mortali punire velit & nequaquam ipſi ad judicium reſervare finale Qua completa oratione audita eſt vox cælo dicens Amen. tandem B. Mehtildis gravius infirmari cepit ideo venerabilis Præpoſitus Hartwicus ad eam veniens multis devote adhortavit Sermonibus quos pro hac vice obmittendos duxi, rogavit itaque B. Mehtildem & devotiſſime admonuit ut Deum pro ſe & pro Fratribus & Sororibus interpellare velit & intercedere Cui Deus in ſua ægrimonia ſpeciale præſtitit gaudium & conſolationem quia cum eſſet in extaſi conſtituta apparuit ei B. Virgo Maria Qua ad ſe reverſa receptáque fortitudine hilari vultu dixit Ave Maria gratia plena Dominus tecum Quod cum audiſſent Canonicæ ſuæ arbitrabantur B. Mehtildem Virginis Mariæ imaginem depictam poſtulaſſe quam protinus eidem obtulerunt & ante ejus faciem ſtatuerunt qua viſa ſignum eis dedit hanc imaginem ammovendo in argumentum quod veram Deiperam vidiſſet quibus verò peractis vidit Beatiſſima Mehtildis coram ſe quendam ſenem ſtantem Conradum nomine militem ſenem qui quondam in famulatu ſeu ſervitio Patris Beatiſſimæ Mehtildis fuerat factus autem divina providentia in hoc Cenobio converſus devotus & B. Mehtildis cunctas ſui regiminis cauſas fideliſſime expediverat mundanas, Ipſi regratiebatur ſupplicansque ei ut & ille Monaſterio Ipſi fidelius diligentiusque famulari ſtuderet per hoc finaliter in æterna patria præmium recepturus Nam cum B. M. morti admodum proxima eſſet magnam ſcilicet ad Euchariſtiæ Sacramentum devotionem habuit (ut ſuperius ſatis enunciatum eſt) Ideò à Deo promeruit finaliter & in morte non manibus humanis verum angelicis & inviſibiliter Venerabili Euchariſtiæ Sacramento cibari.

Qualiter Frater præfatus Conradus a Capitis dolore per meritum Beatæ Mehtildis miſericorditer eſt liberatus.

Cum autem Beatiſſima Virgo Mehtildis abs hac vita diſceſſiſſet viámque univerſæ carnis eſſet ingreſſa & ejus funeri multi homines tam ſpirituales quam ſeculares aſſiſterent Converſus quidam nomine Conradus gravi quotidie laborans capitis dolore. Accedens ad Beatiſſimæ Mehtildis funus illiúsque caput cum devotione contingens protinus meritis B. Mehtildis ſoſpitatis beneficium eſt conſequutus qui poſtea quoad vixit Deum omnium bonorum largitorem laudavit qui per meritum B. M. eum curavit ejus quoque capitis dolores profugavit Nam plurimi homines ad illius exequias convenêre. Referens unusquisque proprii ſui Corporis invalitudinem & ægrimoniam quod per piam Mehtildis interceſſionem & meritum curationis & ſanitatis beneficium aſſequuti ſunt qui conſonis vocibus Deum tandem beatámque Mehtildem collaudavere qui eis per meritum B. M. ſoſpitatis beneficium contulit Quo facto magno cum honore & devotione Monaſterio præcelſæ Virginis Mariæ Dyeſſæ in quodam tumulo elevato ante altare Divi Joannis Baptiſtæ ſepulta ubi adhuc miracula ejus florent & vigent.

Quod Beatæ Mehtildis crines contra tempeſtates & Coruſcationes plurimum valent.

Beatiſſima Mehtildis Abbatiſſa Monaſterii Dyeſſenſis pulcherrimos ſemper crines habuit adeo abſconſos quos hominum nullus nunquam in vita cernere quivit in ea,

Qua mortua venêre ambo Conventus Fratrum & Sororum & ei crines abſciderunt pro Reliquiis quoque ſervaverunt Quos cum plurimi homines multifariis infirmitatibus aggravati tetigiſſent à ſuis continuo ægrimoniis ſunt curati Et Præſertim oriente tempeſtate grandi quando illius B. Mehtildis crines de Eccleſia ſub nubibus efferuntur confeſtim conquieſcit tempeſtas ſic hactenus apud nos in noſtro Monaſterio uſu & conſuetudine ſervatum eſt quapropter crines B. Mehtildis in regiones remotas diſtributi & delati ſunt.

Ideo laudemus & honoremus Deum omnipotentem unacum Beatiſſima Mehtilde quatinus poſt hanc vitam tranſitoriam eam valeamus videre cum jucunditate & gaudio in cœleſti patria Amen: Explicit Legenda Beatiſſimæ Virginis Mehtildis & Abbatiſſæ fundatricisque noſtri Collegii in Dyeſſen anno à Chriſti natali M.CC.XXXV. in die Abdon & Sennen duorum Martyrum.

Catalogus

Abbatiſſarum tam Regularium quàm Sæcularium Canonici Parthenonis Edelſtettenſis.

I. Giſela Comitiſſa de Schwabeck & Balzhauſen ante dicta, Fundatrix & Rectrix prima, ſub qua tamen Diſciplina Regularis vix introducta, mox collapſa eſt, teſte Engehardo Monaſterii Lanckenheimenſis in Diœceſi Bambergenſi Ciſtercienſis Ordinis Abbate, in Vita B. Mechtildis, quæ in Bollandiano Tomo Menſis Maji VI. die 31. legitur. Idem teſtatur Anonymus Damaſianus in Vita Ejusdem Abbatiſſæ, à qua mox receſſimus. Specialem tutelarem cum ſuis Canoniſſis elegit S. Auguſtinum,

Qui de Vita Clericorum
Sanctam ſcripſit Regulam
Quam qui amant & ſequuntur
Viam tenent regiam,
Atque Ejus ſancto ductu
Redeunt ad Patriam.

II. B. Mechtildis Comitiſſa ab Andechs ex Dieſſenſi Cœnobio poſtulata, Reſtauratrix Diſciplinæ collapſæ. Introduxit clauſuram, tandem ad gremium ſuum reverſa ſanctiſſimè in Domino obiit.

III. Agnes de Münſter.

IV. Itta de Vaymingen.

V. Sophia Banwölfin.

VI. Agnes Fuchshärtin de Reichenbach apud Poſteros ſolo ſuo nomine clara.

VII. Margarita à Rodt cognomento Nachreyſin, Equeſtris hujus & toga & Sago, Purpurâ ac mitris Illuſtriſſimæ ac per Romanum Imperium celeberrimæ familiæ decus ac ornamentum, imò & portentum; priusquam enim Abbatiæ munus adminiſtrandum ſuſcepit, morbo quodam graviter admodum periclitata, jam animam ab adſtantibus egiſſe & exſpirâſſe dijudicata; dum pro anima ipſius pia Juſta fierent, ſe ſolâ ſibi reſtituta, derepente è feretro (haud ſine maximo circumſtantium pavore ac ſtupore) prodiit, ac poſt annos cæteris præeſſe delecta, demum oriri cælo & terris vivere deſiit Anno 1352.

VIII. Guta de Gerenberg electa anno 1352. plura communi bono geſſiſſe proficua, in tabulis domeſticis ſpecialiter laudatur.

IX. Margarita Swencriſtin Conradi Swencriſt & Catharinæ de Berg filia. Non diu illam præfuiſſe, Bruſchio referente, conſtat, qui tamen, ut aſſolet, miro modo contra Chronologiam peccat.

X. Anna de Weiſſingen Authrix templi hodiedum apud Edelſtettenſes conſpicui, Præcurſori Domini S. Joanni Bapt. nuncupati.

XI. Agnes (Annam Bruſchius vocat) de Rottenſtein, electa anno 1471. decennio præfuit ad plures tranſlata anno 1481.

XII. Agnes de Scheningen electa anno 1481. obitûs dies annusque incerti.

XIII. Chriſtina de Trochtelfingen ob inſignem vitæ Sanctimoniam & Regiminis peritiam præ omnibus una è Principali Collegio Buchaugienſi poſtulata, in pace requievit anno 1490.

XIV. Eliſabetha de Haymhofen, faſces indepta fuit anno 1490. dimiſitque illos mortuis accenſa die 2. Maji anno 1514. Fundatrix & inſtitutrix fuit Confraternitatis SS. Trinitatis hodiedum in Eccleſia Edelſtettenſi celebris.

XV. Bea-

XV. Beatrix de Waldkirch infausto illo tempore præfuit, quo perturbata fuit per totam Germaniam antiqua Religio, ac calamitate Bellorum collisum Imperium. Subditos suos mira discretione suo continuit in officiô, ac avitam Religionem sacrosanctam habuit, & totis 28. annis mirificè suis prœluxit. Extincta est die 23. Junii anno 1542. Non obstante hoc encomio quorundam conjectura est, aut sub illius, aut præcedentis Imperio à Disciplina Regulari ad Sæcularem vivendi normam Canonissas Edelstettenses transiisse, post hæc enim tempora COENOBIUM Edelstettense Parthenia Domus appellari desiit, quod tamen in Schedis antiquioribus est factum, in quibus frequenter COENOBII, & AUGUSTINIANARUM CANONISSARUM ac MONIALIUM occurrit Nomen.

XVI. Regina de Rohrbach domo Bavara, testimonio Bruschii de Monast. Germ. Cent. 1. fol. m. 45. insignis heroina, Corporis & animæ dotibus præstantissima appellatur. Electa est die 14. Junii anno 1542. Condidit, inquit citatus Author, egregiam domum, quam tali à me tetrasticho ornari voluit

Has Regina novas à Rorbach condidit ædes,
Anno quo Paulus Tertius occubuit.
Condidit has pro se laudabilis illa Virago
Proque sequutura posteritate sua.

Obiit Septuagenaria quinto Idus Septembris anno 1575.

XVII. Sibylla de Landenberg, familiæ inter Helveticas Equestres generis præstantiâ, & opum affluentiâ facilè primariæ, electa anno 1575. præfuit annis 33. Mensibus 3. diebus 3. pluribus aggregata Calendas Januarii 1609.

XVIII. Anna de Werdenstein stirpe Suevica inter Nobiles Dynastas Algoios notissima, unius quoque Principis Abbatis Sangallensis Hildebrandi seu Hildeboldi jam anno 1318. ad id muneris pro meritis evecti gloria triumphante progenita, concordibus suffragantium votis die 17. Januarii anno 1609. præsidere delecta, demum desiit fatis urgentibus absorpta die 28. Augusti anno 1629.

XIX. Margarita Anna unius Ejusdemque cum præcedanea Generis Werdensteiniorum proles optima, Restauratrix templi, & Virtutum meritorumque cumulo ornatissima. Præfuit ac profuit annis 52. tumulo illata die 30. Julii anno 1681.

XX. Catharina Francisca ex peravita Suevorum familia (quæ hodiè inter Perillustres S. R. J. Barones insignis obambulat) de Westernach. Floruit insigni Regimine post electionem suam, die 18. Augusti anno 1681. factam, Annis 10. & ultra iter æternitatis ingressa est Idibus Septembris anno 1691.

XXI. Maria Catharina de Westernach & Natalium Splendore, & Virtutum & Rerum Gerendarum peritiâ consimillima præcedaneæ Antistiti. Electa 27. Sept. 1691. ac mox à Germano Fratre Reverendissimo ac Illustrissimo Domino Egolpho Eustachio de Westernach Episcopo Dioclensi, Suffraganeo & Canonico Cathedrali Augustano ritu solenni in Abbatissam ordinata fuit.

EGESESTORPE,

Taliter vernacula lingua nuncupari solitum vetustissimum Canonicorum Regularium Cænobium, Diœcesis Mindensis in partibus Westphaliæ superiori ætate, & ante tempora devastationis hæreticæ Religioso statu suo percelebre satis & inclytum. De Primordiis illius superest Albertus Kranzius in sua Saxoniæ Metropoli lib. 9. cap. 10. vel breviter in hæc verba legendus: *Hujus Episcopi* (Ludgarii seu Lutolphi, qui in Cathedra Mindensi sedit anno 926.) *tempore fundatum est Monasterium in Egesestorpe, & per insequentem Pontificem* (Ebergisum) *sub honore Divæ Virginis ad regulam B. Augustini est consecratum.*

EICHENSE,

Seu ab aliis etiam *Eickense* dictum vetustissimum Ordinis Canonico-Augustiniani domicilium, primum quidem fœmininum, subinde verò labentibus annis ad sexum potiorem translatum, istud tamen hodie nobis ex solo & unico Constantino Ghinio notum: qui idem Author in suis Natalibus SS. Canonicorum Parthenii Collegii hujus mentionem faciens, die 12. Octobris ita habet: *In Eichensi Cœnobio in Diœcesi Leodiensi Natalis Sanctæ Herlindis Virginis, Sororis Sanctæ Relindis, quæ Sorores in Monasterio Valenceno optimè educatæ, Monasterio Eichensi, quod eis Parentes ædificarunt, præfuerunt; quarum curam Sancti Episcopi Wilibrordus* (unus ex duodecim Viris illis Apostolicis, qui anno circiter supra sexcentesimum nonagesimo Frisones, Hollandos, & reliquos Germaniæ inferioris populos ad

fidem Catholicam perduxerunt, & succincta vitæ ipsius Historia habetur apud eundem Ghinium citatum die 7. Novembris) *& Bonifacius habentes quàm plurimas filias Christo pepererunt; erant enim fide recta instructæ, charitate repletæ; fraternitatis amantes, humilitate decoræ, religione laudabiles, largitate eleemosynarum hilares: cum aliquando idem S. Wilibrordus cum aliis advenisset, nec nisi parum vini haberent, oratione abundanter excrevit. Post laudabilem actam vitam ibidem primo sepultæ, inde in oppidum Maesethe translatæ sunt cum Canonicorum Collegio, qui Canonissis successerunt. Hodie S. Herlindis dies festus est, Sanctæ Relindis vero sexto Februarii. Floruerunt circa annum* 730. Plura circa hoc Monasterium Eichense, ejusque pias fundationes legi possunt apud Bollandum in Actis SS. Tom. III. Martii, die 22. ubi de S. Herlinde.

EISENSTADIUM,

Regia ac Libera civitate in extremis Austriacorum finibus Hungariæ contermina (cujus aliquando succinctam descriptionem affert Martinus Zeilerus in sua Topographia Austriæ cap. 29. fol. 175.) Regularium Canonissarum Collegium habet, idem novo fervore suo siquod aliud omnino florentissimum; fundavit autem istud & sub annum 1678. S. Josepho Patriarchæ intemeratæ Virginis Deiparæ Sponso dedicari fecit Celsissimus Princeps ac Dominus Dominus Paulus Esterhasius de Galanta S. R. I. Princeps, ac Supremus Regni Hungariæ Palatinus &c. qui cum Illustrissima Conthorali sua Ursula Comitissa Teckeliana singulari affectu in sacrum Ordinem Canonico Augustinianum oppidò pronus Parthenonem hunc Eisenstadiensem multis gratiis ac largitionibus dotavit, eidémque cum Religiosa potestate Abbatissæ, seu (uti vocant) Præpositæ antestare voluit Reverendissimam ac Illustrissimam Dominam Annam Renatam Comitissam de Mollart, Canonissarum Regularium ad S. Laurentium Viennæ in Austria tum temporis Decanissam: quæ totis quindecim annis hujuscemodi munere ibidem laudatissimè perfuncta, ut & prius (loci Antistita gravi seniô interim præpedita) Parthenii domicilii sui Laurentiani Administratrix fuit inclyta; subinde verò in Religioso proprii Regiminis fastigio posita, stupendo prorsus vitæ Sanctioris exemplo supereminens, ex congenita quasi animi modestia suis potius ministrare videbatur, quàm ipsa in vita & conversatione sua ministrari. Atque istud novum Viridarium Josepho-Augustinianum nobilissima omnigenarum virtutum frequentia suavissimè redolens, multifariam exornant illudque Deo & hominibus undequaque gratissimum & acceptabile reddunt Religiosissimæ plantulæ, eidem insertæ, etiamnum numero plures, omnes & singulæ Natalium splendore conspicuæ.

Augustissimus terræ Princeps Leopoldus I. Romanorum Imperatôr Hungariæ & Bohemiæ Rex &c. cum Augustissima itidem Conthorali sua Eleonora Magdalena Theresia quandoque unam ex Regularibus hujuscemodi Canonissis pro sacra inductione ad hunc almum Parthenium Cœtum Canonico-Augustinianum in propriâ personâ comitatus, toti huic Parthenoni Eisenstadiensi non solùm clementissimè favores uberrimos obtulit, sed & ad suavissimam corporis & animi relaxationem pro tunc per plures dies isthic loci fuit commoratus; cæterùm pientissimæ Domicellæ istæ sub arctissimâ disciplinæ claustralis observantiâ continuò persistentes, magnâ animi constantia Ordinem suum sanctissimè custodiunt. Preces horarias & matutinas quidem de media nocte, reliquas verò secundùm Ordinem Romanum statutis per diem horis, & intervallis sedulâ vocis applicatione devotissimè psallentes exsolvunt. Innocentius Papa XI. Ecclesiam hanc Eisenstadiensem ad instantiam Sanctimonialium inhabitantium Sanctitati suæ demisissimè supplicantium, multis gratiis & indulgentiis ad certas anni festivitates de more lucrandis clementissimè dotavit; unde frequens admodum & copiosus jugiter est ad illam populi concursus maximè diebus festis & Dominicis; quibus habentur Conciones Ordinariæ, & sub officio divino musica, uti vocant, figuralis resonat hic suavissima, imò & paulô minùs à cœlesti minorata; quod idem fit etiam ad Lytanias Lauretanas singulis diebus Sabbathinis juxtà morem consuetum decantari solitas, Augustissimo SS. Altaris Sacramento sub iisdem Lytaniis de speciali licentia Ordinarii publicæ venerationi exposito. Supremum Numen (cujus divinissimam Benedictionem cœlitus impertitam isthic loci in dies magis & magis quasi manifeste deprehenditur) sanè singulariter complacere sibi videtur in pientissimo isto Parthenone Eisenstadiensi; cujus speciale quoddam paradigma passim novissime primùm innotuit; dum nempe sub annum 1683. quidam vicinæ civitatis Rustensis in Hungariâ Inquilinus anxius admodùm advolavit, sedulò inquirens de formâ Religiosi habitûs Canonissis Eisenstadiensibus communiter usitati, reus quippe ipse voti, quod cum Uxore sua Domino Deo litavit, eodem nimirùm Religionis Augustinianæ habitu vestiendi charissimam, quam domi habebat, filiolam ætate sua bimulam, à die Nativitatis toto octodecim mensium curriculo gravissimâ corporis infirmitate detentam, si fortè Deus avertendo hujuscemodi malo dilectam sobolem antedictam

vel

vel vinculis carnis exſolveret, vel omnimodam infirmanti ſanitatem impertiret, & ſi ſic ipſe infantem ſuam clementiſſimè liberatam, ſeu reſtitutam memoratâ veſte Religioſâ velit amicire; qua in petitione ipſe Pater feliciter exauditus, mox ea, quæ vovit omninò gratus & hilaris reddidit. Et ſic ferè ad me per proprias de dato Eiſenſtadii anno 1689. die 22. Decemb. Plurimùm Reverendus Nobilis ac Clariſſimus Dominus Joannes Euſebius Kendlmayr modernus celeberrimi Collegii Voravienſis in Styriâ Decanus, SS. Theologiæ Licentiatus pro tempore ſæpèfati Parthenonis Eiſenſtadienſis in Spiritualibus Rector & Confeſſarius; qui idem ipſe poſt octennem hujuſcemodi ſui muneris adminiſtrationem demùm ad propria reverſus, è ſua Voravienſi Canoniâ antedicta ſub annum 1693. die 11. Aprilis de ultimiore ſtatu Eiſenſtadienſi iteratò ad me reſcripſit ſequentia: Interea temporis Reverendiſſima ac Illuſtriſſima Domina Præpoſita Anna Renata de Mollart die 4. Martii anni currentis apoplexiâ tacta, Sacramentis tamen omnibus præmunita, ætatis ſuæ anno 61. piè in Domino requievit, quæ eadem ipſa ſub laudatiſſimo Regimine ſuo Parthenium Cœtum, ſibi in animam commiſſum, nunquam non plusquàm ſolerter inſtruxit, & taliter per omnia feliciter inſtauratum poſt ſe reliquit. Sequenti die Martii decima nona ipſo feſto S. Joſephi Eminentiſſimus Princeps Kolonitſch versùs Eiſenſtadium deſcendens, ſtatutæ Electioni Neo-Præpoſitæ ipſemet præſens interfuit, & ſic electa fuit Illuſtriſſima ac Reverendiſſima Domina Chriſtina Joſepha nata Comitiſſa Eſterhaſia, jam ſuprà laudata, quæ cùm jam priùs Decaniſſa fuerit, ejus loco in eodem Decanatus Officio digno ſucceſſit Illuſtriſſima ac Venerabilis Domina Maria Magdalena Baroniſſa Andraſchim &c.

ELTREBURGUM.

Jam pridem antiquatum Canonici Ordinis Illuſtriſſimum Collegium, atque iſtud jam anno 990. liberaliſſimè conditum; cui pro tunc recens fundando pius Author fuit potentiſſimus in terris ſuis Regulus Wilmannus Cliviæ Comes, dominio ac facultatibus ſuis omnino ditiſſimus; à quo & Luitgardis ejuſdem filia in primam loci Antiſtitam fuit inſtituta, & quidem cum frequentiſſimo Religioſarum Veſtalium choro iſthic loci coadunato. Vertentibus annis Parthenium Cœnobium iſtud tranſivit in Collegium Canonicorum Sæcularium; de quo tamen utpote jam pridem invidente hæreſi meriſſimè ſubverſo, & ad uſus illicitos attracto, procul exulat omnis Religio Orthodoxa, ſeu Romano-Catholica.

EMBRACENSE,

Taliter ſuo nomine dictum, primùm quidem Auguſtinianorum ſeu Regularium, ſubinde verò Sæcularium Canonicorum Collegium apud Helvetios in Turgovia, ſub Diœceſano limite Conſtantienſi, territoriali verò juriſdictione Tigurina, Superioribus ſæculis anno non notato fundatum, cœpit occaſione pientiſſimi cujuſdam Eremicolæ ejuſdem Tigurinæ Regionis Inquilini: qui circa annum ſecularem Chriſti milleſimum à populo terræ magni habitus ab alio (cui tamen annis pluribus convixit) quodam Confratre ſuo homine ambitioſo, livido, & doloſo (inſtigante Dæmone) perfidè trucidatus occubuit; qui & ſubinde ceu jam glorioſus Chriſti Martyr reverenter illatus fuit modico cuidam (quod ab iiſdem duobus Eremicolis quandoque viſitari ſolitum penè conjunctum ſtetit) ſacello; ad quod annis labentibus idem ipſe Martyr antedictus pluribus cœpit coruſcare miraculis, ſed & fama illius per univerſam terram illam plurimum inclaruit, novum aliquod Canonicarum Regularium, authore nondum nobis revelato, Monaſterium fuit additum; cujus tamen Religioſi Inquilini cum tempore demigrarunt in Clericos Sæculares; idque factum eſt plurimùm ſatagente Reinhardo quodam Comite Kyburgico, id ævi Cathedralis Eccleſiæ Argentoratenſis Canonico & Archi-Diacono, eodemque primo novæ Collegiatæ hujus Embracenſis Præpoſito, cum duodecim Sæcularibus Canonicis iſthic loci legaliter inſtitutis; de qua Religioſi ſtatùs immutatione taliter (ut audivimus) in antedicta Embracenſi Eccleſia iſtâ utcunque demùm applacitâ, pluribus agit Joannes Stumpfius, etſi damnati nominis Scriptor heterodoxus in ſuo Helvetiæ Chronico lib. 12. cap. 35. fol. 450. & ſeqq. ubi & alii quoque plures ſuccedentes enumerantur Embracenſes Præpoſiti usque ad annum 1525. (quo tempore avita Religio Orthodoxa in partibus iſtis miſerrimè fuit debellata, imò & fataliter extincta) in officio & dignitate ſuâ præclari ſincerè teſtificante R. P. Henrico Murero Carthuſiano in Helvetia Sancta fol. 161.

ENGELTHALENSE.

Seu *vallis Angelorum*, taliter ab antiquo nuncupari ſolitum, Diœceſis Eüſtettenſis, forenſis verò ditionis Norinbergenſis jam pridem antiquatum Religionis Canonico-Augusti-

gustinianæ Venerabile Parthenæum, tempore, & Authore haud amplius inquirendo, fundatum; idem tamen postmodum perdurante sæculo decimo sexto ab heterodoxis malè vicinis hostiliter expilatum, ac Religiosis Domicellis claustrali mansione suâ contumeliosè deturbatis simul, ac tristi exilio mulctatis, fuit omnino suppressum, & fataliter extinctum; cujus appertinentes quondam census & reditus usque modò in propriam damnationem suam devorant alieni, utpotè S. P. Q. Norinbergensis nefandi sacrilegii hujus unicè rei.

ERFORDIENSE.

Seu in ipsa amplissima Thuringiæ Metropoli Erfordia sub plena potestate Eminentissimi Principis Electoris & Archi-Episcopi Moguntini comprehensa, secundùm claustrales muros suos etiamnum ætate nostra jucundè contuendum, quod tamen mox à tempore Lutheranismi per scelestos novi dogmatis hujus sectatores, sub decursum Sæculi decimi sexti Erfordiæ stabiliti, in usus profanos violenter fuit abreptum, Religiosis Inquilinis indè miserrimè deturbatis. Rudolphus II. Romanorum Imperator Hungariæ & Boëmiæ Rex, Archi-Dux Austriæ &c. Erfordiense Monasterium istud, communiter S. Augustini nuncupatum, genuinis possessoribus suis, ut putà Canonicis Regularibus in integrum restitui severissimè quidem mandavit, at inani solùm effectu, prævalente nimirum seu plusquàm fortiter obsistente vesana Lutheranorum invidia; quaprópter superiori ætate videlicet anno 1620. loci Dominus Joannes Suicardus à Cronburg Moguntinæ Sedis Supremus Hierarcha & Metropolita inclytus totum claustrum istud de posthac pleno jure possidendum tradidit RR. PP. Jesuitis, qui quidem hujuscemodi juribus ac censibus Augustinianis hodiedùm securè gaudent, ipsum tamen fundi hujus Erfordiense claustrum & reliquum omne ejus ædificium cum annexo templo nondùm in realem possessionem acceperunt, utpote civibus Acatholicis usque modò pertinacissimè reluctantibus. Cæterum primus Cœnobii hujus Author & fundator in diebus suis fuit Adalbertus è Duce Lotharingiæ Elector & Archi-Episcopus Moguntinus anno 1137. die 24. Julii terris demortuus, & ipsum hoc sæpesatum Regularium Canonicorum Asceterium antiquioribus sæculis inclytæ Congregationi Hallensi secundùm communem claustralium statutorum observantiam fuisse conjunctum, (uti loquimur) incorporatum constat ex dicendis infrà V. *Hallense.*

In Chronico Erfordiensis Civitatis hocce Collegium appellatur: *Valva S. Augustini.* Fundatum fuisse dicitur Anno 1135. Anno 1238. in Ecclesia hac Cann Regg. Ordines contulit Episcopus Havelbergensis. Anno 1291. totum Cœnobium incendio periit, & licèt denuo fuerit restauratum, flammis tamen denuo absumptum est anno 1363. Vid. Tom.II. Script. Rerum: Germ. Menckenii Col. 561. & seqq.

ERFORDIENSE.

Aliud tale seu Augustianiani itidem Ordinis Canonici alterius tamen Sexûs percelebre Collegium, atque istud Sanctissimæ Cruci Dominicæ dicatum, hodiedum insigniter efflorescit. Instituit hoc sub annum 1198. Othonis Ducis Bavariæ Germanus frater Conradus de Wittelspach S. R. E. Cardinalis Sabinensis Archi-Episcopus Moguntinus; idem etiam postmodum (testante Francisco Dückher in Chron. Salisburg. fol. 126. & 1130.) ad Metropolitanam Sedem Salisburgensem translatus, cujus plurima laus est in Annal. Eccles. apud Baronium Tom. 12. ad annum 1160. & seqq. Currente sæculo proximè sequenti cùm anno 1239. casuale incendium mediam ferè Civitatis Erfordiæ partem miserrimè deperiisset, Religiosam etiam Sanctimonialium istarum mansionem vorax flamma totaliter absumpsit, & in miserrimos cineres redegit; quam tamen post longævam 50. circiter annorum devastationem, utcunque tandem exantlatam, è busto suo denuò felicissimè resuscitavit Henricus hujus nominis secundus Archi-Episcopus & Elector Moguntinus. quod factum est anno gratiæ 1288.

Syllabus

Antistitarum, quæ novissimis temporibus nostris suo ordine successivè præsederunt (reliquis prioribus jam pridem oblivione deletis) sequens ad me fuit transmissus.

Catharina Cornin. obiit anno 1614.
Dorothea Baumhartin, obiit anno 1617.
Anna Göltin. obiit anno 1622.
Juliana Catharina de Sternbach. obiit anno 1637.

Sophia

Sophia Van der Wal. obiit anno 1653.
Juliana Wachterin. obiit anno 1659.
Elisabetha Zieglerin. obiit anno 1680.

Maria Regina Pressierin, gente Austriaca ac nobili Majorum stemmate prognata; cujus sub laudatissimo regimine Religiosum Parthenæum istud alit hodie Domicellas triginta plùs minùs, atque omnes istas in strictissima vitæ Regularis observantia (ipsis etiam civibus Erfordianis Acatholicis plurimùm inde collaudantibus, ac mirantibus, rarò Religiosissimæ pietatis exemplò mirificè prælucentes; qualiter novissimè me per litteras edocuit Achates fidelissimus ac Patronus colendissimus, observandissimus modernus Ordinis Eremitarum Prior Erfordiensis plurimùm Reverendus Religiosissimus ac Clarissimus Dominus P. Nicolaus Gall SS. Theologiæ Doctor & Professor. &c. &c.

ESCHENBACHIUM.

Apud Helvetios in Ergoviâ Diœcesis Constantiensis, sub forensi ditione Reipublicæ, seu Cantonis (uti vocant) Lucernensis comprehensum, primùm Ordinis Canonico-Augustiniani, tum verò Formulæ Cisterciensis Parthenium Cœnobium S. Catharinæ Virgini & Martyri dicatum, primum cœpit anno 1294. fundatum à Perillustribus Dominis ab Eschenbach Baronibus; de qua eadem avita familia, quia unus videlicet Waltherus ab Eschenbach suo nomine dictus, ob Albertum I. Romanorum Imperatorem ab ipso & aliis facinorosis Commilitonibus perfidè trucidatum, dum tantum scelus meritissimè luit, etiam Claustri hùjus Eschenbacensis tota fundatio miserrimè defecit Religioso nimirum Claustro suo ultricibus flammis in totum devastato; unde Cœnobium istud in cineribus suis sat diu pessimè delituit, quousque demùm loci Monialibus pio popularium subsidio è sexenni exilio retractis primævo decori suo pro posse fuit restitutum; cui novæ seu secundæ hujuscemodi fundationi devotè subscripserunt seu potissimi Benefactores ei fuerunt Rudolphus Baro Aarburgensis, tum Nobiles ab Yberg & plures alii, quorum nomina perennant inscripta Libro vitæ.

Anno 1429. idem Cœnobium pluribus infaustis casibus jam à multo tempore miserabiliter exercitatum, à Spectatissimis Magistratus seu Reipublicæ Lucernensis Primoribus magno Religionis Canonico-Augustinianæ Zelo in id adductis, à queisvis difficultatibus & miseriis utcunque demùm exantlatis liberatum & exoneratum, etiam priori stationis suæ loco motum, ad Rusam amnem viciniorem fuit transportatum, in quo ipso fundo Religiosum domicilium istud de posthac in omnimodo vigore suo constantissimè perduravit usque ad annum gratiæ 1490. quo decurrente dum casuale incendium omnem Claustralem Eschenbachii habitationem miserrimè diruit, etiam Religiosus status pro hìc & nunc omninò desiit, nimirum Vestalibus Canonico-Augustinianis vel hinc inde dilapsis, vel fataliter emortuis, demùm locus cessit Partheniis Alumnis Institutum Cisterciense Professis.

EVERHARDOCLUSANUM.

Hodie longè celeberrimum Canonicorum Regularium de Venerabili Congregatione Windesimensi in partibus Mosellanis sub districtu Archi Diœcesis Trevirensis Monasterium, cujus uberiorem genuinæ Originis historiam occasione Miraculosæ cujusdam statuæ in cunctos oppidò beneficæ hìc damus ex Atlante Mariano R. P. Guilielmi Gumpenberger Soc. Jes. Triade I. Imag. 69. fol. 169. desumptam, prout sequitur: *Posuit hanc* (columnam) *in Trivio, è quo Treviros, Coloniam, & Moguntiam Urbes præcipuas iter est, Everhardus quispiam è pago Esch Rusticus homo, quem tamen virtutes plusquàm civiles nobilitarunt pietas sincera, simplex, & quod caput est, in casto cœlibatu vita laboriosa Deiparæ fecere acceptum. Nec mirum, nam & ipsi quoque Deipara in corde semper & ore fuit. Ipse cùm ad opus in agrum procederet Basilicam suam columnâ non ampliùs unâ structam invisit, preces fundit, quandoque etiam accensâ candelâ festiviùs Patronam suam veneratur. Nec destitit usque dum & exemplo suo & hortatione vicinos quoque hac in Virginem pietate faceret æmulos. Non diu tulit Virgo suos Salutatores, quin quandoque ea, quæ humanas artes superant, petentibus per miraculum annueret. Hinc tantus populi fuit accursus, ut quandoque templorum frequentiam vel æquaret, vel etiam superaret. Magna apud omnes Everhardi fama, quæ tamen in aquam inter cachinnos tota evolavit, quamprimùm somnia sua prodaxit, quibus à gravi Matrona jussus est columnam sacello tegere. Et fortè* (etsi ter è cœlo monitus) *plebiscitum secutus, opus vel nunquam posito lapide inchoâsset, vel inchoatum destitisset, nisi loci Parochus hominem animâsset: quas ipse Pastoris sui voces acuì sentiebat iteratis identidem per somnum & penè inculcatis monitis. Itaque decenti in loco nec multùm ab Architecturæ legibus aberrans fossam coloni potiùs quàm Architecti ritu ducit, eámque primo lapide honorat*

norat in sacræ fabricæ fundamentum, & huic secundam, tertiamque superimponit hactenus nulli Regum supplex pecuniarum ergo, idque solùm memoravit, sibique identidem occinens, siquidem, ut credo, Dei voluntas est, ut hæc à me templi fabrica perficiatur, submittet ipse in tempora ea, quibus opus est. Mos namque Dei est darè quod jubet, Everharde, inquiebat, ne metue, Virgo est, quæ imperavit, faciat ipsa, ut facias, quod jussit. Dictum, factum, nunc hic nunc illic alius atque alius pecunias, vecturas, calcem, materiam lateritiam ita in tempore ad fabricam contulit, ut nulla non dies materiam laboranti non præberet, nulla tamen etiam die sciret, quisnam in sequentem diem necessaria esset allaturus. Ita fabrica denique non invenusti sacelli stetit; ad quod undique accurrere populi spectatum miracula, quæ raritate & multitudine sua Everhardi curas fecere celebriores. Legitima fama est, jam tum claudis, surdis, mutis, & leprosis remedium hic inventum, dæmone quoque sive per maleficia sive gravius afflictos, præter non paucos furiosos & maniacos divinâ virtute ad se rediisse testantur interpretativa & gloriosa anathemata, viles grallæ, & infamia vincula, quæ peristromatum loco parietes templi hodieque tegunt, quamdiu lucri nullius spes affulsit, nemo fuit, qui pii hominis laboriosam, & nemini incommodam fabricam non laudaret; at ubi sacellum auro flavescere cœpit, hic enim verò nihil non pessimè actum erat ab Everhardo. Quis fundum dedit? quis veniam struendæ fabricæ & quidem sacræ? dum litigatur, dum causa trahitur, statua quidem sacra in templum Piesportense deportatur non sine spe auri, quod statuam comitari soleat. Everhardus verò, velut omnium scelerum reus, in carceres & vincula compingitur. Ita ludit quoque in orbe terrarum cum filiis suis Mater non alio ritu, quàm filius solet.

Res diu multùmque à Rhadamanto plusquàm accuratè examinata est; nihil tamen fingi potuit in Everhardo plecti dignum; ita litem contra Superos licèt contestatam deseruit hic Judex, & Everhardum libertati, quam nunquam merito suo amiserat, restituit, facto beneficio, latronum more, superbus. Interea Everhardus jam non somniis, sed cœlestibus sine fraude indiciis, & quidem repetitis identidem monetur, jubeturque è Sacello facere templum. Hæc amici (quis enim similia concredat inimicis?) risu excepere tantùm non Tobiam occinentes, qui & ipse à fossione, amicorum rogatu, desistere noluerat: ob quam paulò antè conjectus in carcerem penè vitam amiserat. Parochus Eschensis unus, unicusque fuit, qui hominem solatus, fecit, ut jussis divinis obtemperaret. Ipse Everhardus animum nullo quidem evidenti indicio securum, majorem tamen sibi fecit, illud sibi nunquam non ingerens: Si Dei voluntas est, ut per me è Sacello templum fiat, dabit necessaria, pro templo, uti dedit pro Sacello: Dat enim quod jubet. Vide, Lector, tardam quidem in auxilia Deiparam, sed in tempore oportuno nunquam suos deserentem. Vix Everhardus statuerat parere imperanti Deo; cùm ecce! mutatis repentè omnium animis, nullo rogante, operam suam offerunt artifices & operarii, pretium laboris expectaturi, quamdiu vellet: ipsumque fabricæ pretium efferunt summi, infimique, certantque cum civibus coloni, & ut fuerit non exigua laborantium & pecunias comportantium multitudo; ea tamen magnis modis aucta est miraculô, quod ob raritatem & gratiam plurimum apud omnes valuit. Æstuabat cælum, & operarios ad querelas cum sudore cogebat, non sine minis cessaturos se ad unum omnes, nisi vinum Everhardus afferret, in multorum grandem sitim suffecturum, quæ lagenam paulò antè apportatam jam exsiccasset. Everhardus querulos, quantumvis ultrà pactam mercedem postularent, bono animo esse jussit. Itaque lagenam vacuam ad pedes Deiparæ abjicit; ipse in genua prostratus, omnibus inspectantibus, orationem expansis in crucis formam brachiis orditur, & post breves preces lagenam, optimo impletam vino, quod Virgo misisset, operariis porrigit, quo querulæ asperitatem linguæ rigent. Neque hujus miraculi asserendi aptiores testes fuére, quàm qui jurare poterant, & totam se priùs vacuâsse vinô legenam, & neminem fuisse, qui secundo par bibisset. Dulce præ cæteris portentum ad majora speranda populo gradum fecit. Lubet afferre verba, quibus ipse Everhardus à Virgine petiit, & obtinuit, quibus quandoque opus erat, Ea roganti amico sic adnumeravit. Ego, inquit amice, quando deficiunt me necessaria, ad Virginem Mariam videlicet, Matrem Dei, Dominam meam & Cœli Reginam, flecto genua ad ejus clementiam & dico: O Domina mea! tu imperâsti ædificare hanc domum, ac nisi succurreris mihi, dederisque unde vivere & supplere possim, ut jussisti, cogor, & necesse habeo, cessare ab eo, quod, te jubente, incæpi. Hisce precibûs ad Virginem confidenter effusis statim cùm ad solita revertor, dat area mea panem, cella vinum, fovea arenam, mundusque Operarios, qui gràtis mihi ministrent, & certatim Dominæ suæ servire contendant. Hæc ille. Sed ut ad historiam redeamus, quam illi à me nimis fusè narrari non querentur, qui Deiparæ negotia tractant, non ignari, se in Everhardo describi. Jam rerum Dominus Everhardus superatis cum carcere contumeliis omnem discusserat nubem adversæ fortunæ: cùm ecce! Parochus Piesportensis Joannes Oronius Berncastellanus post liberatum carcere Everhardum, & statuam cum spe messis ablatam, nova bella molitur, apud Vicarium primò, deinde Capitulum Trevirense, denique ipsum Episcopum Brixinensem, Cardinalem Cusanum, qui tunc cum potestate Nuncii Apostolici Rheno præfuerat. Is quia vera credidit, quæ Parochus confinxerat, vetuit Everhardo ulteriùs in fabricâ progredi intentato Anathematis fulmine. Everhardus hæc Virgini questus, à Cardinale veniam prostratus petit finiendi operis: sed coloni Oratione rationes Parochi fuére valentiores. Interea Cardinalis lethali morbô correptus, mali causâ cognitâ

omnem

omnem Everbardo restituit potestatem & auxilium quoque, si convalesceret, promisit, convaluit ille quidem, sed alio iterum morbo in lectum abjectus non ita multò pòst, dum Romam repeteret, obiit.

Parochus quoque oculos aperuit, quos illi hactenùs spes auri clauserat. Matrona, quam sacris Ecclesiæ ad ultimum certamen muniverat, asseveravit, se victuram, si ipse in templo nondum finito sacrificaret, & discedentem obtestata est mulier. Ita coactus in Altari (uti vocant) portatili SS. Missæ Sacrificium peregit Deum precatus bis verbis (juvat ipsa, ut sunt, afferre) *Optime Deus si in tuo æterno Decreto statutum est, Sanctissimam Matrem tuam boc loco bonorari, ostende id mibi bodierno die indigno famulo tuo manifesto indició, & mox redde sanitatem per merita Sanctissimæ Matris tuæ ægrotanti matronæ, pro qua missam dico, ut ex boc aliud & ego sentiam de boc loco, & meos etiam Parochianos aliter de tota re instruam. Dictum, factum, nam perfecto Sacrificio mox ad Matronam reversus, sanam & valentem invenit. Itaque ipse primus Miraculi præco culpam suam cum lacrymis deprecatus est. Templum denique omni ex parte finitum Archi-Episcopus Trevirensis contra morem suum ipse anno* 1440. *dedicavit, tanto bominum concursu, ut aliundè à circumvicinis locis annona fuerit advebenda. Everbardus undecim annis iniquissimis Adversariorum conatibûs laceratus, & fractus, annum non ampliùs unum supervixit. Atque ut Orbi quoque constaret labores cœlo placuisse, Divini destinatione consilii Octavà Septembris nascentis Virginis festo, mundo, cui dudum jam mortuus fuerat, valedixit, cœlóque natus & illatus est anno* 1451. Et sic ille loco citato, ubi quamvis de Monasterio aliquo Everhardico templo seu Basilicæ posteris annis adstructo nullam omnino faciat mentionem, sciendum tamen est hoc ipsum esse illud, de quo Myræus de Canonicis Regularibus cap. 95. fol. 196. præmissâ histor-â fundationis seu primæ Originis ad finem ita scribit: *Hanc Basilicam Reverendissimus Dominus Jacobus de Sirgk centesimus Archi-Episcopus Trevirensis præsentibus pluribus Prælatis in die Annuntiationis B. V. Mariæ anno Domini* 1449. *solemniter dedicavit. Everbardo autem anno* 1451. *in pace quiescente consentientibus & id desiderantibus Dominis fundi, inprimis verò Godefrido de Escb Ordo Canonicorum Regularium S. Augustini introductus est anno Domini* 1456. *Hi novum Chorum ædificarunt & anno Domini* 1474. *dedicari fecerunt. Structuras etiam utriusque ambitus & multorum ædificiorum erexerunt, & Basilicam majorem, quæ bodie visitur, antiquo dejecto ac destructo ad summum compleverunt, cujus Dedicatio facta est anno Domini* 1502. In quorum omnium fidem & testimonium apertissimè faciunt, qui hodiedum passim circumferuntur Hexametri versus sequentes.

Si quæris, Clausam quisnam construxerit istam?
Accipe quæ paucis referam tibi candide Lector!
Vir simplex Everbardus erat, quem rustica Mater
Edidit, & Divam docuit laudare Mariam,
Huic genitale solum fuit Escb sic nomine dictum
Exiguus pagus, sed non ignobilis ipse est,
Quem pia simplicitas præsenti reddidit ævo.
Laudatum, & cunctis rarâ pietate sequendum.
Huic labor omnis erat campestres vomere terras
Scindere, & bumanum manibus conquirere victum.
Interea in Divam Genitricem flagrat amore
Unde dolorosam Treviris sibi Virginis almæ
Comparat effigiem, pretioque & scbemate parvam
Hanc trunco impositam crebris veneratur in agro
Obsequiis: Divam votis precibusque fatigat,
Unde Deo grata est Everbardus victima factus.
Inde ter in somnis monitus parvam extruxerat ædem,
Magnificam fabricam venturâ ætate futuram,
Hanc dictâ effigie, prout ipse volebat, adornat,
O mirum! Cbristi Mariæque superna potestas
Multa per banc statuam subitò miracula patrat,
Mox in confines rumor adspergitur oras,
Concurrunt populi, statuamque locumque frequentant.
Cælorum Dominam parvâ venerantur in æde,
Muneribusque locum replent, quis talia vidit?
Stat meditabundus simplex Everbardus, & imo
Pectore majorem pertractat ponere molem,
Structura erigitur, casa vilis surgit in altum,
Virgo favorizans cœlesti munere sumptus
Providet, ac passim magnalia sacra patescunt,
Hinc terræ Domini festinant esse Patroni,

Magnates, Populique Duces, Comitesque potentes
Auxilium præbent, Everhardus sedulus instat
Intendensque operi crebras ad Sydera palmas
Tendit, & auxilium cœlestis adesse Puellæ
Postulat, illa juvat, cumulant oblata fideles,
Ex his oblatis Domus est hæc condita tota,
In qua Augustini Superis nunc militat Ordo
Canonicus niveâ gaudens candentéque veste,
Quam qui ferre volunt casti meminisse pudoris,
Munditiemque animi pariter servare, Deóque
Divæque intentâ famulari mente tenentur
Noctes atque dies, donec mens carne soluta
Albatas inter mereatur ovare phalanges.

Syllabus Antistitum

Sacræ Domûs Everhardæ - Clusanæ.

I. Hermannus de Ruden postulatus ex Insula (quæ est infrà Confluentiam in Rheno itidem Canonicorum Regularium Cœnobium) anno 1456. in die S. Catharinæ Virginis, & ab Ordinario Joanne ex Marchionibus Badensibus Archi-Episcopo & Electore Trevirensi, confirmatus præfuit annis 18. & dum Cœnobium suum Congregationi Windesheimensi consociari seu incorporari fecit anno 1474. diem suum obiit sepultus Treviris apud S. Agnetem in claustro monialium sui Ordinis, quarum ipse in Spiritualibus Rectorem & Commissarium egit.

II. Adamus de Petrâ itidem ex Insulâ Rhenana postulatus ubi priùs in temporalibus Oeconomum seu Procuratorem egit, uno solùm anno præsedit, & è vivis abiit anno 1457.

III. Bertholdus de Monte Martis *Vir Sanctus* in tabulis appellari meritus in regimine provixit usque ad annum 1475.

IV. Joannes Endovianus, natione Brabantinus post 16. annorum regimen sat multa laude completum ordinatur in Episcopum Azotensem & Suffraganeum Trevirensem; anno 1509. obiit.

V. Gerardus de Lippia electus anno 1509. post dignitatem Suffraganeatus, sæpiùs quidem oblatam, semper tamen constantissimè repudiatam, è vivis excessit anno 1525.

VI. Mathias I. Nobilis de Kremps, electus anno 1525. morte naturali decessit anno 1543.

VII. Nicolaus de Zellis, electus anno 1543. doctrina & humanitate singulari præcipuus Religiosos fasces cum plenitudine potestatis per omnia summè laudatus tenuit usque ad annum 1556.

XIII. Franciscus Nobilis à Pundenick, nec uno quidem anno honoratus antestitit, brevì mortuis accensus anno 1557.

IX. Petrus I. Ediger, electus anno 1557. præstitit usque ad annum 1581.

X. Petrus II. Wittlichius cognomine dictus, electus anno 1581. biennio solùm inclaruit, & ad plures abiit anno 1583.

XI. Petrus III. Wintrick cognominatus, electus anno 1583. provixit usque ad annum Sæculi proximè sequentis sextum seu Christi 1606.

XII. Petrus IV. Nobilis de Presport electus anno 1606. terris devixit anno 1615.

XIII. Joannes Flemingh, electus anno 1615. diem suum obiit anno 1632.

XIV. Arnoldus Hirschfeld Prioratum Monasterii Dalheimensis jam suprà nominati, simul & Everhardo-Clusani dignè gessit usque in annum 1638.

XV. Simon Filzer electus anno 1638. inclaruit usque ad annum 1645.

XVI. Mathias II. Schue cognominatus, electus anno 1645. vitâ ac Prælaturæ suæ munere decessit, mortis temporalis victima factus anno 1673.

XVII. Mathias III. Wagener, electus anno 1673. post spontaneam resignationem suam anno 1681. factam ampliùs privatus vixit.

XVIII. Joannes Henbs.

EWICHENSE.

Seu, *Monasterium S. Salvatoris in Ewich* taliter proprio nomine suo nuncupari solitum de Congregatione Windesimensi propè civitatem Attendorn intra limites Archi-Diœcesis Coloniensis, hactenus inter prospera & adversa sacro Ordini suo felicissimè servatum. Condidit autem istud anno 1413. Venerabilis in Christo Pater ac Dominus Joannes Schwaldi

Schwaldi secundus prior Monasterii Bodecensis, jam suprà relati de Diœcesi Paderbornensi in Westphalia; de cujus tamen Ewichensis Cœnobii hujus moderni statu quicquam ampliùs isthic referre vel invitos nos prohibet ulterioris notitiæ carentia, à Canonicis hujus loci necessariorum documentorum communicatione nondum sublata.

EYBINGENSE,

Seu alicubi etiam *Ibingense* dictum primùm Ordinis Monastico-Benedictini, subinde verò Canonico-Augustiniani Diœceseos Pataviensis Venerabile Parthenæum, istud tamen de tempore & Authore primæ fundationis suæ nondum per nos inquisitum; de quo eodem Eybingensi Domicilio isto, quod anno 1302. charitativè susceperit Religiosas Consorores è Cœnobio Bingensi disturbiô bellico fugatas refert Trithemius Abbas in suo Sponheimensi Chronico ad prædictum annum ita legendus: *Gerardus Archi-Episcopus Moguntinus, Dietherus Archi-Episcopus Trevirensis, Henricus Archi-Episcopus Coloniensis, & Rudolphus Comes Palatinus Rheni in unum conjurantes, pacem inter se fœdusque perpetuum fecerunt, quod displicuit Alberto Regi Romanorum, undè cum magno exercitu inopinato veniens, Palatini primùm Regionem invasit, qua vastata miserabiliter ad deditionem eam coarctavit, deinde movens exercitum contra Archi-Episcopum Moguntinum, inter alia damna & incendia regioni illata, Oppidum Bingen, quod ad Jurisdictionem Ecclesiæ Moguntinæ pertinebat, obsedit. Moniales Cœnobii S. Ruperti præfato oppido ab alia parte Nabi fluminis proximo, audito Regis adventu, omnes fugientes in Ibingen susceperunt, retentis tamen privilegiis, reliquiis, clinodiis, & quidquid pro angustia temporis abducere potuerunt.* Pace tandem publica memoratæ Sorores Religiosæ S. Ruperti redierunt ad propria, Eybingenses verò Domicellæ, uti prius semper, ita & ampliùs de posthac securè perstiterunt in antiqua statione sua, quoadusque demum nova hæresis tum Calviniana, tum Lutherana totum ferè Palatinatum plusquam terribiliter infestavit; quocirca sæpefatæ Vestales Eybingenses nimio terrore perculsæ, quaqua tandem emigrantes, vel invitæ dimiserunt claustrale domicilium suum, quod dum pluribus annis omnino vacuum permansit ac desolatum, loci Ordinarius illud inhabitandum concessit Canonissis Augustinianis, nuper è suo itidem Palatino Claustro S. Petri prope Crucenacum ejectis & fugatis; quod factum est anno 1570. de quo vide ampliùs infrà in descriptione Parthenonis Moguntini ad S. Agnetem.

EYSTADIENSE,

Seu *Eystettense*, item & *Aystettense* taliter ab eâ, cui inest, cognòmine Civitate ad Almonium (vulgò *Altmühl*) fluvium in Norico Cathedrale Collegium, atque istud inter duodecim consimilia Metropolitano Moguntino subdita, præ reliquis primarium antiquioribus illis sæculis primum Episcopum habuit S. Wilibaldum natione Anglum, die 7. Julii Sanctorum fastis adscriptum; de quo Constantinus Ghinius in Natalibus SS. Canonicorum eodem die in terminis enarrat sequentia: *in Saxonia S. Wilibaldi primi Eystettensis Episcopi, qui una cum S. Bonifacio laborans in Evangelio multas gentes convertit ad Christum, qui filius S. Richardi & S. Bonæ, & à S. Bonifacio Episcopo Moguntino & ipse Episcopus consecratus cum fratre suo S. Wunibaldo ex Angliâ in Germaniam veniens, cum aliis Apostolicis Viris ad prædicandam fidem Christi primò Trajectum appulit, ubi & ipse & alii Verbi Dei Cooperatores aliquamdiu in primitiva Frisiæ Ecclesia Canonici & Prædicatores resederunt. At cùm in circumjacentes Regiones ad Infideles mitterentur, S. Wilibaldus in Orientalem Franciam venit, & resedit Eystettensis Episcopus, & post multos pro fide superatos labores, ad multorum conversionem, multis miraculis clarus quievit in pace circa annum Domini 731. &c.* Ex quibus verbis apparet, quòd ipse S. Wilibaldus, ut & alter S. Wunibaldus Germanus frater ejus, aliquando saltem tempore, tenuerint Institutum Regulare, quale S. P. Augustinus in sua inchoavit Ecclesia Hipponensi, & alii Viri sancti, seu Christi Apostoli in alias transplantarunt Orbis partes, ducto sic argumento: Quicunque agunt vitam juxtà Professionem & habitum Canonicorum Regularium, rectè dicendi sunt Canonici Regulares: atqui SS. Wilibaldus & Wunibaldus egerunt vitam juxtà Professionem & habitum Canonicorum Regularium, ergò rectè dicendi sunt Canonici Regulares; major clara est ex terminis, minor patet, quia uterque Sanctus resedit in Monasterio Cathedrali, in quo vivebant ambo, ut Canonici, qualiter expressè monstrat vita Ipsorum, nec non & multi Authores irrefragabiles, & historiographi fide omninò dignissimi in terminis referunt. Fundamenta non contemnenda suppeditat Anonymus noster Parisiensis Disquisit: de Ordine Canonico fol. m. 166. de Cathedralibus Germaniæ Ecclesiis in communi hæc ponit: *Quod superest de Ecclesiis Germaniæ primariis, atque Pontificalibus, ubi Monachi ab initio pro Canonicis institutos se esse putant, cogor sigillatim dicere, ut ne aliquis, ipsorum Monachorum gratiâ, aliud ex alio colligat, ad Canonici Ordinis imminutionem.* Ad particulares deinde quasdam Ecclesias descendendo, nominatim

 de

de Eystettensi mox fol. 173. habet sequentia: *Censui aliquando Willibaldum Episcopum, cùm Eystettensis huc tota erat Regio ad vastata, in Monachili Cœnobio constitisse, perindè ut in Abbatia Laubiensi constitit Beatus Ursmarus, in functoriâ tantùm prædicatione sacratus Episcopus. Verùm re diligentiùs expensâ didici, ne hoc quidem simpliciter concedi posse. Nam Sanctimonialis B. Willibaldi Laudatrix & consanguinea, præterquam quòd Sancti Episcopi jam mortui Clericos & Monachos, alios ab aliis planè distinguat, Ecclesias quoque diversas utrisque non obscurè assignat Sanctus Bonifacius, inquit, illac tradebat Sancto Willibaldo Regionem (Eystett) quæ adhuc tota erat vastata, ita, ut nulla domus ibi esset, nisi illa Ecclesia S. Mariæ, quæ adhuc stat ibi minor, quàm alia Ecclesia, quam posteà B. Willibaldus ibidem construxit. Porrò hanc S. Mariæ Ecclesiam, de qua ad Monachos non pertinet, B. Willibaldus simul cum Diaconis & Clericis suis incoluit, tum eo tempore, quo Presbyteri officio functus est, tum initio Episcopatus sui. Quippe jam sacri Episcopatus gradum acceperat, cùm in loco, qui dicitur Eystett, Monasterium construere incipiebat, inquit coæva Sanctimonialis. Quòdsi posteà Sanctus Antistes Monasterium à se constructum Eystetti incoluit, non continuò Sedem Episcopalem, & Clerum ab Ecclesia Sanctæ Mariæ transtulit in Ecclesiam Monachorum. Episcopi Laubienses, etsi inter Monachos in inferiori Monasterio libentiùs manerent, habebant insuper quoddam in loco edito Monasterium, ubi Clerici Canonici manebant à Monachis distincti, Clericalibùsque vacabant officiis. Episcopatum Eystettensem à Willibaldo tandem in eâ institutione formatum puto, sic tamen, ut Clericorum Ecclesia fuerit Monachili Basilica prior atque antiquior. Denique hoc etiam dato ac posito, quòd Willibaldus simul Canonicos & Monachos in novo Monasterio Eystettensi collocâsset, nihil inde tam magnificum ad decus & honorem Ordinis Monastici concludi posset, quando ne tùm quidem hoc negandum foret Ecclesiam Eystettensem, Willibaldo Monachorum Patrono vixdùm mortuo, ad Canonicos fuisse vindicatam. Adelbertus Abbas Gerbohum Eystettensium Antistitem secundum accusat, quòd cùm Sancti Willibaldi filiaster esset, in Monasterio Heidenheimensi Canonicos constituerit oblitus Religionis, quam S. Wunebaldus cum Sorore suâ Sancta Walburga ex consensu præceptoque S Willibaldi Fratris sui Episcopi sanctissimè inchoaverant intrà fines Diœcesis Eystettensis. Non videtur mihi talis Episcopus Monachos pro Canonicis Cathedralibus habuisse.* Hæc ille loco cit. Audiatur Gretserus S. J. scriptor ac in specie rerum Eystettensium sedulus Indagator. *Sanctus igitur Wilibaldus*, inquit cap. XXIII in Vita S. Wilib *Infulis decoratus talem se exhibuit, ut ab omnibus amaretur, & accedens ad locum deputatæ sibi sedis, intellige Eystett, qui erat locus horrendæ ac magnæ solitudinis, cœpit Eremum excolere, nemus succidere, succisum eradicare, & super ripam fluminis, quod Almonium (Altmül) vocatur* MONASTERIUM *fabricavit; &* REGULARI VITÆ *rationabilisque obsequii* CLERICOS *congregavit . . . ubi quanta, Monasterio constructo, se ipsum abstinentia maceraverit, quantasque usque ad vitæ suæ terminum ad amorem cœlestis Patriæ, verbis & exemplis accenderit, quóve virtutum nitore refulserit, nullus enarrare prævalebit.*

EYSTETTENSE II.

Parthenium quondam Regularium Canonissarum Collegium, quod antiquioribus sæculis ibidem constitisse notus Anonymus Hasenrietanus apud R. P. Jacobum Gretserum Soc. Jesu in Catalogo Episcoporum Eystettensium ad Heribertum decimum quintum Cathedralis Ecclesiæ Episcopum vel paucis ita meminit: *Item Monasterium S. Walburgæ per D. Leodegarium* (Comitem de Lechsgmudi) *inchoavit* (idem Heribertus antè dictus) *& Monachas, cùm priùs essent Canonicæ, instituit. &c.*

EZINGENSE.

Seu *Monasterium Beatæ Mariæ Virginis in Ezingen* taliter antiquitùs nuncupari solitum in Metropolitana Diœcesi Bremensi conspicuum, etsi de tempore & Authore primæ fundationis suæ haud ampliùs inquirendum, primum Ordinis S. Benedicti Parthenæum, subindè verò labentibus annis ad Ordinem Canonicorum Augustinianorum, & ejusdem Venerabilem Congregationem Windesimensem translatum, tandem sub decursum sæculi decimi sexti à Popularibus heterodoxis violenter occupatum & penitùs eversum; de ejus consummatâ quoad statum Religiosum immutatione, & subsecuta ad Alumnos Windesimenses translatione sæpè citatum Joannis Buschii Chronicon lib. 1. cap. 42. prostat in hæc verba legendum: *Monasterium Capituli Beatæ Mariæ in Ezingen partibus Ostfrisiæ Bremensis Diœcesis ex prima sui fundatione Cœnobium Sanctimonialium nigri Ordinis S. Benedicti, quæ propter vitam earum dissolutam, & regularis vitæ negligentiam, ad magnam temporalium & Spiritualium rerum penuriam non immeritò pervenerunt. Unde Vir quidam Nobilis partium Frisiæ illius Capitaneus nomine Wilhelmus, apud omnes benè audiens Venerabili Capitulo nostro scripsit Epistolas, ut idem Monasterium cum omnibus attinentiis suis dignaretur assumere ac Fratres sui Ordinis ibidem collocare. Ipse enim de Patrum consilio paucas ibidem relictas Mulierculas Moniales vetulas, alio in loco ibi propinquo ipsis in simul deputando, de bona ipsarum voluntate, modi-*

câ habitâ provisione, facillimè contentaret. Cujus Legatio anno Domini Vigesimo Patri Henrico Loeder in Northorn Priori à Capitulo fuit commissa. Qui zelo fervens animarum Deo lucrandarum, iter aggressus, locum invenit spatiosum pro multitudine Fratrum Deo servire cupientium satis aptum. Monialium ergò prædictarum provisione benè prædisposita, rem retulit ad Capitulum, à quo cum Collega suo in Thabor Priore plenam suscepit auctoritatem, cuncta cum dicto Monasterio ordinandi, faciendi, & disponendi, sicut pro ejus plenaria Reformatione sibi videretur expedire. Hujusmodi igitur potestate Venerabilem Patrem Arnoldum Huls Domus suæ Professum, multorum postmodum Ordinis nostri Reformatorem futurum, adstatim in Rectorem ibidem præfecit, Fratres Chorales & Laicos, probitate vitæ pro informatione aliorum idoneos & agriculturæ labore illi adjungens: qui non modò Acesalorum Frisonum perpessi sunt vexationem, & pestilentiam plurimùm in se grassantem, ita ut plures eorum, quos ibi adunaverat, è medio sublatos ad regna præmitteret cælestia. Idcirco tam multas & graves in principio ibidem sustinuerunt inimici tentationes, quia timor, quem timebat, ipsi evenit Diabolo, quia multa exinde millia animarum ex ore Leviathan in hoc loco, & ex hoc loco ad regna præparantur æterna; ait enim idem Pater Arnoldus, certum esse signum profectus sancti negotii & boni Operis, idque Deo complacere, & inimico displicere, si in sui initio plura sibi acciderent adversa. Et vix unquam bonum habituri progressum, quibus in initio prospera semper occurrerent. Denique nunc habet in Ezingen, & in grangiis sibi unitis circa ducentos Fratres, & Laicos, qui omnes Domino die ac nocte deservirent, plurimáque Ordinis nostri & aliorum Monasteria, Sororúmque Regimina per eos sunt instituta, seu in melius reformata. Capitulum igitur nostrum Generale hæc de illo præsumens, dictum Monasterium in suam Coloniam libenter accepit &c. Ita Joannes Buschius in Chronico lib. 1. cap. 42. fol. 184. de recensito hoc Ezingensi celeberrimo quondam Congregationis Windesimensis Monasterio, quod Auberto Miræo de Colleg. Reg. cap. 13. *Campus Beatæ Mariæ* nuncupatum, demùm anno 1568. quocunque demum fato Religiosis Canonicis ademptum, Ecclesiæ Gröningensi in Frisia occidentali, in novam Cathedralem sublimatæ, in dotem fuisse superadditum, seu mensæ Episcopali cum quæisvis attinentiis suis incorporatum, adstruit Pennottus in Histor. tripart. lib. 2. cap. 33. num 6.

Littera F.

FALCKENBERGENSE,

Seu à Casparo Bruschio de Episcopis German. Tom. 1. cap. 11. in Conrado hujus nominis secundo, aliàs ordine Successionis vicesimo nono, Principe & Episcopo Hildesheimensi *Franckenbergense* nuncupatum, venerabile quoddam de Ordine Canonico-Augustiniano Sanctimonialium Cœnobium propè Goslariam (quæ est Urbs inferioris Saxoniæ, libera & Imperialis, in Ducatu Brunsuico-Wolfenbütelano, sub limite Diœcesis Hildeshaimensis, comprehensa) quondam ante tempora scilicet Religionis Orthodoxæ in partibus istis transmutatæ Religioso Statu suo constantissimè perduravit. Condidit autem Parthenium Cœnobium istud de propriis impensis suis Conradus, ùt supra dictum est, hujus nominis secundus, ordine successionis verò vicesimus nonus Supremus Ecclesiæ Hildesianæ Pastor & Episcopus, ab anno 1221. usque ad annum 1245. in pastorali munere suo præclarus. Idem postmodum post liberam ac spontaneam officii sui cessionem seu resignationem anno 1245. factam, in Schonhoviensi Monasterio propè Heidelbergam, notam inferioris Palatinatus Urbem, Ascesin Cisterciensis Instituti professus, ac demùm ibidem exacto triennio in Domino mortuus, & sepultus.

FALDERENSE

Collegium Canonicorum Regularium sub Climate Aquilonari intra fines Archi-Diœcesis Bremensis priscâ ætate fuit omninò florentissimum, idémque pro tunc *Novum Monasterium* appellari solitum, eique recens fundando prius Author fuit S. Vicelinus Episcopus Aldenburgensis, teste Kranzio in Metrop. Saxoniæ lib. 6. cap. 4. in hæc verba legendo: *Vir Deo deditissimus* (Vicelinus antedictus) *incomparabili œconomiæ studio lucrandarum Deo animarum magna instantia Verbum vitæ in Faldera (quam ipse posteà ædificato in ea parte Monasterio* Novum Monasterium *appellari fecit) prædicavit, cum illa ab Archi-Episcopo* (qui fuit Fridericus inter Metropolitanos Bremenses hujus nominis primus anno 1123. terris emortuus) *commendaretur Viro terræ primario Marquardo. &c.* Item infrà cap. 18. *Eo tempore* (sub initium Sæculi duodecimi) *Thietmarus Vicelini quondam discipulus, relicto Decanatu Bremensi, devovit se Falderensi Collegio, qui destinatus Hagerstorpe transmigrationi novæ*

magno fuit ſolatio, vir utique in Spirituali converſatione ſummæ perfectionis; Vicelinus quoque novellæ Eccleſiæ, ſibi commiſſæ ſolers Curator, omni ſtudio peregit, ut Eccleſiæ oportunis locis ædificarentur providens eis de Faldera tam Sacerdotes, quàm reliqua neceſſaria.

Cæterùm Cœnobium iſthoc pro Canonicis Auguſtinianis primitùs fuiſſe fundatum, argumentum ſatìs efficax nobis ſuppeditat tabella, parieti templi Bandersholmenſis (quò Falderenſe Cœnobium translatum fuiſſe ſuprà diximus in littera *B.*) infixa, in qua ſequentia leguntur formalia: *Ibidem* (Falderæ ſcilicet) *Monaſterium Canonicorum Regularium inſtituit*, S. Vicelinus: quod quidem etiam rationi valdè eſt conſonum, ex qua convenienter judicamus, S. Vicelinum in Faldera idem inſtitutum plantâſſe, cujus amore Bremenſem Eccleſiam deſeruit, hanc autem idcircò deſeruiſſe, ne habitum cum Regulâ S. Auguſtini, à Canonicis Bremenſibus tunc temporis abjectam, pariter abjicere cogeretur, ut pluribus ſuprà *V. Bremenſis* deduximus. Quàm plurimis Cœnobium hoc olim floruit Viris, tum ſanctitate, tum doctrina, zelóque Apoſtolico ter inclytis, quorum res præclarè geſtas, hinc indè à probatis Hiſtoricis obiter tantùm & diſperſim attactas, in unum collectas, ad Canonici Ordinis ſplendorem hìc ſubjicimus. Primus itaque horum omnium eſt *S. Vicelinus* primus hujus Cœnobii Auctor & Fundator. Natus is eſt in Querenhameleh, manſitque aliquamdiu in arce Euerſtein cum Matre Conradi, inde invidia Sacerdotis per Statium in Achilleide diſturbatus eſt. Requiſivit enim ex eo, legeritne Statium in Achilleide, propoſuitque illi verſum ex Poëta, quem cum expedire non poſſet, erubuit, abiitque Paderbornam, & ibi ſub Hermanno docente apud Eccleſiam, vigilantibus litteris incubuit. Equidem pro illa ætate necdum crebreſcentibus per Chriſtianum Orbem univerſalibus illis litterarum Gymnaſiis, apud Eccleſias Cathedrales Magiſtri habebantur: qui ſingulari diligentiâ non modò rudimentis, ſed etiam altioribus doctrinis incumberent. Dedit autem illi Dominus intellectum, & cor docile, neque verò tam lectione quàm oratione profecit, quantùm verò incumbebat litteris tantùm alternantibus horis in Religione per devotionem creſcebat. Sanctorum exempla ſibi, vitæque præſidio ſemper invocabat, præcipuè devotus Divo Patri Nicolao, in cujus feſtivitate dum ſocios ad Eccleſiam & Oratorium S. Brigittæ invitaſſet, Veſpertino & Matutino Officio ſolemniter expletis, Angelicæ voces à quibusdam auditæ ſunt pſallentes juxta morem Cleri Reſponſorium *Beatus Nicolaus jam triumpho potitus.* Inde defuncto Confeſſore Chriſti Ludolpho de Feulo, ſub Friderico Archi-Epiſcopo ad Eccleſiam Bremenſem vocatus eſt, ubi quod didicit, docere cæpit, ut Magiſtri ſui Coadjutor in erudiendis ſe minoribus fieret. Poſteà cum quodam Juvene Thietmaro perrexit in Franciam ſtuduitque ſub Magiſtris Rudolpho & Anſelmo. Tribus igitur annis in ſtudio transactis reverſi ſunt: Thietmarus Bremæ fit Canonicus Vicelinus Magdeburgi ad Nortbertum veniens Archi-Epiſcopum, fit Sacerdos, à quo ad Alberonem Bremenſem Antiſtitem rediit. Non eſt autem viſum ſatìs, ardentiſſimo homini docere Chriſtianos, ſed altius Miniſterium cogitavit in obſequio Chriſti: nam Rodulphum Hildeshemenſem, & Qudolphum Verdenſem, Canonicos adſcitos ſocios deſumpſit in peregrinationem pro Chriſto, contuleruntque ſe in gentem Wandalorum, quæ vicina Saxoniæ ſæpè quidem recepit Verbum Dei ſed ſtatim rejecit. Adierunt verò in veteri Lubica Henricum ejus gentis Principem, virum Chriſtianum, ſed qui novo Principatu populum, novâ Religione noluit exaſperare, rogantes, ut ejus permiſſu Verbum Dei prædicarent, non negabat ille, quod ſuâ ſponte fieri ſemper optabat. Habuit igitur eos magno & honorato apud ſe loco, permittens illis Eccleſiam ſuam, quam frequentabat; illi ergò inſtituto operi quàm diligenter ſervierunt, & ubi miſerante Deo rem in ſuis manibus creſcere cernebant, petita ad tempus venia, de rebus ſuis acturi, revertuntur in Saxoniam, ut indè liberius & ferventius inſtarent officio, ac ſacro Miniſterio, redeuntes autem in idipſum, repererunt Henricum emigrâſſe, filios autem illius adoleſcentiores, minus intendere Religioni, magis autem tutando invigilare principitatui.

Eo autem tempore Adalberto Bremenſis Eccleſiæ Pontifex, qui anno 1123. Friderico ſucceſſerat, Diœceſin ſuam, prout vigil erat, viſitabat, qui trans Albiam veniens in Mietendorp, quod nunc oppidum Thietmarſiæ, Meldorp vocant, deſcendit, ibi homines de Faldera divini Verbi prædicatorem ſibi ab Epiſcopo donari rogant, ſciens Archi-Epiſcopus fervens in opere Dei Vicelini, qui cum ipſo tunc erat, propoſitum, illis ipſum aſſignavit, & attentiùs propter barbariem Wandalorum commendavit, præcipuam curam illius imponens Marquardo Viro primario. Vicelinum itaque Holſati ubi impetrârunt, profecti, alacres ad ſua redierunt. Prædicavit autem inſtanter, & ad frugem vitæ melioris, jam quidem Chriſtianos, ſed frigeſcentes, perduxit. Id loci in Faldera nimirum, novum etiam Monaſterium erexit, fratribúſque (quos Cann. Regulares vocamus) implevit, religioſéque illos gubernavit. Audientes verò poſteà profectum

ejus

ejus hunc eximium legationis Socii, adjunctis sibi aliis, Vicelinum denuò adierunt, ut eidem lucro animarum vigilantius intenderent, erant autem hi, Ludolphus, Eppo, Lutmundus, Folcardus, Sacerdotes omnes, mercedem in vineâ Domini laborantium cum illo accepturi. Post hæc videns Vicelinus Sacerdos, quia Princeps Wandalorum humanius se gereret ergà Christicolas, accessit eum, & innovavit apud eum paternæ promissionis cæptum, impetratóque Principis favore, misit in Urbem veterem Lubeke, venerabiles Sacerdotes Ludolphum, atque Folcardum, qui benignè recepti à mercatoribus, habitaverunt juxtà Ecclesiam, sitam in colle, qui est è regione urbis trans flumen. Rugiani autem Wandali, quòd inimicarentur generi Godscalci Principis, quem ipsi cum cæteris oppresserunt, facto agmine per mare transcenderunt Travenam, Lubicámque veterem aggressi, oppidum cum arce suâ demoliuntur, Sacerdotes autem tamdiu perstiterunt, donec hostibus per unam Ecclesiæ januam irrumpentibus, per aliam vix elaberentur, & ad Falderam refugerunt. Cùm ita in hunc modum turbida essent tempora, ut jactum semen Deo fructicare non posset, Vicelinúsque Dei Sacerdos zizania præter spem super excrescere cerneret, adiit Imperatorem Luderum (Lotharium vocant Itali) in Bardewico tunc agentem, exposuítque multos conatus exducendi Christianismi in Wandaliam esse frustratos, non nisi in manu forti cessurum populum, esse oportunissimum locum muniendæ arcis in terrâ: quæ si firmaretur, sub jugo posset populus contineri. Misit Imperator, qui specularentur, placuit locus editissimus, jubet convenire gentem Wandalorum omnem, quæ Saxonibus pareret. Venerant Wandalorum Primores, jubentur operas partiri, ad arcem inibi firmandam, tunc inter se collocuti Wandali alter ad alterum, quis, inquiunt, Imperatori prodidit locum illum? ego tibi auguror, ex hac arce in omnem Wandaliam gravissimas nobis gentíque nostræ excursiones imminere. Ad quam vocem quidam eorum: video, inquit, homuncionem recalvum Imperatori adstantem (Vicelinum autem demonstrabat) ille nobis malum hoc invexit. Firmatur arx in monte, noménque sortitur, ut *Mons Victoriæ*, hoc est linguâ nostrâ, *Segeberg*, diceretur, cùm pridem esset illi nomen Alberch. Quam Imperator cuidam Hermanno ex suis Ministerialibus commendavit, Ecclesiámque ad radicem montis jussit extrui, quam unà cum Lubecensi commendavit Vicelino. Is autem curator solers legationis sibi creditæ idoneas Evangelio personas ad opus sacri Ministerii concivit: Ex quibus Ludolphum, Hermannum, Brunonem in Lubecke constituit: Lutmundum cum cæteris in Segeberg. Iste Lutmundus posteà factus est Præpositus in Hesslinge, & Claustrum transtulit in Zevenam locum, quo etiam nunc manet; qui Conventus olim habuit insignes Abbatissas, quarum novem sepultæ in Hesslinge memorantur; nunc verò solum est Prioratus. Obitus deinde Imperatoris Lotharii, sive Luderi, & assumptio Conradi Suevi res quoque harum partium perturbavit. Nam Conradus Rex est passus præesse unum duobus Ducatibus, Saxoniam, ademptam Henrico Bavaro, dedit Alberto, nomine Urso Marchioni de Brandenburg, qui & ipse nepos erat Magni Ducis Saxoniæ, ex altera filia. Is Albertus postea Holsatiam commendavit Henrico de Badwide Comiti illi, qui etiam arcem Segeberg occupavit, Hermanno, quem Luderus præfecerat, jam mortuo, pulsis cæteris, qui obstare videbantur. Quo etiam tempore Pribislaus, Wandalorum Princeps, nactus temporis oportunitatem, cùm videret Principes Christianos inter se collidi, facto impetu, suburbium Segeberge evastavit, Oratorium incendit. Ex Fratribus quosdam, cùm pertinaciùs sacra tuerentur, gladio percussit, alii fugerunt in Falderam. His ita peractis Vicelinus Pater iterum cernens opus Diaboli prævalere, Christi honorem posthaberi, ingemuit, orationibúsque & lacrymis intentus, cum Fratribus hoc armatorum genere interim militabat. Ad annum autem MCXL. Vicelinus quoque prædia recepit sua adjutorio Comitis Adolphi, quæ Imperator Lotharius ad usum Monasterii, & subsidia servorum Dei non longè à Segeberge donavit. Visum fuit verò esse ex commodo Fratrum propter tumultus, ab Arce, & crebras conventiones Militarium, Monasterium in proximo Villagio, quod Sclavonicè Cusalina, Saxonicè verò Hagerstorpe dicitur, fundare, & Ecclesiam nihilominùs in memorato loco relinquere. Misit Vicelinus Folcardum Sacerdotem cum industriis viris, qui Oratorio & Claustralibus officinis exædificandis operam darent, maneret tamen prior Ecclesia ad radicem montis in Segeberg. Eo tempore Thietmarus, Vicelini quondam discipulus relicto Decanatu Bremensi se devovit Falderensi, Canonicorum Regularium Collegio, qui destinatus Hagerstorpe, transmigrationi novæ magno fuit solatio, vir utique in spirituali conversatione summæ perfectionis. Vicelinus quoque novellæ Ecclesiæ sibi commissæ, solers curator, omni studio peregit, ut Ecclesiæ oportunis locis ædificarentur, providens eis de Faldera tam Sacerdotes quàm reliqua necessaria.

Porrò ad annum M.C.XLIX. Hartwicus Bremensis Pontifex cum cerneret, antiquam Matrem Hamburgensem Ecclesiam veteri Legationis honore destitutam, instititit

 ab

ab aliâ parte religionem propagare: præsertim ut multis ex paganismo Wandalis ad Christum, operâ Vicelini Prædicatoris strenui, conversis consuleret, Ecclesias olim per eam gentem demolitas, renovavit, Aldenburgensem, Mecklenburgensem & Raceburgensem. Aldenburgensi igitur, quæ prima fuit & duarum Mater Ecclesiarum, accitum Venerabilem Sacerdotem Vicelinum, sedi consecravit Episcopum, cùm jam esset ætate provectus, & mansisset prædicans per Holsatiam & Wandaliam annis 30. Hujus verò Sanctissimi Pontificis præclara opera in nostrâ Wandalia lib. 6. cap. 26. pro magna parte explicuimus (verba sunt Kranzii,) sed unum, quod sanctitatem ejus contestatur, ibi præteritum commemorabitur hoc loco. Virgo quædam Imma nomine, graviter hoc tempore à dæmonio vexabatur, & ad Vicelinum perducta est, qui cùm interrogaret ex Spiritu, cur vas incorruptum temerare præsumpsisset, respondit, quia tertiò me offendit. In quo, ait ille, te offendit puella? quia, inquit, negotium meum impedivit: bis enim transmissi fures ad perfodiendam domum, sed hæc juxtà ignem sedens, clamore suo eos absterruit: Nunc quoque legatione Principis nostri in Daniam functus, videns hanc in via, tertiô offensus, in eam sum devolutus, sed cùm Vir Dei conjuraret eam, ait, cur propellis paratum ultrò egredi? jam enim abibo ad proximam villam, visitaturus Sodales meos, qui illic latent: hoc enim in mandatis accepi, priusquam in Daniam proficiscar. Quod tibi est nomen? rogat Vicelinus, aut qui socii tui, vel cum quibus habitant? ego, inquit, Ruffinus vocor, unus sociorum meorum est cum Rotesto, alter cum muliere quadam ejusdem oppidi, hos hodie visitabo, cras priusquam Prima pulsata fuerit, huc valedicturus revertar, & tunc in Daniam proficiscar. Et hæc dicens egreditur, & Virginem dimisit. Jussit eam Vicelinus refici, & crastina ante Horam primam reduci ad Ecclesiam, quam cùm manè parentes ad Ecclesiam ducerent, priusquam limen calcarent, Prima pulsari, & virgo cæpit vexari; nec tamen prius Vicelinus abstitit, quàm idem spiritus potentiâ Dei fugatus abscessit. Rotestus brevi maligno spiritu correptus, laqueo semetipsum strangulavit: in Daniâ quoque occiso Rege perturbatio gravis erupit, adeò ut oculis probari potuerit, magnum ibi Diabolum advenisse in afflictionem gentis illius. Vicelinus autem his atque aliis sanctitatis præcipuè pollens testimoniis, ad Episcopatum Aldenburgensem meritissimus provehitur, quem tenuit per annos quinque. Medium verò temporis hujus vix peregit incolumis, reliquum verò in gravissimâ Paralysi, mirabili probamento patientiæ ejus, & evolavit anno Christi 1154. (pridiè idus Decembris tumulatus in suâ Falderensi Ecclesia, præsente Raceburgense Episcopo, postea inter Sanctos relatus, ut Henricus Pantaleon in libro de Viris illustribus Germaniæ ex lib. 4. cap. 15. Wandaliæ Kranzii addit) multis clarescens miraculis, & ante & post mortem, nec cessant in hodiernum mirabilia, quæ per merita illius dignatur operari solus Sanctus Deus noster, de quibus pauca diximus in nostra Wandalia, quæ etiam in diebus nostris apparuerunt. Hucusque Kranzius in Metropoli & Saxonia.

Beatus Thietmarus Sancti hujus Vicelini Wandalorum Apostoli, & Aldenburgensis Episcopi Adjutor fortis & dulcis, consolatórque in omni adversitate & labore, imò Vir incomparabilis, hoc testimonium Helmoldi jure apud Kranzium in Wandalia sua meretur, ubi sic de illo: Erat Thietmarus in omni conversatione suavissimus, omni semper honore prosequendus, neminem suo tempore visus est habere comparem. Ut autem de vitâ ejus quiddam vel breviter, summatímque perstringam, ante conceptum Matri sanctæ revelatus, ab ipsis cunabulis mancipatus est Altaris ministerio, commendatúsque bono Magistro discipulus optimus, perseveravit in disciplinâ usque ad viriles annos, discipulus Vicelini in Brema, Socius in Francia, sustinuit jugum Magistri cum patientia. Post reditum autem ex Francia, cùm abiret Vicelinus in Wandaliam veluti sublato pædagogo, relictus est sibimet. Qualis igitur apud Bremam in regendis scholis, qualis fuerit in Decanatu, dixerint Bremenses: Hoc nobis commemorasse satis sit, quia post digressum ejus ad Holsatos lumen subductum sensit sibi Bremensis Ecclesia, idque voce suâ Brema contestatur. Translatus ergò in Falderam ob melioris vitæ desiderium, magnum attulit gaudium de suâ præsentiâ D. Vicelino, sed & omnibus, quos angulus iste horroris & vastæ solitudinis continebat, nova quædam facies est exorta de tanti hospitis adventu. Post aliquot annos dilatante Deo fines Ecclesiæ missus Cusalinam (quæ & Hagerstorpe) incolis novæ habitationis magna per eum accessit consolatio. Captivis enim & dispoliatis tantâ pietate condoluit, ut largitatis ejus magnitudo vires domûs illius longè exsuperaret. Inter orandum autem & legendum aures ei semper vigilabant ad ostium suspensæ, si peregrinus, si egenus quispiam adesset. Ejus autem incredibilis miserationis singulare suprà ostendimus documentum (quod sic se habet: lib. 4. cap. 4.) inter hæc autem Vicelinus Christi Sacerdos nihil omisit assiduis precibus apud Deum, curis apud homines, ut rectè procederent omnia: pauperes aluit multos, quos proxima vastitas fecit plurimos, ad portas enim Monasterii novi jacebant quotidiè, ex-

exsaturari de micis Fratres, quantùm poterant, eleemosynis institere. Admirabilis in ea re Thietmarus, qui illa largitate erogabat, ut proximè ad inopiam cæteris vergere Monasterium videbatur. Provisores ob eam rem clausa illi omnia habuerunt. Quid faceret Vir misericordium? ejulatum pauperum non sustinuit, circuibat horrea, loca pridem vacuata, ut penora cuncta, siquid fortè superesset in consolationem miserorum.

Reperit, quod mortalis nemo posuerat, erogabat largissimè cunctis stupentibus, undè essent, quæ ille inter pauperes distribueret. Renovata sunt vetera Heliæ prodigia: ille cunctis præbebat alimoniam, Monasterio interim nihil decedebat. Reverebatur (sic pergit infrà suo loco) eum Comes Adolphus, quamvis redargueret culpas ejus, nec parceret delinquenti. Cordis enim duritiam, quam præseferebat Vicelino Pontifici venerabilis iste Sacerdos, adhibitis verborum emplastris suaviter emollivit. Et licèt omne medicamentum altior avaritiæ morbus evicerit, audito tamen eo, multa faciebat, sciens eum Virum justum & Sanctum. Expletis ergò in hac terra annis decem, infirmitate corripitur absente Vicelino, & apud Martipolim posito. Quum ergo fratres lecto ægrotantis assidentes, spem recuperandæ sanitatis illi prætenderent, ille cum magnâ recusatione ajebat: Nolite Fratres mei charissimi præsentis vitæ dilationem inaniter mihi repromittere: nolite spiritum meum de peregrinationis fatigio ad Patriam tendentem ejusmodi verbis affligere; Ecce sunt jam anni decem, ex quo vitam meam sub hujus Professionis titulo protrahi rogavi, & exauditus sum; nunc tandem requies laborum oranda est, & confido de solitâ pietate Dei, quia nec hac petitione frustrabor. Augebantur ergò torsiones vitalium, scilicet defectione corporis vigor interioris hominis emarcuit. Compertum est in eo illud Salomonis, fortis est út mors dilectio; flumina & venti non potuerunt extinquere eam. In moriente ergò vivebat charitas, quæ in exhausto corpore integrabat affectum, præbentem Fratribus solatium de mærore, consilium in rebus ambiguis, morum ædificationem imprimentem cordibus amicorum novissima quædam valedictionis vestigia nunquam abolenda. Sed nec immemor dilectissimi Patris sui Vicelini, orabat intimè, vias ejus à Deo dirigi, per hunc sibi viam salutis, & spem regni patefactam multoties congratulans. Veneruut ergò ad ægrotum fraternâ solicitudine Prior Falderensis Ecclesiæ, Eppo, & Bruno Sacerdos; & post visitationis obsequium exhibuerunt ei sacræ Unctionis Ministerium. Quo venerabiliter percepto, participatione nihilominùs vivifici Corporis Domini communitus, perseverabat in gratiarum actione. Nocte igitur, qua vigilia Pentecostes obvenerat (hoc est 16. Calendas Junii) pervigil in oratione, precibus invitavit Angelos, suffragia sanctorum interpellavit omnium, jamque recedente anima adhuc movebatur in oratione lingua in laudis confessionem. Hæc interim ad verbum de eo Viro sunt nostri Helmoldi (inquit Kranzius) testimonia, quæ eo posui consilio, ut videas posteritas, quibus tum Viris terra floruerit. Hujus ergo Ven. Sacerdotis, pergit Kranzius, transitum longè antè prædicere solebat Ludbertus frater, qui militiam hujus sæculi servitute Dei commutaturus, cum famulo Dei Thietmaro pauperum, qui erant in Hospitali curam gessit. Hic tempore quodam visitans Falderam, vultum prætendit solitò tristiorem atque lacrymis suffusum. Interrogatus autem causam mæstitiæ, respondit meritò se tristari, quòd Patris amantissimi brevi esset solatio destituendus: fatetur nihilominus de his non somniantem sed vigilantem divinitus esse commonitum. Nec longè post prædicentis verbum velox Sacerdotis obitus est subsecutus, fratrésque, quos intimus viri affectus flere coegit, revertentes ad cor hauserunt spem, & resumpserunt spiritum consolationis memores oraculi. Ubi ergò nuntiatum est in Faldera de obitu ejus, statim miserunt nuntios ad transferendum corpus, eò quòd ipse decedens hoc attentiùs orâsset, quod tamen Venerabilibus Fratribus Theoderico, Ludolpho, Ludberto, & cæteris, qui ibi degebant, nullatenùs persuaderi poterat, ut sinerent, dicentibus cunctis, omnes se malle mori, quàm tanto pignore privari, quod Wagriensi Ecclesiæ noviter cæptæ futurum esset honori atque solatio. Confluentibus ergò de Zegeberge, & de vicinis oppidis fidelibus populis, corpus sanctum terræ commendatum est, cum multâ pauperum lamentatione, qui optimo Patre destitutos se quererentur. Magnificetur ergò Dominus in Sanctis suis, qui Virum hunc præfecit se dignum Sacerdotem consummatum vocatione felici. Vicelino tamen redeunti de cætu Principum, quanquam multa fuerint adversa, nihil tamen gravius tulit, quàm sancti Viri decessum, quo adhuc superstite, tolerabilius videbatur omne, quod urgebat, ita hactenùs Kranzius in Wandaliâ lib. 4. cap. 16. & 17.

His demùm omnibus jungendum censui præclarum Godefridi Henschenii de Professione Canonica hujus B. Thietmari, aliorumque S. Vicelini discipulorum judicium, ad diem 17. Maji in B. Thietmaro n. 10. his verbis expositum: *Et hæc præcipua sunt, quæ de Thietmaro reperimus, quem non auderemus surripere Regulæ S. Augustini, & adscribere sanctissimo*

ſimo Ordini S. Benedicti, cujus in hactenus relatis Auctoribus non reperimus veſtigium, licèt id poſteriores Martyrologii Benedictini fecerint.

Et paulò inferiùs contrà Præmonſtratenſes, S. Vicelinum & Socios Ordini ſuo accenſentes, ponit ſequentia: *Petrus de Wagneare Ordinis Præmonſtratenſis apud Turnenſes in Flandria Prior, poſt editum tractatum de Viris ſui Ordinis, aut Sanctitate aut miraculis illuſtribus, poſteà edidit auctarium, in quo Ordini ſuo adſcribit B. Vicelinum, ejusque Diſcipulos B. Toietmarum & alios. Verùm ut Canonici Bremenſes Regulam S. Auguſtini unà cum Ordine Præmonſtratenſi obſervatam receperint, diu antequam S. Norbertus fuerit conſtitutus Archi-Epiſcopus, tempora Ordinis anno* 1120. *inſtituti non permittunt.*

Venerabilis Bruno, itidem S. Vicelini diſcipulus, & Falderenſis Eccleſiæ Canonicus Regularis, de quo Kranzius in Wandalia lib. 4. cap. 25. hæc habet: *Geroldus* Wandalorum *Epiſcopus accerſivit de Falderenſi Cœnobio Ven. Brunonem Sacerdotem* (is enim defuncto Vicelino Wandalia deceſſerat) *& remiſit eum Aldenburgum, ut curaret ſalutem populi illius, ad quod nimirum opus ille divino incitabatur inſtinctu, ut non gravaretur labore, ſed invitaretur fructu* (hoc idem ſcribit Helmoldus cap. 84. *vidit namque nocturnâ viſione Chrysmale in manibus ſuis, de ſub cujus operculo ſuccreverat oliva plena viroris, quæ confortata validam pervenit in arborem. Quod nimirum pro ſententia ejus ita provenit. Mox enim ut redit Aldenburgum, aggreſſus eſt opus Dei cum magno fervore, & vocavit gentem Wandalorum ad regenerationis gratiam, idem ſuccidens lucos, & deſtruens ritus ſacrilegos. Et quia arx & Eccleſia Cathedralis deſerta erat, obtinuit apud Comitem, ut fieret illic Saxonum colonia, & eſſet ſolatium Sacerdoti de populo, cujus nôſſet linguam & conſuetudinem. Et factum eſt hoc novellæ Eccleſiæ non mediocre adjumentum, ſiquidem ædificata eſt Eccleſia honeſtiſſima in Aldenburgo libris, & ſignis, & cæteris utenſilibus copiosè adornata, & reſtauratus eſt cultus Domûs Dei in medio nationis pravæ & perverſæ, anno quaſi* 90. *poſt excidium prioris Eccleſiæ, & dedicata eſt à Pontifice Geroldo in honorem S. Joannis Baptiſtæ, aſtante & omnem devotionem adhibente Nobili Viro Adolpho Comite, & Dominâ Mathilde ejus Conjuge, & præcepit Comes populo Wandalorum, ut transferrent ſuos mortuos tumulandos in atrium Eccleſiæ, & ut convenirent in ſolemnitatibus ad Eccleſiam audire verbum Dei, quibus & Sacerdos Dei Bruno juxtà creditam ſibi diſpenſationem ſufficienter illis proferebat monita ſalutis, habens conſcriptos ſermones linguâ Wandalorum, quos populo pronuntiaret opportunè.* Et ex his denique Argumentum deſumere licèt, Eccleſiam Aldenburgenſem S. Joannis Baptiſtæ, de qua ſuprà littera *A* breviter egimus, à Regularibus Canonicis primitùs fuiſſe cultam & inhabitatam.

D. Eppo Prior Falderenſis Eccleſiæ diſcipulus S. Vicelini Vir magni in Chriſto meriti, ut ſcribit Kranzius in ſua Wandalia lib. 4. cap. 18.

D. Ludbertus Canonicus Regularis in Cuſalina ſeu Hagerſtorp Monaſterio, qui militiam hujus ſæculi ſervitute Dei commutans, ſpiritu prophetico luxit, ſanctique Thietmari Canonici ſui, ut divinitus commonitus erat, mortem longè antè prædixit. Idem Kranzius lib. 9. cap. 17.

D. Ludolphus Diſcipulus S. Vicelini, cui Præpoſituram, dum adhuc vigeret, commendavit S. Epiſcopus: hic præter Sanctitatem, qua eximiè ornatus erat, olim in Lubica multos propter Evangelium Chriſti pertulit labores. Kranzius in Wand. lib. 9. cap. 18.

D. Dulcinus Can. Reg. Falderenſis, de quo Kranzius lib. 9. Wand. cap. 26. ita: *Videns ergo Geroldus Epiſcopus, quia in Aldenburgo poſitum eſſet fundamentum bonum, ſuggeſſit Comiti, ut in pago, qui dicitur Suſſe ſuſcitaretur Eccleſia. Et miſerunt illuc de Falderenſi Domo Dulcinum Sacerdotem, cujus Spiritus ſitiebat labores & pericula in prædicatione Evangelii. Miſſusque venit in ſpeluncam latronum ad eos, qui habitavere Wandalos ad fluvium Crempine: erat autem illic Piratarum familiare latibulum, & habitavit inter eos Sacerdos ſerviens Deo in fame, ſiti & nuditate.*

FLOREFFIENSE.

Taliter nomine ſuo dictum de Diœceſi Leodienſi Monaſterium nobis vel invitis unicè notum ex Magno Chronico Belgii fol. 332. & quidem ſolius & unius Petri cognomento Herenthalienſis Canonici Regularis, cujus ſpecialis mentio ibi habetur ſub his verbis: *Circa iſta tempora* (anno 1404.) *finitur Compendium Fratris Petri de Herenthals Canonici & Prioris quondam Floreffienſis de Imperatoribus & Pontificibus Romanorum, ſicut ſæpius allegatus in Collectorio fuit. Qui quidem Petrus etiam abrogatam Domini Joannis de Arckel Epiſcopi Leodienſis quandam Compoſitionem ſive Gloſſam ſuper Pſalmorum Librum edidit, quem Collectorium appellari voluit. &c.*

FLO-

FLORENSIS

Abbatia (de territorio Diœcesis Leodiensis) *ad Mosam fluvium &c.* Ita Miræus de Cann. Regg. cap. 55. nec plura.

S. FLORIANI

Præ cæteris unum, si quod aliud inter primaria (quæ ætate nostra Germania Canonico-Augustiniana habet) Regularium Canonicorum de Congregatione Lateranensi Venerabile Collegium, insolitâ prorsus & admirandâ planè Majestate sua undequaque stupendum: quasi Regium verè sui Ordinis ac Provinciæ splendidissimum Aulæum, in Superiori Austria, sub limite Diœcesis Pataviensis constitutum. Primam originem longissima sanè antiquitate sua venerandam derivat ab anno Christiano ducentesimo ôctuagesimo secundò, quo nimirum sævissima Diocletiani & Maximiani Imperatorum tyrannide in sanguinem Christianum plusquàm nimis effervescente, Aquilinus Romanorum Principum constitutus in Norico Ripensi Præses, vehementiori rabie passim in Christicolas animadvertit: quos, sexus ætatisvè discrimine nullo prorsùs habito, dirissimè vinctos Laureaci variis pro Christo suppliciis adjudicavit. Hoc ut ad aures Floriani in pago Cœcia, *Zeiselmaur* vulgariter appellato (cujus hodie pauca solùm in inferiori Austria supersunt rudera) Tribuni militum pervenerat, is mox remisso Imperatorum militiæ munere, ut verus Christi Miles Laureacum contendit, sese totum Judici præsentem stitit, sicut Virgineæ Matris Filium Deum Incarnatum liberè confessus, ita & pro eodem promptissimè moriturus. Nec fefellit Florianum exoptatus in vota finis, diversis enim tormentorum generibus in confessione Christi Dei & Salvatoris nostri constantissimè perpessis, cùm nec minis, nec blanditiis â verâ fide poterat avelli, molâ asinariâ in collo ejus suspensâ, in præterfluentem è ponte Anassum fluvium præceps agitur; quem haud dubiè olim Dominatorem exceperint undæ, cùm præter naturæ ordinem corpus appensâ mole contra cursum fluminis aquis supernatans, in prominentem rupem elatum sit, ubi tamdiu ab aquila protectum requievit, donec Valeria Religiosa fæmina, sancti Martyris revelatione per visum admonita illud indè sustulerit, & ad locum, qui nunc *S. Floriani* nuncupatur, oportunum pro tunc Christianorum latibulum plaustro jugis boum vecto, ad celandum tam pium opus Gentilem Præsidem, impositum transtulerit. Erat jam ante locus iste haud dubiè fidelibus in sepulturam Christianorum electus, quòd vel inde colligitur, cùm videlicet longo post temporis intervallo terra pro moderno Cœmeterio effoderetur, tantus humatorum corporum tum ligneâ tum cerea cruce signatorum acervus reperiretur, quantus ad currus vectigales quinquaginta plùs minùs implendos abundè sufficiebat; quæ etiamnum adhæc usque tempora omni tamen carne soluta, sicuti reperta sunt, ita debito modo conservantur; nec abs ne creditur Sacellum subterraneum ibidem loci pro Christicolarum devotione, ope S. Floriani Martyris antedicti, constructum fuisse, priusquam ipse Christianismum apertè professus, Aquilino Præsidi Provinciæ sesè coram stitisset, cùm fortis iste Athleta Christi post passionem suam locum illum depositi corporis sui Valeriam devotariam jam suprà memoratam edocuerit. Sed quidquid sit in hac re, profectò pium Valeriæ opus insigne prorsùs nobilitavit miraculum, quando nimirum boum jugis admodùm sitientibus, & præ lassitudine ad constitutum locum pertingere haud valentibus, fons limpidissimus è terrâ (ubi hodiè perelegans visitur & fabrica & pictura) improvisò scaturiens, animantibus largissimè potum præbuit, qui usque in hodiernum diem variis hominum languoribus non absque stupore medetur. Potatis ad Satietatem pecoribus, sacræ exuviæ designato tumulo honorificè fuerunt illatæ, & quia Deus Cœli in dies mirificavit Sanctum suum signis ac portentis variis ac plurimis, oppido stupendis, fideles indigenæ tam locum, quàm sacra Lipsana omnimoda veneratione colere cœperunt, eminentiorem quandam (desuper S. Martyris tumbam) extruentes ædiculam, eamque in Ecclesiam consecrantes, quæ tandem labentibus annis in Collegiatam excrevit: ubi complures Presbyteri & Clerici officio divino ritè persolvendo deputati, congruè sustentabantur, atque hæc inter dum tanta S. Martyris veneratio ad aures summi Pontificis devenit, is vehementer sibi in eâ complacens, dictam Ecclesiam in specialem Romanæ Sedis filiam assumpsit. Verùm quanto gratior fuerat & acceptior auribus Vicarii Christi tantus honor & cultus, S. Floriano deferri solitus, tantò gravior ac molestior fuit iste Paganis: qui sæpè sæpiùs in Dei servos impetum facientes, eosque hostilibus minis in fugam propellentes, novellas fidelium fabricas depopulati sunt, devastârunt, everterunt. Ultimum ab impiis Paganis excidium passa est S. Martyris Ecclesia, ut & Laureacensis altera, quandò nimirum anno 722. crudelissimi Hunni in eam irruerant fortes; ad cujus reparationem magnam quidem impenderunt operam anno 897. Richarius, anno 945. Albertus & Anno

 1045.

1045. Engelbertus, omnes isti Patavinæ Ecclesiæ in Norico Episcopi, continuâ tamen Barbarorum irruptione præpediti, pium, quem læti conceperunt affectum, nunquam redigere potuerunt in effectum. Videns igitur, qui tum in Petri Cathedrâ sedit Alexander Papa II. quævis jura Ecclesiæ S. Floriani (ob nimiam loci distantiam) à se aut suis in sede Romana Successoribus sarta tecta conservari vix posse, eam loci Ordinario regendam, defendendamque cum omnibus juribus ac pertinentiis obedientialem tradidit. Commodè tunc sub annum circiter 1067. dictæ Ecclesiæ Pataviensi præfuit S. Altmannus, vir Sanctitate vitæ celebris admodum & famosus, & antehac Paderbornensis Ecclesiæ Cathedralis Regularis Canonicus, ùt infrâ V. *Paderbornensis* dicetur, qui tantâ pietate ac solicitudine Florianensis Ecclesiæ curam suscepit, & amplexus est, ut non solùm reædificarit devastatam, sed insuper (bonis illius hactenùs iniquitate temporum diversimodè perditis, omnino feliciter recuperatis) de propriis reditibus eam constituerit ampliùs dotatam. Cum autem præfatus Antistes S. Altmannus Clericos inibi subsistentes licentiosam nimìs vitam agere deprehendisset, totâ, qua dignè fungebatur, Authoritate Apostolica illo loco motis, substituit Canonicos Regulares seu viros Religiosos, Regulam & institutum S. P. Augustini professos, consecratâ simul per eum personaliter cum quinque Altaribus Ecclesiâ, cujus omnia jura, possessiones, & privilegia priùs habita legitimè confirmavit, novisque de benignissima liberalitate sua (ut antè dictum est) censibus ac reditibus favorabiliter auxit: item Hartmannum virum in sanctâ conversatione legitimè comprobatum in primum loci Præpositum ordinavit, ac demùm de omnibus aliis ita providit, ut non modò bonus Pastor, sed & novus etiam fundator jure merito sit nuncupandus. Accidit autem vertentibus annis, quòd fortuito quodam casu ignis devorans tecta Ecclesiæ succenderit, iisque in cinerem redactis, non modico eam damno affecerit, quapropter supremus, qui tum rebus præfuit Rector seu Prælatus ruderibus, quæ superaverant, exutis, solo æquatis, novo decore magìs augustam inædificare totis viribus intendit. Cœptum est opus magnificè, verùm primà statim nocte consummatam Chori fabricam insequente, Materiariis vix ab opere diurno digressis, omne ædificium recens constructum (dejectionem prioris structuræ à Viro tam sancto apparatæ cœlo improbante) subito casu totum ruit; quare Domini æquè ac Servi seu operarii tam potestate supernâ confusi, quàm ob ærarium exhaustum prohibiti, vel inviti coacti sunt relinquere opus imperfectum, Religiosis loci Inquilinis ad totos quadraginta annos interim domo abesse compulsis, principaliter verò ob turbatam Pacem publicam, & communem annonæ seu rerum inopiam, ex devastatione latifundii generatam; dum nempè sub id temporis Rudolphus I. Romanorum Rex universam Austriam ditioni suæ potenter subegit, quibus tamen malis non obstantibus, avidissimum piorum aliquod (quorum Deus corda tetigerat) desiderium animos incessit, qui sollicite cogitarunt, & consilium fecerunt in unum de ruinâ Ecclesiæ simul ac Collegii Florianensis quantocyùs restaurandâ, hinc tecta alii & muros, item alii fenestras & picturas suis sumptibus facere compromiserunt, & sic intra justum quindecim annorum decursum totam utriusque sacri ædificii molem, de specialissimo Dei adjutorio, ad suum denuò perduxerunt fastigium. Acta sunt autem hæc dum ad clavum sedit Venerabilis Dei Sacerdos & Antistes Udalricus de Patnanger ad S. Florianum Præpositus numerô decimus quintus, idem ampliùs laudandus infrà, qui singulari divini honoris Zelo succensus, anxius hæsit, & sagaciter inquisivit de celeberrimâ Ecclesiæ structurâ consuetis ritibus quantocyus inaugurandâ. Hujuscemodi ergo Solemniis ad 18. Calendas Julias anno 1340. indictis, & à Bernardo supremo Antistite Pataviensi per litteras Episcopales à Bavaria in fines Hungariæ usque latissimè denuntiatis, infinita quasi fidelium multitudo (non tam ob Dedicationem Ecclesiæ ab ipso Episcopo personaliter faciendam, quàm Clericorum ordinationem & publicam pœnitentium reconciliationem simul peragendam) advolavit; quorum numerus copiosissimam centum millium frequentiam longè superavit. Cùm igitur pridie statutæ Dedicationis circa horam Vesperarum memoratus Ordinarius advenisset, volens ipse primò consulere notæ devoti fæminei sexus debilitati, sejunctis (ne fortè importuno masculino robore in tanto Popularium concursu à sua pietate concepta præpedirentur) à toto virorum consortio mulieribus, optatum sacræ reconciliationis diem ipsis assignavit à primis diei vesperis usque manè crastinum totaliter impendendum; at plurimi Viri vulgares justò nimiùm zelosi, quasi id ægrè ferentes (districto Episcopi mandato neutiquam attento) importuna vi & numero fæminarum cumulum in tantum augmentarunt, ut undecim ex illis (ob nimiam incursantium importunitatem) in ipso ingressu, seu, ut vocant, templi vestibulo fuerint suffocatæ; quarum tamen inanimata corpora tanquam verè pœnitentium, & pro pœnitentia quasi martyrium passa in Ecclesia S. Floriani recens consecrata (servatis ex ritu Ecclesiastico servandis) fuerint tumulata. Postridiè nefando hujuscemodi malo non tam procul avertendo, quàm prudenter præcavendo, præhabita desuper maturâ deliberatione consultò visum

visum est, cum cæteris pœnitentibus in apertum procedere campum, atque ibi sub Dio omnes & singulos, quotquot accurrerant, juxtà consuetum Ecclesiæ ritum expiare pœnitentes: quibus absolutis & expeditis, Episcopus cum tota promiscuæ plebis catervâ ad Ecclesiam reversus illam Deo, Deiparæque Virgini Mariæ, Sanctis Angelis, Cœlitibus omnibus, specialiter verò cum omni devotione ac reverentia consecravit sæpefato Martyri S. Floriano, quarto nonas Maji Sanctorum fastis adscripto, qui statu & dignitate sua Eques Pannonius & Noricorum militiæ Præfectus in Zenselmaur habitasse scribitur, unus ex primis Norici & Pannoniorum Apostolis Laureacensi Ecclesiæ concionatus est; sed quibus & quot annis, sciri non potest. Martyrio coronatus legitur circa annum 303. sub Aquilino Diocletiani Præfecto, ac Militum Tribuno (aliis Aquila nuncupato) in Anasum fluvium præcipitatus; cujus in honorem pervetustum delubrum conditum est, ex quo postea successu temporum, quod hodiedum perstat celeberrimum Canonici Ordinis S. Augustini Monasterium à S. Altmanno Episcopo Pataviensi reformatum, subinde verò à Serenissimis Austriæ Principibus abundè locupletatum &c. Tertia die solemnis habita fuit Ordinatio Clericorum, ac tandem quarta Virginibus Deo devotis sacra vela fuerunt imposita, quæ omnia qualiter festivam Dedicationis diem reddidere celebrem admodùm atque omnibus gratam, taliter hodiedum jucundam illius recommendant memoriam etiam Posteris quandoque regerendam. Cùm igitur Deus ter optimus Maximus Ecclesiæ S. Floriani, & adjuncto Canonicorum Collegio illius usque in hæc tempora singulariter benedixerit, novissimè tandem in diebus nostris pro debito submissæ gratitudinis monumento prioribus templi Florianensis fundamentis omnino sublatis, novisque ad majorem Dei gloriam positis augusta magis alia adornata fuit structura, contuentibus omnibus insolita prorsus majestate sua supra modum admiranda. Observandum autem hic unà cum novis mœnium fundamentis neutiquam quoque sublata fuisse veneranda priscæ pietatis vestigia, suo namque in statu & forma priori tota quanta manet illa (quæ S. Floriano Martyri Sepulturæ locus fuit) crypta subterranea, seu Sacellum, in quo ossa cruce signatorum suprà memorata, non tam venusto ordine suo quàm condigno honore manent asservata. Item Beatæ Valeriæ corpusculum, quæ per visum admonita, eundem Christi Martyrem dicto in loco sepelivit, integrum adhuc habet suum loculum.

Denique quamvis innumeris temporum calamitatibus & injuriis Canonia S. Floriani fuerit impetita, nihilominus tamen, divinâ favente gratiâ, eò felicitatis pervenit, ut non modò complura Privilegia Rudolphi Primi hujus nominis ex Comitibus Habspurgicis Romanornm Regis ac Austriæ Ducis plenissima authoritate fuerint confirmata, verum etiam successu temporis novis & novis à Successoribus ex Serenissima Domo Austriaca sit locupleta, quæ omnia novissimis temporibus nostris insigni Diplomate munificentissimè confirmavit Leopoldus I. felicissimæ recordationis Romanorum Imperator, Hungariæ, Boëmiæ Rex Archi-Dux Austriæ &c. Et in primis Florianensis Canonia hæc plenum in subditos suos habet dominium, itaquidem, ut Coloni eidem subjecti à quovis alio Dicasterio seu judicio forensi maneant exempti, ac immediatè de omni causâ, quæ in prædiis, Collegio Florianensi subditis, contigerit, soli Præposito, ejusdemque Officialibus liceat cognoscere, nec non de cognitis definire. Item gaudet Exemptione bonorum sive per terras, sive per flumina vehendorum ab omni telonio, seu (uti vocant) mautâ per omnes Provincias Austriacas solvenda. De mortuo Præposito, Religiosi Ecclesiæ hujus Canonici plenissimâ pollent facultate de proprio gremio novum deligendi Successorem. Mitrâ Præsulari utitur Præpositus ex indulto Apostolico, seu Summi Pontificis de anno 1482.

Parochiæ, quibus continuò per hujus loci Canonicos providetur (filialibùs exceptis) sunt numero viginti & una, quæ omnes unà cum filialibus in perpetuum debita jurium solennitate Matrici Florianensi manent incorporatæ. Ultimò tandem Canonia hæc cum Lateranensi unita & identificata manet; cujus Confœderationis vi & virtute æquè in temporalibus ac Spiritualibus, non minùs ac ipsi Lateranenses Canonici, gaudet juribus & privilegiis, quâ super Confœderatione Confirmatio ab Innocentio Papa XII. vivæ vocis Oraculò clementissimè proclamata, ut & quorumvis omnium & singulorum privilegiorum ac jurium luculentissima in Domestico Archivio Florianensi prostant instrumenta.

Series

Et Ordo Prælatorum Collegiatæ Ecclesiæ Canonicorum Regularium Divi Augustini ad S. Florianum ab anno gratiæ humanatæ 1071. *usque* 1715.

I. Hartmannus morum pietate sanctaque conversatione commendatissimus, restaurati seu potiùs sub titulo ac patrocinio S. Floriani Martyris à B. Altmanno Episco-

po Patavienſi Neo-fundati Collegii primus Præpoſitus, ab eodem ſanctiſſimo Antiſtite Authoritate Ordinaria conſtitutus; præter complura alia Beneficia in novam fundationem iſtam recens collata, etiam Parochiam in cujus diſtrictu Collegium S. Floriani fundatum fuit & inædificatum, cum omnibus appertinentiis tam Eccleſiaſticis quàm Politicis ex pia donatione ejusdem Fundatoris in perpetuum poſſidendam obtinuit, & ſicuti digniſſimus Cœnobiarcha ſat magno Eccleſiæ ſuæ incremento univerſim præfuit, ita ſimul etiam laudatiſſimè profuit annis 28. demùm cœlis receptus anno 1099.

II. Iſinbertus non tam religione quàm prudentia ſimul, ac gratiſſima oris facundia præcellens admodùm & inſignis, electus anno 1099. & ab Udalrico ab Hefften ſanctæ memoriæ Patavienſium Epiſcopo confirmatus, quævis jura ac privilegia per S. Altmannum quomodolibet indulta, nova Confirmatione reiterans, procuravit, imò & alia quoque inſuper obtinuit, præſertim traditionem trium aliarum Parochialium Eccleſiarum, nimirum Cellæ B. Mariæ in Waldkirchen, item S. Petri & tertiam S. Joannis, Regulari Eccleſiæ S. Floriani per Epponem Comitem pientiſſimè factam, debito juris modo roborari fecit, Rexit admodùm laudabiliter annis 24. ac tandem plenus dierum in Domino requievit anno 1123.

III. Dietmarus I. electus anno 1124. mox ab Epiſcopali Confirmatione ſua quasvis immunitates & privilegia usque hactenus indulta, à Reggimaro Patavienſium Epiſcopo, ut & à Regemberto in eadem Sede Succeſſore proximo novâ Confirmatione ſtabiliri fecit, quibus & alia nova ſuperaddi fecit. Paternè præfuit annis 28. & cum communi bonorum omnium comploratu vitam liquit temporalem anno 1152.

IV. Henricus I. electus anno 1153. & à Conrado Patavienſis Eccleſiæ Summo Hierarcha digniſſimo (cui ob præclaras corporis & animæ dotes unicè charus fuit & dilectus) ritu ſolemni confirmatus, generalem quorumvis S. Floriani jurium Confirmationem feliciter obtinuit, cujus etiam Regularis Antiſtitis iſtius, perdurante Regimine, Religioſa Canonia S. Floriani feliciter obtinuit donationem & incorporationem geminæ Parochiæ S. Michaëlis in Wachoviâ nuncupatæ, & alterius cujusdam in Spiz appellatæ, pleniſſimo jure factam, in piam dotem accepit, itaque idem ter Venerandus Præſul dum annis 18. ad clavum ſedit, vitam terreſtrem cum morte commutavit anno 1171,

V. Engelbertus electus anno 1172. mox à Confirmatione ſua à Diepoldo (aliis Theobaldo) ſupremo Antiſtite Patavienſi gratioſè collatâ, ad inſtar Prædeceſſorum ſuorum quævis S. Floriani jura & privilegia reſtabiliri ſollicitus inſtitit, ſimul ac feliciter obtinuit, iisdemque tutò conſervandis diuturno, triginta ferè annorum, decurſu inceſſanter adlaboravit usque ad mortem ſuam, quam fatis urgentibus oppetiit an. 1202.

VI. Otto electus annn 1203. & à Manegoldo Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopo ritè confirmatus, diverſas complurium bonorum donationes ſimul ac jura, ſeu etiam privilegia iisdem annexa à devotis quibusdam Sereniſſimorum Principum Leopoldi Ducis Auſtriæ, ac Ludovici Ducis Bavariæ Miniſterialibus Eccleſiæ Florianenſi devotiſſimè collata & oblata; lætabundus ſuſcepit, atque in gratam dictorum Principum memoriam nova confirmari, conſolidari fecit humaniſſimus Præſul iſte ſummis, infimisque unice pergratus, & acceptus, dum terris devixit anno clauſtralis ſui Regiminis 13. Chriſti verò 1216.

VII. Altmannus anno 1216. electus, & ab Udalrico hujus nominis ſecundo Patavienſi Epiſcopo, authoritate ordinaria confirmatus, continuo in Præſulari adminiſtratione ſua pervigil, & alacer conſtitit, quousque ſenecta ætate feſſus, & corporalibus viribus exhauſtùs, terris defecit ſub annum 1232.

VIII. Bernardus electus anno 1232. & ab Ordinario ſuo Rudigero à Rudeck canonicè confirmatus, ſpecialiter commendatur in tabulis de œconomia non tam laudabiliter quàm utiliter adminiſtrata, dum nempe diverſa quædam prædia ſeu latifundia ſollicitè coëmit, ſed & Sacellum quoddam, Spiritui ſancto intitulatum, novum è fundamentis erexit; quod dum præfatus Rudigerus de more ſolemni conſecravit, nocte proximè ſequenti fatalis ignis incuria familiæ ejusdem Epiſcopi fortuito ſuſcitatus, illud totum miſerrimè deperivit, cum quo eodem omne ferè ædificium Collegii Florianenſis in cineres abiit. Cæterùm ipſe Bernardus Præpoſitus munus ſuum piiſſima converſatione conſtanter adimplevit annis 9, & fatis urgentibus conceſſit anno 1242.

IX. Dietmarus II. ex Archi-Diacono Eccleſiæ Laureacenſis anno 1242. ad Prælaturam S. Floriani canonicè promotus, & à Rudigero antedicto ſolemniter de more confirmatus,

matus, plenariam exemptionem à quovis Judiciali Dicasterio extraneo & Provinciali pro suo S. Floriani Collegio feliciter obtinuit, ac iteratam quoque confirmationem quorumvis privilegiorum, quæ jam pridem à Magnatibus, sed vel maximè à Principibus Austriacis jam olim clementissimè fuerunt indulta. Præfuit æquè laudabiliter, ac satis utiliter annis 7. & ad plures abiit anno 1249.

X. Arnoldus I. electus anno 1249. & à Rudigero Pataviensi Episcopo antè nominato, de more solemni confirmatus, mox à principio Prælaturæ suæ adeò fuit prosperatus, dum scilicet B. Valeria sanctissima Matrona illa, quæ in diebus suis per visum admonita in isto S. Floriani fundo corpus ejusdem S. Martyris sepelivit. Ossa Sacri corporis à corruptibili carne soluta, & vino abluta, suaviterqne redolentia per eundem ipsum Arnoldum Antistitem in Basilica S. Floriani ad aram S. Crucis sub Sarcophago venerabiliter fuerunt recondita. Rexit annis 7. & cum Patribus suis in Domino requievit anno 1256.

XI. Dietmarus III. electus anno 1256. & ab Ottone de Lonstorff seu Lenstorff, Ecclesiæ Pataviensis Episcopo ritu solemni confirmatus, in tristissima illa incidit tempora, quibus tota S. Floriani Patria, seu universa Austriæ Superioris Provincia plurimis calamitatibus fuit attrita; queis tamen hujuscemodi miseriis omnibus neutiquam attentis, ipse Dietmarus ad communem Canoniæ suæ salutem multâ sollicitudine nihil non egit, quoad terris supervixit, ac demùm in pace requievit anno 1265.

XII. Arnoldus II. anno 1266. electus, simul & de more confirmatus, perdurante quinquenni suo regimine duas intra suam S. Floriani Basilicam inædificari fecit Capellas novas, quarum prima Divæ Virgini Deiparæ, altera verò S. Catharinæ Alexandrinæ Virgini & Martyri ritu solemni fuit inaugurata. Decessit ipse Arnoldus omni tempore suo de pace & quiete publica semper & ubique constantissimè servanda, in Actis publicis oppido laudatus, seu commendatus anno gratiæ 1272.

XIII. Conradus Religiosa pietate præcipuus, post electionem suam anno 1272. canonicè celebratam, herculeo ausu cœpit ingentem novæ Florianensis Ecclesiæ structuram, & ab Ordinario suo Petro Pataviensi Episcopo, tum etiam à Metropolitano seu Salisburgensium Archi-Episcopo, item à Bertholdo Præsule Herbipolensi, nec non à Leone Ratisbonensi Episcopo quàm plures impetravit Spirituales gratias seu Indulgentias, Ecclesiam S. Floriani devotè visitantibus. Claustrale regimen suum ad quinquennium protraxit, ac piè in Domino requievit anno 1277.

XIV. Ulschalcus electus anno 1277. eodemque tempore simul à Godefrido Summo Antistite Pataviensi ritè confirmatus, quasvis immunitates, jura, ac privilegia etiam jam antiquo collata nova eorundem iteratione à Rudolpho Habspurgico Rom. Imperatore fecit comprobari, ac stabiliri: Cæterùm optimus Præsul iste dum sexennio sat providè præfuit, terris valedicens, carne mortali resolutus decessit anno 1284.

XV. Udalricus de Patnanger electus anno 1285. & ex potestate Ordinaria Bernardi Pataviensis Episcopi confirmatus, ab eodem suscepit Parochiam in *Ried* nuncupatam, eamque de prævio & unanimi consensu totius Cathedralis Capituli Pataviensis, Canoniæ S. Floriani gratiosè donatam. Novam item Florianensis fabricam, complaudentibus omnibus, gloriosè ad summum fastigium perduxit, Dedicationemque ejus solennimam, & aliis retrò sæculis vix auditam celebrandam instituit. Cæterùm sub hujus ejusdem Udalrici perdurante regimine Wilpurgis sacra Virgo (cujus jam suprà meminimus ejusdemque vitam nuper typis apparatam ad manus habemus) Religiosum habitum, & Professionem S. P. Augustini magnis desideriis induta, in humili quâdam cellulâ suprà fornices Ecclesiæ extructâ pientissimè commorans, jam in vitâ thaumaturga è vivis excessit, cujus tenue corpusculum sub eminenti marmore ad aram S. Cunegundis Imperatricis condigno honore reponi ipse Udalricus sollicitè constituit, quibus expletis, & ipse in terream perpetuæ mansionis suæ domum humanâ carne resolutus emigravit anno 1298.

XVI. Ainwicus prætacto anno 1298. electus, & ab eodem Bernardo antedicto, ceu Ordinario suo, ritè confirmatus, grande satis obtinuit privilegium cunctis posteris gratâ memoriâ continuò retinendum, cujus vigore nimirùm ipse Ainwicus Præpositus, uti & Successores illius omnes & singuli queisvis Parochiis Matrici Eccleßiæ S. Floriani subditis, de posthac pro libitu præficere possint Religiosos sui Ordinis Clericos sive Curiones sæculares. Benè rexit universim Venerabilis Præpositus iste annis 14, & in Domino placidè sopitus, vitæ Spiritum exhalavit anno 1313.

XVII. Henricus II. electus, & inter Antistites Florianenses à Bernardo jam toties memorato, jam tertius anno 1313. authoritate ordinaria confirmatus, in diebus suis ad Collegii januam, ubi olim Monialium Claustrum fuerat, Hospitale extruxit infirmorum, quod plurimis bonis abundè ditavit; impetratâ super hujuscemodi fundatione suâ ab Alberto Episcopo Duce Austriæ (aliis Saxoniæ) luculentâ Confirmatione. Tres item sonoras admodùm campanas idem Vigilantissimus Præsul iste pro summâ turri Florianensi fieri curavit, & dum sic inter suos honoratissimus septennio præfuit, vitæ mortalis metam attigit anno 1320.

XVIII. Bernerus electus anno 1320. ab Alberto II. Pataviensium Episcopo feliciter obtinuit Confirmationem tam pro canonica Electione de se factâ, quàm pro litterariis Canoniæ suæ juribus, ac privilegiis in scripto datam; Cæterùm sagacissimus iste Præsul toto tempore quo ad clavum sedit, rebus S. Floriani continuò benè gerendis intentissimus, demùm anno sui regiminis nono debito naturæ concessit anno 1329.

XIX. Henricus III. cognomine Biber dictus anno 1330. electus, & ab Alberto Ordinario suo antedicto ex more ritu solemni confirmatus, omne tempus regiminis sui in Religiosa pace constantissimè traduxit, & demùm mortuis accensus anno 1350.

XX. Weigandus, sive Wigandus Mosinger taliter cognomine suo dictus, anno gratiæ 1351. electus, & à Godefrido summo Antistite Pataviensi confirmatus, Principi terræ unicè charus quàmplurimùm ab eo pro Florianensi Collegio suo nactus est privilegia, quæ inter etiam speciale tale quoddam obtinuit, quòd à nullo Vinitorum vina sine receptione signorum possint abduci. Item aliud quoddam in eâdem causâ privilegium, quo conceditur, & datur facultas vina, & quævis alia in usum Canoniæ S. Floriani necessaria sine ulla exactione telonii, sive (uti vocant) mautæ tam flumine quàm terrâ hinc inde vehendi. Porro idem Weigandus Præpositus Principi suo Rudolpho Austriæ Duci antedicto privilegiis exhibuit, Laureacum (Provincialem hodie Austriæ Superioris civitatem) ad Collegium S. Floriani adspectâsse, ceu propriam. Quapropter ab Eodem Serenissimo Duce in qualemcunque saltem recompensationem aliquam acquisivit Castrum Spilberg (reservato tamen in Stain telonio) de posthac in omnem proprietatem possidendam. Novum itidem Sacellum quoddam ipse Weigandus erexit, in quo demùm à mortè depositus fuit, dum plenus dierum tandem emigravit anno 1372.

XXI. Albertus electus anno 1373. eodemque decurrente authoritate ordinaria confirmatus, & nunquam non ab Eodem Alberto Patavino Episcopo benignè habitus, quædam etiam nova privilegia feliciter obtinuit. Præter quæ ab Alberto II. (qui cognomento *Sapiens* inaudiit) Austriæ Duce plenissimam pariter impetravit quorumvis privilegiorum innovationem simul ac confirmationem. Cæterum ipse Albertus iste noster mortuis aggregatus anno 1388.

XXII. Jodocus Pernschager electus anno 1388. & à Georgio ex Comitus ab *Alta flamma*, seu de Hohenloh Pataviensis Ecclesiæ Episcopo authenticè confirmatus, singulari morum pietate simul ac humanitate in quosvis obvios abundanter demonstrata claruisse perhibetur; Idem Religiosorum Fratrum ac Filiorum suorum nunquam non amantissimus, & dispensator fidelis super omnia; quo singulari encomio commendant eum ipsi antiqui characteres, ad ostium monumenti ipsius hodiedum legendi. Verè paternè præfuit annis 29, & ingenti sui desideriô passim apud omnes relicto, à Domino vocatus emigravit anno 1417.

XXIII. Casparus I. cognomine Seysendecker appellatus, electus anno 1417. & pio favore Leonardi Laiming Pataviensis Episcopi ritè confirmatus, præstitit annis 19, & ad plures desuper vocatus, obiit anno 1436.

XXIV. Lucas Fridensteiner de Maur electus anno 1436. itidemque à memorato Principe & Episcopo Leonardo confirmatus, Prælaturæ suæ munus dignè gessit annis 23. & inter alia sui regiminis memorabilia novum quoddam in Ecclesia S. Floriani construxisse perhibetur Altare, Curiæ Cœlestis Archistratego S. Michaeli Archangelo sacrum, & decessit morte naturali anno 1459.

XXV. Stephanus de Zeingraben genere nobilis anno 1459. in Præpositum S. Floriani delectus, & ab Udalrico à Nusdorff Supremo Præsule Pataviensi confirmatus, admodùm laudatur specialiter dilexisse decorem Domini, unde & in propria sua S. Floriani Ecclesia renovavit sacra Altaria, sanè ad majorem Dei ac Divorum gloriam plura præstiturus, nisi mors intempestiva ei vitam citiùs ademisset, qui fatis extinctus diem suum obiit anno 1460.

XXVI.

XXVI. Joannes cognomine suo Eriger dictus, anno 1460. electus, eodemque decurrente gratia Udalrici à Nussdorff Patavienfis Episcopi ritè confirmatus, ambonem sive cathedram in propria sua S. Floriani Ecclesia magnis sumptibus de novo constituit, qui & demùm nono sui Regiminis anno à morte sua tumulatus terris disparuit anno 1469.

XXVII. Casparus II. electus anno 1470. & eodem percurrente sacro ministerio Udalrici Patavienfis Episcopi suprà dicti confirmatus, inculpatæ vitæ morumque integritate spectabilis admodùm continuò præstitit, juxta quoque bonum commune Collegii Florianensis nunquam non strenuè promovit, maximè verò inter alia Sacellum *Omnium Sanctorum* intitulatum, novum è lapidibus quadris magnis sumptibus exaravit, aram principem in choro raro decore, id temporis nemini non mirando, novam constituit, nec non & alia numero novem altaria in templo Florianensi, hinc inde suo ordine collocata, & sic quidem non tam pro majore rerum sacrarum splendore, quàm pro Convenarum Christianorum in divinis fervore. Idem etiam dignissimus Antistes, & sacri Ordinis sui Zelotes eximius, ad instantiam Principis terræ, qui pro tempore fuit Fridericus IV. Romanorum Imperator, Hungariæ & Boëmiæ Rex Archidux Austriæ &c. à Sixto Papa IV. speciale quoddam obtinuit, queisvis Canoniæ Florianensis Inquilinis ac simul etiam Posteris eorum de posthac utendi Religioso habitu coloris brunei seu brunatici privilegium. Demùm ipse Casparus Præpositus calamitatibus publicis passim in dies accrescentibus, Religiosa quiete amplius gaudere prohibitus, clàm sese subduxit & ruri latens secus Anasum fluvium silenter in Domino requievit, cujus tamen exanime corpus ad propriam Canoniam delatum, congruo honore tumulum accepit anno 1481. dum universim dignè præfuit annis 11.

XXVIII. Petrus Sigardt I. electus anno 1481. & eodem adhuc perdurante initiatore Friderico Maurkircher Principe & Episcopo Patavienfi confirmatus, insistentibus adhuc funesti belli turbulentiis vigilantissimus Neo-Præsul iste primo statim sui regiminis anno Florianense suum Collegium antemurali cinxit, &, quod res est, de recensitis hactenus Canoniæ hujus Præpositis ipse pro meritis suis omnium primus Authoritate Sedis Apostolicæ mitrâ Præsulari, & cæteris insigniis Pontificalibus hujuscemodi dignitati cohærentibus, solemniter fuit investitus, & exornatus, nobilissimo insuper hujuscemodi privilegio ad perpetuos Successores derivato, quod gratâ sanè memoria dignissimi Præsulis istius recolendum. Cæterùm biennio solum ad clavum sedit, & terris emortuus Successori locum liquit anno 1483.

XXIX. Leonardus anno 1483. electus, eodemque etiam perdurante à Friderico suprà dicto Authoritate ordinaria confirmatus, ob terrificos bellorum motus nondum undequaque sopitos, promurali ante memorato duo supperaddi fecit nova etiam propugnacula. Porrò Zelum Religionis in Vigilantissimo Præposito isto, quoad ipse supervixit, oppidò flagrantem satis apertè monstrant & attestantur publica monumenta, in testimonium posteris relicta, quæ sunt inprimis nova quædam rari decoris Capella, in templo S. Floriani magnis impensis apparata, tum etiam horologium, Officio divino secundùm tempora sua ordinatè persolvendo deputatum, nec non & alia ornamenta Sacra rebus sacris ritè conficiendis oppidò necessaria. Præfuit annis 25, & in fata declinavit anno 1508.

XXX. Petrus II. Patritius Florianensis anno 1508. electus, & authore Friderico ex Comitibus Oettinganis Principe & Episcopo Patavienfi confirmatus, pro majore Collegii sui tutela refugio, sed veriùs ad illud ipsum magis exornandum, varias novas apparavit structuras; siquidem in templo S. Floriani pretiosum quoddam Organum sat magno pretio confectum instituit, uti & novum quoddam admirandæ pulchritudinis Altare (cujus picturas hodiedum æquè mirandas ac venerandas pia Posteritas asserit) multo satis ære plusquàm nobiliter apparatum fieri fecit, plura quoque rei familiari conducibilia congenita industria sua coëgit; tandem senecta ætate fessus, tribus ante obitum suum mensibus gubernaculis ultrò cessit, ex quo hactenus totis 38. annis inter prospera & adversa sagaciter rebus omnibus benè gerendis attendit, ac demùm diem suum obiit anno 1546.

XXXI. Florianus Muth vivo adhuc (uti dictum est) Petro anno 1546. in Præpositum delectus, eodemque adhuc anno authorante Wolfgango è Comitibus à Salm Pontifice Passavienfi de more confirmatus, genere suo Florianensis Oppidi Patritius multarum virtutum genere nobilis, & præsertim à Virginea Castitate commendabilis toto perdurante regimine suo omnem fastum & pompam sæcularem constanter exosus, etsi ad externum Canoniæ suæ splendorem perfecerit pauca, juxta tamen debita etiam grandia, cogente nimium jam suprà memorato bellorum disturbio, utcunque contracta merissimè

mè diluit, ac quævis bona immobilia, fortè oppignorata, ære proprio in totum redemit. Præfuit admodùm laudabiliter, an magis dicam? utiliter ferè ſeptennio, & in bona pace requievit anno 1553.

XXXII. Sigismundus itidem Patritius Florianenſis natus, electus anno 1553. à Wolfgango loci Ordinario, ſeu Paſſavienſi Epiſcopo ritè confirmatus, noſocomium quoddam penès Eccleſiam S. Joannis Baptiſtæ magnis ſumptibus in uſum pauperum & egenorum novum è fundamentis liberaliter erexit, nec non & alia pro publico Canoniæ ſuæ ac rei familiaris augmento præclarè plurima geſſit. Præfuit annis 19. & diem ſuum obiit anno 1572.

XXXIII. Georgius Freuter de proprio gremio S. Floriani, cui hactenùs cum titulo & officio Decani laudatiſſimè præſedit, ſuffragantibus omnium votis ad Prælaturam promotus, & ab Ordinario ſuo Urbano Freibach, Principe & Epiſcopo Paſſavienſi ritè confirmatus, etſi perdurante regimine ſuo Principi Terræ ſeu Rudolpho II. Romanorum Imperatori, Hungariæ ac Bohemiæ Regi, Archiduci Auſtriæ &c. contributiones ac cenſus perſolvere compulſus fuerit maximos, ac graviſſimos, imò hactenùs inauditos, juxtà tamen in pios uſus pro conficiendis ornamentis Eccleſiaſticis, ad majorem officii divini ſplendorem pariter magnam adnumeravit peculii ſummam, utpote valdè pretioſis, aureis, argenteis, ſericis &c. In reficiendis deficientibus ſedulus, in extruendis fabricis novis ſolers fuit. Inter alia quibus Religioſam Prælaturam ſuam admodum illuſtravit ſuopte ingenio, Canoniæ huic in corpore collis ſituatæ, aquæ ductum maximis ſumptibus apparavit, quotidianis rei familiaris uſibus apprimè neceſſarium, atque iſtum ipſomet Reverendiſſimo Præſule Georgio authore & inventore, mirò artificiò confectum, nec minùs etiam Xenodochium ad Collegii valvas, antiquò dirutò, è fundamentis erexit, & templi porticum ligneis circumcirca tabulis picta deſuper tota Paſſione Domini, non ſpernendo penicillo, adornavit. Omnibus denique in ſuo Regimine præclarè geſtis, poſtquam præfuiſſet annis 25. fidelis & prudens diem ſuum obiit anno 1598.

XXXIV. Vitus, Widmann cognomine dictus, anno ſæculari ex Parocho Vöcklapontano in inferiore Auſtriâ poſt bienne interregnum (electione ſolitâ diverſis Patriæ motibus & calamitatibus publicis interim ſeverè prohibitâ) ad regimen Prælaturæ vocatus, & authoritate ordinariâ confirmatus, præ reliquis officii ſui negotiis totâ Religiosâ induſtriâ ſuâ continuò peregregiè fovit Eccleſiam ſibi creditam, cujus ad ampliorem decorem præſtantiſſimum quoddam de novo apparari fecit organum; tum quod res eſt, Nobiliſſimus Antiſtes iſte ob quàm plures, quibus admodùm excelluit corporis & animi dotes à ſelectis Provinciæ Statibus itidem in talem ſeu (uti vocant) Deputatum aſſumptus, quod idem munus ad communem imò & majorem totius Provinciæ utilitatem toto octenniò laudatiſſimè geſſit, diutiúſque haud dubiè geſſiſſet, niſi immanes Parcæ longiorem hujuſcemodi honorem ſimul, & vitam præter ſpem citiùs ademiſſent, ſiquidem duodecimo ſui regiminis annô morte inopinâ ſublatus, piiſſimè in Domino requievit anno 1612.

XXXV. Leopoldus, cognomine Zehetner dictus, ex forenſi ditione S. Floriani progenitus, anno 1612. electus, eodémque adhuc perdurante ab Ordinario ſuo confirmatus, usque in finem vitæ, ac regiminis ſui pluribus titulis digniſſimè, laudatiſſimè præſtitit; ſiquidem hujus Viri totam in omnibus excellentiam ſtupere potiùs, quàm enarrare fas eſt. Eximiæ inprimis fuit prudentiæ, ac Religionis in Deum non inferioris. Hinc Religioſæ diſciplinæ Zelator erat integerrimus, ſed & Religioſorum Con-Canonicorum ſuorum Pater amantiſſimus, item unicè Pater pauperum, Viduarum, & pupillorum commune aſylum. Bonum publicum adeò amavit, adeò curavit, ut privato ſemper poſthabito illud procurârit ſimul, ac prætulerit. Quapropter jure merito, communi, & Provinciæ Procerum, & apertiſſimâ Populi voce talis inaudiit, ac per univerſam regionem acclamatus fuit. Intra dilapſum octodecim annorum ſpatium ob congenitam ſimul, & admirandam rerum gerendarum prudentiam, Provinciæ Statuum Deputati Ordinarii munus ternis vicibus mirâ ſagacitate, conſilio, & induſtriâ per omnia laudatus adminiſtravit; concreditum ſibi ſuum S. Floriani Collegium à maximâ æris alieni ſummâ, fortè ab Anteceſſoribus relictâ, in totum deobligavit, ac redemit, &, quod jure mireris, etiam ampliùs peregregiè locupletavit novis cenſibus, ac reditibus, ex gemino dominio Ried, & Marbach grandi 50. mille florenorum ſummâ recens coëmpta de poſthac ſublevandis. Satis magnificam tam pro Præpoſituræ, quàm Religioſorum Canonicorum domicilio fabricam magnis ſumptibus erexit, Suum S. Floriani templum utcunque demum aliqualiter deterioratum in formam, quam potuit, ſplendidiorem reſtituit, altaria ſex nova in eodem erigens, & ſacrarium paramentis (uti vocamus) multis ac variis, uti

uti putà holosericis argento, auróque multifariam intextis, gemmísque pretiosè satis exornatis, calicibus, imaginibus, candelabris, & quæ sunt alia, in omnimodum rerum sacrarum splendorem aptis, & desideratis abundè ditans. Bibliothecam instructissimam apparavit, omnia demum Florianensis Canoniæ suæ benè fecit. Juxtà quoque Principi terræ, ut putà Augustissimo Romanorum Imperatori Ferdinando II. item etiam proximo ejusdem Successori Ferdinando III. gratissimus fuit, à quibus tanti habitus, ut sæpiùs eundem hunc Religiosum Prælatum Leopoldum in arduis Provinciæ negotiis per litteras consuluerint, eíque complura juxtà proprium sentire decidenda commiserint ac demandârint. Leopoldo etiam Archi-Duci Austriæ & Passaviensi Episcopo magnoperè charus habebatur. Præ cæteris tamen omninò non charissimum sibi fuisse Leopoldum hunc S. Floriani Præpositum contestatus est Ferdinandus III. antedictus Romanorum Imperator, qui fatali senectutis potius, quàm alterius accidentis morbo laborantem Lincio ad S. Florianum eundem visitatum venit, & clementissimo dignatus est alloquio consolari; tantus sanè in respectu Principum, quantus in amore Subditorum. Tandem plenus dierum usque ad mortem amantissimus charissimorum Religiosorum Fratrum ac Filiorum, imò & totius Patriæ currente anno 1646. die 30. Sept. piissimè in Domino requievit, postquam (uti ex dictis apertissimè liquet) præfuisset annis 34. cujus memoria apud S. Florianum nunquam intermorietur.

XXXVI. Mathias, cognomento Gotter, natione Boëmus, patriâ Crumloviensis anno 1646. die 13. Decembris in festo S. Luciæ Virginis Martyris in Præpositum electus totis præfuit 20. annis Vir apprimè doctus decessit anno 1666. die 2. Decembris.

XXXVII. David Furmann, gente Bojus, patriâ Straubingensis anno 1667. die 7. Jan. electus, & eodem adhuc perdurante de more confirmatus, Vir ingentis sanè authoritatis, prudentiæ, eloquentiæ, studii, Oeconomiæ & dexteritatis, qualem unquàm à primo sui principio usque id ævi ipsa S. Floriani Canonia

Nec primum similem visa est, nec habere sequentem.

Quapropter etiam quartâ vice inter Comprovinciales Superioris Austriæ Status munus Deputati præ reliquis dignissimè fuit collatum Ipsi; Capellam Præcursori Domini S. Joanni Baptistæ sacram, oppido propiùs adjacentem noviter excitavit. Villam ante Collegium à fundamentis construxit, ipsámque sæpefatæ Canoniæ suæ (priore diruta) construere cœpit Ecclesiam, admirandæ sanè magnificentiæ opus, quod meris lapideis Altaribus ex marmore de remotioribus Italiæ montibus advecto apprimè stupendum reddit, idem novum templum sanè spectatissimum etiam tribus Organis instructum. Et postquam plurima alia Cedro digna tam pro bono publico, quàm privato integris 22. annis Vigilantissimus Præsul gessit, Lincii primariâ Superioris Austriæ civitate, anno 1689. die 6. Octobris in Domino requievit à laboribus suis æquè multis ac magnis; cujus mortem Augustissimus Imperator gloriosissimæ memoriæ Leopoldus I. adeò ægrè tulit, ut de illâ intellectâ ingemiscens in hæc verba eruperit: *Sublata est nobis per mortem Davidis ad S. Florianum Præpositi optima in Austriâ Superiori Domûs nostræ Provincialis columna;* cujus dum ipse dignissimus, ac longè præcellentissimus Antistes iste hujus (qualecunque etiam est) tenuissimi licet operis nostri ad majorem totius sacri Ordinis Canonico-Augustiniani honorem & gloriam pro notitiâ Posteris habendâ suasor fuit, & sincerus monitor, ac Promotor, gratæ memoriæ ergò piis Manibus per nos isthìc statutum maneat sequens

Epicædium

Siquis Primores sacros tulit inter honores,
 Gaudens inde throno clarificante bono:
Siquis nôsse gregem Domini dat discere legem,
 Sollicitúsque pias dirigit ire vias:
Siquis & ad cultum divinum augescere multùm,
 Zelosus flagrat, turbáque sacra beat.
Siquis amans caulam Domini construxit & aulam,
 Ut formâ suavem, sic pietate gravem.
Siquis erit justus, totâ virtute venustus,
 Gloria summa chori, gratia magna fori.
Siquis dilecti mensura & regula recti
 Est, erit, atque fuit, noxia nulla luit.
Siquis honoratus Magnates inter amatus,
 Providus, ac prudens consilióque studens.

Siquis mansuetus, patiens & corpore lætus,
Omnibus ore placens, aspera cuncta tacens:
Siquis ditatus sit nummis undique gratus,
Fortis, & ære potens, nec tamen inde nocens:
Siquis erit sospes, quando peregrinus & hospes,
Propria tecta subit, nec tamen inde fugit:
Siquis dans plenos thesauros, ditat egenos,
Et sua quæque rei in viscera chara Dei.
Siquis erit totus mundo sine crimine notus,
Dispeream, nisi sat *David* is omnis erat.

XXXVIII. Joannes Matthæus Nobilis à Weissenberg Davidis Prædecessoris consillo & unanimi RR. DD. Canonicorum Capitularium suffragio, anno 1689. cooptatus, & ab Eminentissimo Principe ac Domino Domino Joanne Philippo ex Comitibus de Lamberg S. R. E. Cardinale, & Episcopo Pataviensi, ceu Ordinario confirmatus, non tamen nisi primùm (solâ interim obsistente seu moras trahente, imò & humillimè respuente ipsius Candidati religiosâ modestiâ, ac humilitate) post annos tres Pontificalibus Insigniis inauguratus, seu (uti loquimur) Infulatus, congenitum Canonicæ Religionis zelum palam ostendit, dum scilicet ad adaugendum Canoniæ suæ Religiosorum Canonicorum numerum haud alios admittere voluit nisi Juvenes vel adolescentes (ut ipse loquebatur) pios, modestos, ac litteratos. Jejunium Sabbathinum, & alterum feriæ quartæ jam ab octavo pueritiæ anno singulis septimanis usque in finem vitæ suæ servavit strictissimum, antiqua Canoniæ suæ jura ac privilegia, siquis alius inter quosvis Rectores præcedaneos suos, pertinacissimè est tutatus salva & integra; Herculeos imò & Salomoneos Davidis sui Prædecessoris ausus in consummandâ novâ S. Floriani Basilicâ strenuè prosecutus, juxtà quoque splendidam absidem seu Sacellum erexit, quibus & pluribus aliis hujuscemodi Religionis & Prudentiæ studiis dum impensius immoratur optimus Præsul iste Joannes Mathæus diris calculi doloribus (quos tamen non sine raro Christianæ patientiæ exemplo constantissimè toleravit) plusquam fortiter excruciatus in supremum vitæ discrimen incidit; in quo etiam non multò post Sacramentaliter expiatus, ad imitationem Sanctissimi Patris sui Augustini Psalmos pœnitentiales cum lugubribus suis filiis Religiosis Canonicis recitâsset, totus quantus Patriæ cœlestis desideriô plusquam fortiter inescatus, Spiritum Deo reddidit anno sæculari seu Christi 1700. ætatis 56. die 5. Sept.

XXXIX. Franciscus Claudius Kröll nobilis Carinthus, Patria Wolffspergensis anno 1675. in numerum Canonicorum Regularium ad S. Florianum adscitus, mox in ipso Religionis ingressu ea de se præbuit probitatis specimina, ut non solùm unanimi DD. Canonicorum suffragio ad dicendum solemne Religionis Sacramentum die 22. Octobris anno sequenti admissus, sed etiam ob promicantes passim præstantissimi ingenii igniculos dignissimus judicatus sit qui ad navandam Philosophiæ & Theologiæ operam, Romam in Collegium Germanico-Hungaricum mitteretur. Eò, ut anno 1677. pervenit, sanctimoniæ & scientiæ studia sanctissimo fœdere in se conjunxit, brevique effecit, ut in Mariano ejusdem Collegii Sodalitio ob eximiam (verba sunt Philippi à Spiegl Ascetæ Ordinis S. Benedicti de Francisco publicè testantis) in rebus agendis solertiam cum singulari vitæ integritate conjunctam Secretarius, secundus, & primus Assistens, dein etiam Præfectus fuerit creatus. Postquam pro selectis ex universâ Philosophiâ Thesibus in publico suggestu summâ cum laude, & præsentium applausu stetisset, ad Theologiam quoque se contulit, ejusque studium non sine multiplici lauro ex scholasticis certaminibus reportata, ad metam usque supremam decurrit. Ampliùs tantæ contentionis præmium fuit honorificentissima deinceps Romanorum de Francisco opinio, iis verbis, quibus in Austriam redeuntem suis commendârunt, significata; *Angelum Nobis misistis, hunc & Virum Infulâ dignum Vobis remittimus.* Romanorum verba nec justô grandiora, nec fuisse vana, rerum exitus comprobavit. Siquidem Franciscus postquam à reditu Parochiarum Ebelspergensis, & Laspergensis, cum ingenti gregis sibi concrediti emolumento, strenuus aliquot annis moderator extitisset, & etiam Decanatui, quem tamen non nisi mandatô compulsus in se susceperat, summâ prudentiâ & disciplinæ regularis flore quatuor annis præfedisset, prætacto anno 1700. die 21. Octobris concordi Florianensis Capituli voto in Reverendissimi DD. Præpositi Joannis Matthæi supràdicti locum sufficitur, eodémque anno à Joanne Philippo de Lamberg S. R. E. Cardinali, Principe, & Episcopo Passaviensi confirmatur. Exinde Franciscus eo in loco apud Eminentissimum hunc Ecclesiæ, & S. R. I. Principem fuit, ut ab Eo suorum Prælatorum Idea passim nuncuparetur. Nam etiam apud Sanctissimum totius Ecclesiæ Catholicæ Monarcham Clementem XI. meritorum, & ingeniorum ponderatorem æquissimum, fidelis & prudentis servi

servi vicem obtinuit, dum quorumdam de hæresi suspectorum judicium etiam præteritô Ordinariô Eidem Francisco post plura Claudiani zeli encomia commisit. Cæterùm vix sacros Canoniæ Florianensis fasces Francisco Claudio collatos esse inaudierat Austria, illicò in tanti Præsulis sinum, velut tutissimum difficillimis temporibus asylum, confugere gestiit. Itaque tot illustrium ornamentorum, quibus illum virtus & fortuna instruxerunt, stupore & amore magis, quàm ullo alio respectu capta, unanimia suorum Inclytorum suprà Anesum Statuum suffragia ad Franciscum defert, & amplissimum, gravissimúmque Deputati munus commendat. Hanc provinciam incredibile est, quantâ prudentiâ, resque publicæ commodo is ornaverit. Porrò ne tristissima quidem illa anno 1704. quo Bavarica tempestas trementia Superioris Austriæ claustra jam propè perfregerat, tempora Nobilissimi Francisci Spiritus & adamantinum de domo Austriacâ benè merendi studium labefactare potuerunt. Testantur id Cæsareanæ copiæ, quos pecuniâ, armîs & annonâ sustentavit, testantur uno ore Austriæ Superioris Indigenæ, à quorum agris & tectis hostile ferrum, flammámque avertit; tantâ ubique consilii opportunitate, ut, etiam hodiè Franciscus apud omnes non alius quàm Patriæ Conservator & Vigilantissimus salutis oculus inaudiat. Testantur id denique gratiosissimæ Augustissimi Josephi Rom. Imperatoris litteræ, manu propriâ ad Franciscum exaratæ, in quibus præter alias tenerrimi sui affectûs significationes, etiam Episcopatus honorem Eidem tanquam de Augustissimâ suâ Domo egregiè merito detulit. Jam verò infinitus is fuerit, qui omnia Francisci, quibus celebratur à singulis encomia recensere voluerit.

Singularis in Cœlites pietas in pagi Rhorbacensis templo magnis sumptibus nec minori splendore extructa elucet. Religionem in Deum Optimum Maximum excitata ex novo, pretiosóque marmore Altaria, quibus ad stuporem audientium nunc Basilica Florianensis splendet, eloquuntur. Ardentem in Dei Matrem animum ei sumptuosè & magnificè erecta in Mariano, & Canoniæ contiguo Sacello Ara, penduláque ad Virginis Statuam miræ magnitudinis argentea lampas deprædicat.

Quantus verò aliàs Franciscus! redemit aliquot florenorum millibus sacram supellectilem, sacrarium pretiosissimo instruxit apparatu. Integrum in Canonia suâ, uti vocant, tractum mirâ elegantiâ hodiè contuendum ædificavit, ejúsque cubicula & triclinia exquisitissimis picturis, peristromatis, nullóque non ornamentorum genere ad omnium invidiam vestivit. Granarium (ut plurima alia vel à fundamentis extructa, vel restaurata ædificia silentiô prætereamus) in arce Marbacensi condidit, adsitámque villam magnâ ex parte redintegravit. Religiosorum Canonicorum numerum citrà pristini victûs vestiúmque imminutionem multum auxit, & ferreâ hacce ætate sine ullo expositarum fortium seu Capitalium detrimento, immensorum propè sumptuum, Collegii ædificium ad eum promovit statum, & articulum, qui plurimos jam traduxit, hodiéque traducit in admirationem. Ut adeò sine omni palpo & fuco non nemo ex primariis id temporis Oratoribus sacris è publico suggestu locutus sit haud ita pridem, dum eo meliorem ne quidem fingi posse Antistitem asseveravit. Cujus dicti veritatem, quotquot sunt Religiosi Filii, re & opere, quotidie experiuntur, eapropter suavissimo & prudentissimo Domino ac Patri suo mille votis continuam exoptant immortalitatem. Idem & nos hisce quàm devotissimo animo præstitum cupimus ter clementem Deum obnixè precantes, ut Reverendissimum Perillustrem ac Amplissimum Dominum Dominum Franciscum Claudium, tanquam firmissimum Austriæ Superioris Atlantem, splendidissimum Ordinis Canonico-Augustiniani Lumen, & maximam Nobilissimæ Canoniæ Florianensis gloriam. Eumque nobis ceu Germaniæ hujus Canonico-Augustinianæ primarium Patronum ac Mæcenatem gratiosissimum diutissimè servet, incolumem, fortunatúmque conservet.

S. FLORIANI

Alterum tale, seu paris nominis, Ordinis, ac Religionis, disparis tamen sexûs Religiosum Contubernium, priori recensito Regularium Canonicorum (more priscis sæculis usitato) ponè conjunctum, quòd apertè satis ostendit Bernardus Pez, Asceta Cœnobii Mellicensis Ordinis S. Benedicti in Vitâ Wilburgis, isthic ad S Florianum Monialis anno 1298. die 11. Decembris cœlis receptæ, nuper anno 1715. typis Augustanis in 4. editâ cap. 21. fol. 135. ubi sic habet: *fuit institutum duplex Canoniæ S. Floriani anno Christi 1292. Virorum nempè & Puellarum, quod & in aliis ejusdem ætatis Monasteriis perfrequens erat.* Item loco citato paulò suprà in Catalogo Reverendissimorum DD. Antistitum ad S. Florianum cap. 4. fol. 26. in Henrico hujus nominis secundo, successionis ordine verò decimo quarto S. Floriani Præposito sub his verbis: *Hic* (Henricus antedictus qui ab anno 1313. usque 1320. præfuit) *ad Collegii januam, ubi olim Monialium Claustrum fuerat, Hospitale extruxit infirmorum.*

FLORINENSE

(Si tamen istud aliud, seu diversum est à priori *Floreffiensi* itidem Virorum seu Regularium Canonicorum Cœnobio antedicto)

Ordinis Canonico - Augustiniani Monasterium, cujus nomen & memoria habetur in ante citato Rerum Belgicarum sub hujusmodi tenore: *Ejus* (Comitissæ Lossensis mediatricis inter Episcopum Leodiensem, & Comitem Lovaniensem) *etiam temporibus Gerardus Cameracensis Episcopus, cum Godefrido fratre suo oppidum & Monasterium Floriense S. Joannis Baptistæ Ecclesiæ Leodiensis subjecit dominio. &c.*

FRANCKENTHALENSE,

Antiquatum Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, Diœcesis verò Wormatiensis in inferiore Palatinatu Heidelbergensi, percelebre quondam Monasterium, Spiram inter & Wormatiam, binas Imperii civitates, vel olim conspicuum extitit; fundavit autem istud, proprio ære suo divitias cælestes mercaturus, anno 1135. Eckbertus Vir Nobilis Wormatiæ ex Camerariorum familiâ (quæ ampliùs hodiè in Posteris suis honorata, titulo & dignitate Baronatûs aucta refulget) progenitus, idem ab Abbate Trithemio in Chron. Hirsaug. secundæ editionis de anno 1690. ad eundem annum prædictum in hæc verba laudatus: *His quoque temporibus Cœnobium in Frankenthal, haud procul à Wormatia fundatum est per quemdam civem Wormatiensem, nomine Eckbertum Virum magnarum virtutum & operationum, in quo Canonicos sub regulâ S. Augustini Domino militantes collocavit, quorum primus vitæ Dux atque Præpositus fuit Bertholdus Canonicus de Monasterio Springersbach Trevirensis Diœcesis assumptus, qui postea resignavit. Post resignationem Bertholdi ipse loci fundator Eckenbertus adhuc Laicus, in Præpositum à Fratribus suis electus est, quem Buggo Wormatiensis Episcopus Presbyterum ordinavit. Vir autem Domini Præpositum Fratrum se cernens vocante Domino constitutum, magna vigilantia curavit se Pastorem Christi ovibus utilem, non minùs opere demonstrare, quam sermone sanctè vixit, Deo placuit, & Fratres in omni virtute præcessit vivus & mortuus mirandis clarus &c.* Et hæc Trithemius citatus, quibus Gabriel Pennottus in Hist. tripartita lib. 2. cap. 39. num. 5. addidit sequentia: *Verum istud Monasterium, in quo Canonica disciplina summoperè florebat, paucis abhinc annis factum est habitatio omnis spiritus immundi, cum Calvinistæ ex Belgio profugi, illud permittente Friderico Comite Palatino Rheni occupaverunt, & pulsis Canonicis in oppidum munitissimum perverterunt. &c.*

FRANCKENTHALENSE, II.

Alterum par quidem cum priore Canonicorum asceterio Religiosum Claustrum fuit, quod ab eodem Trithemio antecitato recensetur in hæc verba notatum: *ad Orientalem Monasterii præfati partem, vix ad jactum lapidis, aliud Cœnobium, quod Franckenthal minus appellant pro Monialibus ejusdem Ordinis idem Vir Dei constituit, & Richlindem Uxorem quondam suam devotam Religiosam & Sanctam Mulierem Christi Virginibus Matrem & Ducem præfecit. Quæ Sancta Mulier Domino valdè placere studuit, & miraculis similiter coruscavit. &c.*

FREYSTORFFENSE

Cœnobium, seu communiter Abbatia Freystorffensis nuncupari solita Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini quondam apud Lotharingos in Diœcesi Metensi constitit perinclyta, etsi de tempore & authore primæ Fundationis nondum per nos inquisita. Legitur alicubi quidem Freystorffensis Abbatia hæc alii cuidam paris Instituti Abbatiæ, & quidem *Petri Montis*, itidem infrà recensendæ, pleno jure fuisse incorporata & subdita, quæ tamen indè labentibus annis quocunque demum titulo denuo fuit liberata, & secundum priorem Ordinem suum penitus immutata, videlicet secundum Ascesin Cisterciensem reformata, de qua videri potest Casparus Jangelinus de Abbatiis ejusdem Ordinis lib. 1. fol. 5.

FRIBURGENSE,

Monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini, Diœcesis Constantiensis, Friburgi potissimo Brisgoviæ oppido sumpsit initium anno 1300. Nobili Viro Ivone, (aliis Joanne) Waldkirchio, seu Amman de Waldkirch communiter appellato; qui ad Ecclesiam sub titulo, & invocatione omnium Sanctorum recens à se constructam introduxit Viros Religiosos è Canonia Marbacensi, Diœcesis Basileensis, in Superiori Alsatia desumptos

desumptos Wernherum & Hieronymum: è quibus unum constituit in proprium loci Præpositum: cujus præceptis ac monitis morem gerens, constructo quantocyus Cœnobio idem Ivo Christianæ militiæ tyrocinium subiens, spreto mundano fastu sacrum Canonicæ Religionis habitum avidissimè suscepit, ac reliquum vitæ sub suavi jugo obedientiæ devotus in claustro transegit, tandem in Domino piissimè demortuus ad annum 1317. qualiter ostendit Epitaphium illius, quod legitur apud Crusium in Annal. Sueviæ part. 3. lib. 4. cap. 4. & sic habet: *anno 1317. obiit Ivo dictus Amman de Waldkirch miles, hujus Collegii fundator & Conversus.* Sed quod res est, hîc maximè notandum primitus Terapeutas quosdam isthic loci substitisse, eosque vulgo *die Sakh-Brüeder*, nuncupari solitos in vetustis quibusdam litteris hodiedum integerrimè servatis vocatos fuisse *Fratres de Pœnitentia*: quorum instituto, & communi vivendi modo aliquando etiam fœminas, hinc inde in Suevia nostra fuisse legaliter addictas, ostendit bonus Israëlita sine dolo Felix Faber Ord. Prædicatorum in sua Historia Suevorum lib. 2. cap. 8. ubi sic ait: *multa Monasteria sunt incorporata Ordini Prædicatorum, quæ tamen longè antè S. Dominicum sub Regula S. Augustini vivebant, & Sorores de Pœnitentia dicebantur.*

Cæterum nova Præpositura hæc Omnium Sanctum intitulata, mox ab initio primæ fundationis suæ, ob magnas discordias, & funesta bella inter Illustrissimos Comites & Oppidanos Friburgenses agitata, graviter admodùm periclitari cœpit; unde specialis cura illius de futuro habenda, à loci Ordinario demandata fuit Abbati Creuzlingensi per proprias litteras anno 1312. datas sub hujusmodi tenore: *Everhardus Dei gratia Constantiensis Episcopus omnibus præsentes Litteras inspecturis notitiam cum plurima salute.*

Suadet æquitas, hortatur ratio, quatenus permittitur, ut solicitudine nostri Pastoralis officii ad conservandum & solidandum plantationes novellas sub institutione Regularis disciplinæ ordinatas, divinitus, vel instaurandas ferventibus affectibus intendamus, cùm Ecclesiam pro Religionis augmento summa ratio interpellat. Attendentes itaque quòd Præpositura & Collegium Monasterii Omnium Sanctorum *in Friburgo sub ordine Canonicorum Regularium degentium in loco, qui dicitur* der Sakh-Brüeder Hauſ, *de consensu expresso, & voluntate quondam Henrici Dei gratia Prædecessoris nostri initiata, plantata, & dotata, bis reditibus, quibus dos constitui poterat, prout dotantibus possibilitas instigante divino Spiritu aderat, & competebat, subsistere non possit commodè per se propter tenuitatem redituum, & propter Regularis disciplinæ, ac correctionis defectum sine aliquo, qui unà cum Præposito dicti Monasterii potestatem habeat tam in spiritualibus, quàm in temporalibus salubriter disponendi. Ad petitionem igitur Præpositi & Fratrum loci prædicti defectum præbabitum claris oculis intuentibus, & in arcanis cordium suorum jugi meditatione resolventibus, quòd sine regimine præbabito idem locus non possit subsistere, & in spiritualibus aut temporalibus recipere incrementum, locum prædictum, & Monasterium, ac Personas ejusdem tam præsentes quàm futuras Abbati, qui nunc est, aut quicunque pro tempore fuerit Monasterii de Creuzlingen extrà muros Constantiæ annectimus, & applicamus de consensu expresso Capituli Ecclesiæ nostræ Constantiensis, & in perpetuum unimus, pro nobis, nostrisque Successoribus, & Ecclesiæ Constantiensis, quo ad ea, quæ subscripta sunt, videlicet, ut cedente vel decedente Præposito ipsius Monasterii omnium Sanctorum, qui nunc est, vel quicunque pro tempore fuerit Abbas dicti Monasterii in Creuzlingen in eodem potestatem habeat plenam eidem Monasterio ordinandi seu præficiendi aliquem de gremio ejusdem Monasterii* Omnium Sanctorum, *si ibidem repertus fuerit idoneus, alioquin de gremio sui Monasterii de Creuzlingen, vel aliunde aliquem idoneum in Præpositum, nobisque aut Successoribus nostris, si inventus fuerit idoneus, ad ipsius regimen, Præpositurae munus accipiat, Confirmationis præstiturus Nobis, nostrisque Successoribus Juramentum, prout in litterà primæ institutionis dictorum Præpositi & Collegii continetur.*

Item si Præpositus dicti Monasterii Omnium Sanctorum *in Friburgo, qui nunc est, aut pro tempore fuerit, aliquos de suis Confratribus incorrigibiles aut inobedientes invenerit, & in negotiis aut tractatibus tum in Spiritualibus, aut in temporalibus aliquam dignam correctionem inciderit, quem per se & solus corrigere non posset, tunc ad requisitionem dicti Præpositi Monasterii* Omnium Sanctorum *dictus Dominus Abbas Monasterii in Creuzlingen veniat itidem, & unà cum Præposito Monasterii* Omnium Sanctorum *corrigenda corrigat, emendanda emendet, & reformanda reformet salubriter cum effectu. Item quòd sæpè dictus Præpositus & Collegium sæpè memorati Monasterii* Omnium Sanctorum, *qui nunc est, & qui pro tempore fuerit, non habeat potestatem aliquam vendendi, vel alienandi quicquam de suo Monasterio* Omnium Sanctorum *sine dicti Domini Abbatis de Creuzlingen consensu adhibito expresso & favore, & ex causâ rationabili interveniente. Ad evidentiam præmissorum has Litteras conscribi fecimus, & Sigillorum nostrorum nostrique Capituli Ecclesiæ Constantiensis præmissis omnibus consensum nostrum expressum & voluntarium impertimur, appendentes in hujus facti evidentiam sigillum nostrum. Datum, & Actum &c. &c.*

Anno 1370. Monasterii hujus Friburgensis fundatio, quia se sola seu propriis viribus ampliùs subsistere haud potuit, Abbatiæ Hercinianæ vulgò *Cella S. Mariæ* nuncupatæ id temporis pàriter agonizanti, fuit addita, & incorporata; unde duobus Monasteriis istis deinceps simul & semel præfuisse leguntur Antistites sacri, numero & Ordine sequentes.

I. Bertholdus Abbas Cellæ S. Mariæ, Idem Præpositus Friburgensis.

II. Joannes II. hujus nominis Abbas Cellæ S. Mariæ Anno 1390.

III. Joannes III. anno 1418.

IV. Rudolphus I. anno 1431.

V. Petrus. anno 1438.

VI. Antonius. anno 1442.

VII. Rudolphus II. anno 1451.

VIII. Joannes IV. anno 1452.

IX. Joannes V. præfuit usque ad annum 1472.

X. Erhardus, electus anno 1474. cum consensu Abbatis Creuzlingani Reformationem introduxit, prout ex sequenti Documento constat:

Caspar permissione divina Abbas Monasterii SS. Udalrici Episcopi, & Afræ Mart. in Creuzlingen extra muros civitatis Constantiens. Prov. Moguntinæ Ord. S. Augustini Can. Regul. Visitator & Reformator Ordinis ejusdem per dictas Moguntinam, nec non Coloniensem & Trevirensem provincias specialiter deputatus Ven. Fratri Domino Erhardo Abbati Monasterii Cellæ Mariæ dicti Ordinis salutem in Domino. Cum, ut accepimus, Charitas vestra Dei zelo, & omni bono respectu mota reformationis statum in dicto vestro Monasterio incipere intendat, & propterea nos, sine cujus scitu consilio, & authoritate nullam immutationem attentare licet, consulere in hac parte decreverit, Nos verò dictum vestrum propositum in Domino laudantes, executioni dicti negotii, sicut de officio nostro esse dignoscitur, personaliter interesse non valentes, circumspectioni vestræ, de qua plurimum confidimus, dictum reformationis negotium cum suis incidentibus, dependentibus, & connexis duximus committendum, atque præsentibus committimus, vobis mandando injungentes, quatenus assumptis vobis Vener. Patre Domino Abbate Monasterii in Tennibach & viris aliis peritis, vitæ, virtutum, scientiæ dotibus commendatis, onus reformationis hujusmodi absque excusatione assumatis, in dicto negotio juxta B. Augustini Regulam & dicti Ordinis nostri Constitutiones, traditiones & statuta salubriter procedendo, omniáque & singula, quæ Nos ipsi in hoc negotio facere possemus, faciendo, nostra quidem authoritate, quam Charitati vestræ in totum impartimur, universis & singulis dicti vestri Monasterii Canonicis, membris, & & subditis in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandantes, ut in dicto negotio dicti Domini reformatoris, & eorum quos sibi in his junxit, monitis & mandatis vice & loco nostri obediant, prout salutare fuerit; alioquin pœnas in rebelles præcipue in Constitutionibus dicti Ordinis contentas, & non minùs nostram gravem indignationem, & multa alia majora à nobis exspectando. Datum in dicto nostro Monasterio Anno Domini 1476. die 22. mensis Junii Indict. Nona.

XI. Lucas. Obiit anno 1518.

XII. Leonardus ultimus omnium titulo & nomine Abbatis Cellæ S. Mariæ usus decessit mortuus anno 1537.

XIII. Mathæus Haberkalt Religiosis Canonicis vel omnino nullis vel perpaucis solum in Canonia ista Friburgensi residuis, Administrator illius constitutus rei curam gessit usque ad annum 1537. quo currente diem suum obiit, nec unico quidem claustrali Canonico post se relicto.

XIV. Henricus ab Yestetten, J. U. D. Monachus Ordinis S. Benedicti, & quondam Abbas Monasterii Neostadiensis ad Mœnum, cùm (injuriâ temporum, an desidiâ hominum) res eò miseriæ devenisset, ut, Canonicis Regularibus omnibus extinctis, titulus & dignitas Prælaturæ quasi jam jam ad alienos devenerit, Administratoris officium anno 1546. in Commendam accepit, & (exemplo planè cunctis admirando) Ordinem Canonicum sat diu hactenus exulantem, postliminiò reduxit, quatuor scilicet Candidatis ad Professionem Canonicam receptis: è quibus (ipso Henrico sponte sua sese postmodum abdicante) unus in dicta administratione legitimè successit. Exempli hujus, quod planè sine exemplo est, plenior notitia hauriri potest, ex sequenti publico Instrumen-

ſtrumento: Univerſis & ſingulis præſentes Litteras inſpecturis Georgius permiſſione divina humilis Abbas Monaſterii in Creuzlingen extra muros Conſtantienſes Ord. S. Aug. Can. Reg. & ejusdem Civitatis diœceſis. Notum facimus quod Monaſterium Cella S. Mariæ in Sylva nigra ſitum, unacum acceſſoria Præpoſitura Omnium Sanctorum in civitate Friburgenſi Briſgojæ dicti Ordinis & Diœceſis quod quidem Monaſterium jure viſitationis ad noſtram curam pertinet, ante multos annos retro, propter atroces discordias & diſſenſiones inter Abbates præfati Monaſterii, & ejusdem Granarii præfectos, ſeu Advocatos, ultro, citroque odioſè prorſus & hoſtiliter verſas, in tantum ut duo Abbates ante centum plus minus annos, inter illas tam graves hinc inde inimicitias occiſi, tertius internecionis periculo vix evaſerit. Præterea & propter incendia quædam & alia id genus miſerias & irreparabiles jacturas eò calamitatis devenerit, ut intra hominum memoriam jam dictum Monaſterium, una cum aliis ratione dictæ Præpoſituræ parochialiumque Eccleſiarum ſibi incorporatarum incumbentibus oneribus poſt tantas miſerias vix commodè pro parochiali Eccleſia, ne dum aliis clauſtralibus exercitiis gubernari potuerit, ipſumque adeo Abbatiæ nomen & titulus jam vulgo in deſuetudinem abjerit; Unde & non nulli ex Prædeceſſoribus Abbatibus una cum Conventus & nuper Abbas Leonhardus piæ mem. vitæ ſuſtentationem ac domicilium non aliunde nec alibi, quam de & in prædicta Præpoſitura Omnium Sanctorum in Friburg habuerint: cœperatque jam tunc prædicto Monaſterio ceu principali funditus ferè perdito ipſa acceſſoria Præpoſitura Principalis loco eſſe. Nos igitur ſupradictus Abbas harum rerum omnium curam dictæ Viſitationis jure ad nos pertinere conſiderantes, propter tam graves calamitates præfato Monaſterio, ut quod ſtatui Abbatiali clauſtralique functioni amplius non ſufficeret, aliquot jam annis ſaltem per Religioſum quendam dicti Ordinis Procurarem conſulere ſtuduimus. Cæterum cùm diſpenſator ille valetudinarius ob Corporis debilitatem, morboſam ſenectam, nec non aliam quandam inhabilitatem, imbecillitatemque ſuam amplius cum utilitate præfato Monaſterio præeſſe non poſſet, idcóque ſummè neceſſarium fuerit, ut eidem per aliam perſonam provideremus. Nos ſupramemoratas rationes, & alias quas propter Monaſterium illud in irreparabilem, quam diximus calamitatem incidit, diu multumque animo volventes, & quod reliquum eſt, proventuum ejus atque redituum ultro citroque, qua fieri potuit, diligentia penſiculantes, eos ita decurtatos & diminutos invenimus, ut hos impoſterum ſtatui Abbatiali nec ad profana, nec ad divina pro dignitate peragenda, ſuffecturos adverteremus. Ea propter tandem non aliter ſæpedicto Monaſterio ad extremam paupertatem adacto magis conſultum fore, nec quidquam ad eam, quæ impendet, reliquam perniciem declinandam præſentius eſſe duximus, quàm ſi illi poſthac non per Abbatem, ſed per dictæ Præpoſituræ Omnium Sanctorum Præpoſitum, ut qui cum ſit inferioris ſtatûs, minoribusque ſumptibus ſe egere noſcitaret, proviſum iri curaremus. Ac vice verſa, Monaſterium S. Mariæ ut dictum eſt, irrecuperabili modo devaſtatum, depauperatumque & vix parocho ſuſtentando ſufficiens, Præpoſitura utcunque adhuc in ſuo vigore exiſtente, interim dum ad hoc Sedis Apoſtolicæ conſenſus, legitimaque translatio accederet, acceſſorii loco regi procuraremus. Quo ſane medio etiam ſumptus, qui hactenus ratione electionis, aliarumque cæremoniarum impenſi ſunt, & in futurum etiam ultra cœnobii valorem impendendi forent, majori ex parte declinari, intercipi & diminui poſſe intelleximus. Harum igitur tam urgentium rationum, & inevitandæ neceſſitatis penſitatione, præterea magna fiducia freti, & adducti, fore ut Reverendiſſimus Princeps, & Dominus Epiſcopus Conſtantienſis ut Ordinarius loci, poſtquam ipſius quoque Reverendiſſima Dominatio de hujusce negotii tam prægnantibus cauſis, neceſſitateque inevitabili ſufficienter à nobis inſtructa fuerit (quod brevi, Deo volente, ut par eſt, fiet) etiam ſui juris, & ejus quod ſuæ Dominationis in hac parte intereſt, gratiam facturus ſit. Imprimis autem animo & affectu apud Sedem Apoſtolicam pro conſenſu & æſtimatione Nominis & dignitatis Abbatialis, aliisque ad hoc negotium neceſſariis rebus ſedulo laborandi; & pro ſæpe nominato Monaſterio, ut quod neque Abbati neque Conventui ſuſtentando per ſe ſufficiat, ſupra memorato noſtro Monaſterio Creuzlingen penitus incorporando, proque fundatione dicti Monaſterii præfatam Præpoſituram Omnium Sanctorum in Friburgo in laudem & honorem Fundatorum modo, quo ſupra diximus, transferenda, primo quoque tempore cum debita devotione & reverentia ſupplicandi, in eam prorſus devenimus ſententiam ut idoneam quandam noſtri Ordinis perſonam ſæpedictæ Præpoſituræ præficeremus, cui & ipſi dictum Monaſterium ceu acceſſoriæ cujusdam parochiæ curam propter ſæpe allegatas rationes injungeremus. Cæterum cum hoc tempore magna ſit noſtri Ordinis idonearum perſonarum penuria, & ut maxime ejusmodi defectus non ſit, tamen Monaſterii Præpoſituræque (quæ eorum eſt ſumma calamitas) cenſus, reditus & proventus, præſertim tot oneribus diverſimode hinc inde, ut dictum eſt, incumbentibus, nulli cui aliunde quoque proviſum non ſit, etiam ſumptibus ita diminutis ſuffecturi ſint.

fint. Tandem nos fæpe dictæ vifitationis jure certa fcientia & voluntate Conventualium dictæ domûs S. Mariæ poft varia & multa minifteria tentata cum Reverendo & Nobilif. Domino Henrico ab Yeftetten Abbate Monafterii Curiæ Hugonis Ord. S. Benedicti Argentinenfis diœcefis Religionis zelo, morum honeftate, cæterisque probitatis virtutumque meritis, quibus illius didicimus fuffragari perfonam; nec non & aliis certis quibusdam legitimis de caufis adducti, ut ipfe fupradictam Præpofituram Omnium Sanctorum acceptaret; atque inde dicto Monafterio S. Mariæ ceu acceflorie Præpofituræ, modo parochiali, translatione, & incorporatione ita, ut fupradictum eft omnino facienda & impetranda, providere vellet, egimus & inftitimus. Et pofteaquam eo modo impetraffemus fæpedictæ Præpofituræ Monafteriique S. Mariæ præfato modo curam, regimen & adminiftrationem in Spiritualibus & temporalibus cum omnibus fuis juribus, annexis & pertinentiis ipfi Henrico Abbati ut Capiti & Præpofito plenariè tradidimus, & commendavimus, tradentes & commendantes ea tenore harum litterarum ad tempus vitæ fuæ: alienatione tamen quorumcunque illius bonorum immobilium, & precioforum mobilium eidem penitus interdicta. Mandantes infuper à præfatis & futuris pro tempore Conventualibus obedientiam & reverentiam congruentes fæpedicto Henrico Abbati & Præpofito omnimodo exhiberi. Præmiffis, aliisque ad hanc rem neceffariis omni meliori modo & forma, prout de jure & fecundum ftilum Curiæ fieri potuit ac debuit, fiendis & obfervandis. Et in horum omnium fupradictorum indubiam fidem Nos fuprafcriptus Georgius Abbas, & fecundum Nos præfatus Abbas Henricus, una cum Conventualibus, qui quidem toties nominati Monafterii reliqui funt, ad finem hujus inftrumenti, conforme exemplar uterque tam Nos Vifitator, quam dictus Abbas Henricus penes Nos habemus, figilla noftra appendi fecimus. Quod actum & datum eft decimo quarto die Novembris anno à Chrifto nato fupra millefimum quingentefimum quadragefimo fexto.

(LS.) (LS.) (LS.)

XV. Michael Pentelin usque ad annum 1574. pro poffe faltem rebus afflictis mederi totis viribus intentus.

XVI. Udalricus Stehlin Acronianus, Vir magni ingenii & raræ eloquentiæ, poft refignationem fuam anno 1609. fpontaneè factam plenus dierum in Domino mortuus & & fepultus die 22. Decembris anno 1611.

XVII. Jacobus Geiger Acronianus, ex Langenargen oppido progenitus ex Imperiali Collegio Creuzlingenfi, ad Prælaturam Friburgenfem Omnium Sanctorum poftulatur die 10. Novembris anno 1609. Difciplinam Religiofam egregiè reftituit novis Conftitutionibus in id datis, æs alienum omnino diluit, ac quæque plura alia laudatisfimè perfecit, tandemque feniô debilitatus requievit, terreftrem mortalitatem exutus ætatis fuæ anno 65. die 6. Julii anno 1635.

XVIII. Conradus Heuni ex Engen, oppido Hegoviæ natus, urgente perfecutione Suecica, in Auftriam deportatus, ibidem exul defecit anno 1647. defolato prorfus interim Monafterio octo vel novem annis.

XIX. Chriftophorus Angerer ex Stocken Villa Turgoviæ Canonicus Creuzlingenfis, à tribus adhuc fuperftitibus Canonicis Capitularibus Omnium Sanctorum univocè poftulatus, fcientia, fedulitate & induftria rara præclarus, cultum divinum, ut & reliquum Oeconomiæ ftatum egregiè reftituit, fed & in dies magis & magis cuncta perficere fagaciter intendit, quousque ad plures abiit ætatis fuæ anno 56. Chrifti verò 1675. die 12. Octobris.

XX. Georgius Comath, natione Helvetus, Patria Paperswillanus, triftis admodum & invitus afpicere debuit omnimodam (ex quo Friburgum anno 1677. à Gallis fuit hoftiliter occupatum) Monafterii fui demolitionem, ita, ut non remaneret lapis fuper lapidem, toto Regulari Clauftro, fub novis munitionum aggeribus fepulto. Deceffit ætatis fuæ anno 42. gratiæ 1682. die 28. Augufti.

XXI. Adamus Schmidt natus Brifacenfis, civis tamen Friburgenfis, vel invitus ad Venerabilem Canoniam iftam genuino Ordini fuo fervandam, die 23. Novemb. anno 1682. præficitur. Præful quidem optimus, eò tamen miferior, quòd diu locum, ubi ftabilem fedem figere poffit, nefciverit. Hominem non habuit, etiam inter eos, qui de jure deberent, eidem auxiliarem porrigeret manum. In Deo tamen femper omnem fuam fiduciam & fpem ponens non fuit derelictus. Obiit die 28. Julii 1698.

XXII.

XXII. Melchior Knoll Alsata. Septem menses regimine suo vix complevit, Spem enim de Melchiore conceptam præcidit mors, ac ad felicitatem æternam transmisit 5. Martii 1699.

XXIII. Dominicus Simonis Friburgensis. Tredecim annis & aliquot mensibus præfuit, malorum cumulo pressus & vix non oppressus, ac in continuo perdendæ Præposituræ periculo ferè usque ad mortem constitutus. Ex hac lacrymarum valle ad cœlestia transivit gaudia die 9. Decembris Anno 1713. ac hoc modo Adversariorum suorum omnes Machinas elusit, meliora enim post ejusdem fata illuxêre tempora.

XXIV. Andreas Dilger SS. Theologiæ & SS. Can. Doctor postulatus ex Creuzlingen, Vir integritate morum, & prudentia insignis de fatorum iniquitate, quæ Præposituram sat diu vexaverant, triumphavit adeò, ut non Restauratoris tantùm, sed quasi novi Fundatoris laudem sit promeritus. Deperditam enim & à Gallis funditus destructam Præposituram Omnium Sanctorum Friburgi è domo privata magnis sumptibus potissimum tamen ex pecuniis ab Antecessoribus ipsi relictis excitavit. Ædificare etiam cœpit Abbatiam S. Mariæ Cellensem 300. jam annis in suis ruinis sepultam, & ex majori parte ita consummavit, ut eodem anno 1730. potuerit inhabitari. Titulum Abbatis penitus ferè extinctum reassumpsit. Cultor singularis fuit B. V. Mariæ & sancti Judæ Thaddæi, in cujus honorem elegans struxit Sacellum. Dies vitæ suæ meritorum plenos cum omnium bonorum luctu clausit die 8. Martii 1736. Cujus memoria adhuc in benedictione est, & erit æternum, in memoria enim æterna erit Justus.

XXV. Petrus Glunck ex Lœffingen, modernus Reverendissimus & Amplissimus. D. Præsul ac Abbas, ex Religiosissimæ Conversationis & Disciplinæ Regularis amante Decano vocatus ad Mitram meritissimi Antecessoris sui Vestigiis egregie insistit. Templum Maria-Cellense ornavit altaribus, Cathedram noviter constructam vestivit auro, Tractum ædificii integrum pro hospitibus construxit. Præstans Oeconomus emolumenta Domestica indies promovet, quem, ut porro Diva Cellensis, & omnes Sancti per Dei gratiam servare & adjuvare velint, omnium Religiosorum suorum filiorum, & pariter Editoris hujus Operis sincerissimum votum est.

Plures in hoc Catalogo desiderari Abbates Lectorem moneo, quorum tamen nomina hic supplere mihi integrum non est, cum Canoniæ Mariæ Cellensis Acta ad manus alienas partim devenerint, partim temporum injuria deperdita sint, cum antiquioribus Necrologiis. Acta celeberrimi ad S. Petrum Cœnobii, quod haud procul ab Abbatia Cellensi, sive Sanct-Märgen distat, de geminis Abbatibus mentionem faciunt. Circa annum Domini 1263. WERNERUS Abbas occurrit. Anno autem 1202. legitur Innocentium III. alicui Abbati, cujus tamen nomen deest, Commissionem dedisse cum San-Petrino & Thenenbacensi Abbatibus contra Episcopum Argentoratensem. Occurrit etiam inter vetustiores, ex tot deperditis documentis, chartas nomen HARTMANNI Abbatis anno 1154. CONRADI circa annum 1261. Plura fortassis nomina eruere possent, quibus ad Archivium Civitatis Friburgensis patet aditus.

FRISENSE,

Seu taliter de Provinciali seu Patrio solo suo (cui vel olim inædificatum stetit) nuncupandum Frisiæ Orientalis (quæ Westphaliæ Germaniæ certa pars est, amplius de scripta à Martino Zeilero in Itinerario Germaniæ cap. 17. fol. m. 163. jam pridem vastante hæresi suffocatum, & penitus extinctum Canonicorum Regularium Monasterium, Metropolitano Episcopo Bremensi jure Diœcesano subditum fuit, quod post quinque alia Collegia sacra, & nominatim quidem post Heslingense quoddam taliter appellatum, etiam sextum istud, isthic per nos *Frisiense* dictum superaddidit Adalgadus Bremensis Archi-Episcopus numero Septimus, idem de vigilantissima sui muneris administratione laudatus admodum à Kranzio in Metrop. Lib. 3. cap. 23, ubi Monasterium istud Congregationem Sanctorum Virorum appellat, atque illud ipsum de prædio & oblatione insignium aliquot Matronarum fuisse fundatum asseverat: Verùm idem hoc Religiosissimum Collegium novissima ætate nostra seu præpriore jam decurrente Sæculo violenter evertit, diripuit, & in totum extinxit hæresis Calviniana, quævis sacra Religiosa Collegia ac Monasteria sibi plusquam terribiliter exosa.

FRISINGENSE,

Cathedrale Collegium Provinciæ Salisburgensis, de quo Hundius in Metropoli texturus Catalogum Episcoporum Frisingensium statim ab initio ex libro majori Traditionum (cujus postmodum per alios usque ad Hermannum IV. anno 1421. terris defunctum continuati, Authorem ipse refert Conradum quendam Frisingensem Sacristam & Canonicum anno 1187. sub Episcopo Ottone III. clarum) scribit quidem S. Corbinianum in monte (qui Frisinga dicitur) primò Ecclesiam in honorem S. Benedicti construxisse, & Monachorum conventui facultatem liberam eligendi Episcopum dedisse &c. verùm Gewoldus in additionibus ad Hundium tom. 1. fol. 116. lit. D. ex Catalogo MS. Episcoporum Frisingensium contra habet, longè antè hæc tempora nempe circa annum 444. Ecclesiam in honorem B. Virginis constructam, alteram verò S. Benedicto sacram, primùm posteà à S. Corbiniano fuisse ædificatam ac Monachorum ibidem Conventum, habitaculaque idonea adunata. Item paulò post fol. 118. in margine hæc ponit: *falsus est Otto Frisingensis lib. 5. cap. 24. Corbinianum ad tempora Pipini referens.* Sanè ex Marco Welsero Boicarum rerum lib. 4. pag. 256. (quem refert Gewoldus lit. C. & Raderus de Sanctis Bavariæ vol. 1. fol. 62.) in vita ejusdem sancti Corbiniani certiora colliguntur, & quidem primò, Ecclesiam S. Mariæ Virginis Frisingæ Episcopo Corbiniano sedem fuisse destinatam. Prodidit autem Arempeckius Christianorum Basilicam hanc (nempe Divæ Virgini sacram) à temporibus Maximiliani Episcopi Laureacensis & Martyris (de quo idem Raderus in Bavaria sancta Volum. 1. fol. 16.) id loci stetisse circa annum Domini 282. Secundò Monachorum in Episcopali æde nullam penitùs mentionem fieri, Clericorum verò Episcopi ac Discipuli aliorumque satis expressam. Tertiò funus S. Corbiniani Frisingæ ad D. Mariæ curatum primò. Quartò in colle ad Urbem Frisingam Ecclesiam S. Stephano Martyri sacram jam tum stetisse, quam Corbinianus Orationis causâ visere solitus fuit. De Ecclesia verò, S. Benedicto id temporis ædificata, nihil prorsus ibi reperitur. Et in hac S. Stephani Ecclesia (infrà à nobis suo loco & ordine fusiùs enarranda) *Weichenstephan* communiter appellata Hatto seu Hitto sextus numero Episcopus Frisingensis apud Hundium fol. 103. & alios legitur, sex Canonicos cum Præposito instituisse anno Domini 830. postmodum verò Engilbertus 18. Episcopus Collegium istud Canonicorum commutasse in Monasterium Ordinis S. Benedicti. Atque hìc detegitur error Ottonis Frisingensis & aliorum, qui scripserunt Traditiones Ecclesiæ Frisingensis, atque Catalogos Episcoporum, cùm dicunt illam S. Benedicto fuisse in monte dicatam, Monachorum Cætum ibi adunatum, concessam eisdem facultatem eligendi Episcopum &c. quem ipsissimum errorem benè advertit Gewoldus antedictus, tribuitque ei opinionem, qua partium studiosi frequenter decipiuntur, videlicet, quia Monachi Benedictini post incolebant templum, ergò & ante Divo Benedicto fuisse consecratum. De quo errore, seu ineptâ consequentia meritò conqueritur Pennottus noster in Not. ad offic. prop. Canon. Regularium Lateranensium not. 29. in historiam S. Beregisi Abbatis die 2. Octobris apertè scribens: nonnulli ob translatum in Monasteria Canonicorum Ordinem Monasticum, omnes Viros illustres Ordinis Canonici, qui anteà in ipsis Monasteriis floruerunt, ad ordinem Monasticum transferre nituntur; quod præter alios egregiè arte & marte suo præstiterunt Trithemius & Arnoldus Wion, uti legi poterit apud citatum Pennottum not. 10. 13. 14. 21. 22. 23. 31. & 37. Vide, obsecro, Baronium Tom. 6. annal. sub Anno 494. num. 76. & Pennottum in historia trip. lib. 2. cap. 19. n. 4. Sed neque Aribo quartus Frisingensis Episcopus, scriptor vitæ S. Corbiniani apud Surium die 8. Septembris, Monachorum vel sedis Episcopalis meminit, at verò Clericorum non semel, qui mox initio historiæ refert, Corbinianum ad S. Germani Ecclesiam parvum sibi construxisse ergastulum, (Monasterium explicat Welserus) ut nihil aliud possideret, nisi tantùm ministros, qui sibi exterioris necessitatis solatium exhibeant, quos quotidie sacris studuit disciplinis instruere, ut suæ imitatores existerent vitæ &c. Unde & hos Ministros Aribo num. 3. *Discipulos* illius, imò verò num. 4. *Clericos* appellat, ibi: ad pristinum ergò (S. Corbinianus) rediit ergastulum in foribus B. Germani Ecclesiæ, ibique sub protectione ejus proprium quæsivit secretum, turbas hominum devitavit, quos admonendo & docendo deserere non volebat: quibus sub Operationis suæ curâ victum suppeditavit, & Verbi Dei semina quotidiè eorum pectoribus infudit &c. ita loc. cit. Ad litem hanc melius terminandam addi potest Anonymus jam sæpe laudatus Congregationis Gallicanæ scriptor, quem proin folio 168. suarum Disquisitionum in hæc verba loquentem allego: Frisingensem Ecclesiam qui Monachos aliquando pro Canonicis habuisse dicunt, eos quodammodò vaticinari ac divinare equidem dico. Non anxiè quæro, an Corbinianus sedis Conditor, Monachi voto se aliquando obstrinxerit, contra atque carnium usus, & reservata servitia videntur suadere. Constat, duodecimo Sæculo ineunte, antequam

Mona-

Monachi ad Hiberniam reducerentur, Imarium, & unà Malachiam ejus Discipulum in Civitate Ardmacha vixisse eandem vitam, quam Corbinianus, septimo sæculo exeunte, ad Ecclesiam Castrensem vixit. Ad rem præsentem quod attinet, hoc satis liquet ipsum Corbinianum unà cum Clericis Canonicis incoluisse B. Mariæ Ecclesiam à se constructam in Castro Frisingensi, ubi ab anno 723. Cathedram tenuit Pontificalem. Nempe Aribo Corbiniani post Erimbertum & Josephum in Sede Frisingensi Successor, cùm absolutè Monachorum & Clericorum discrimen indicasset, prætermissis Monachis, quamvis Monachus, Corbiniani Episcopi convictum ex meris Clericis conflavit. Cùm quodam die, inquit, in Episcopio Frisingæ sederet Corbinianus molestiâ corporis correptus, more solito in vicinum montem ad Oratorium B. Stephani Martyris venire nequivit ad Matutinas Deo persolvendas laudes. Clerum itaque excitans illuc ire præcepit; illisque ascendentibus vox psallentium in Ecclesia obviam illis venit: fenestris quoque & tecto tanta vis clari luminis radiabat per latera ejusdem montis, ut claritatem diei superaret. Clerici nimio terrore perterriti, ubi tandem vires recepere, domum cucurrerunt, & omnia Viro Dei indicarunt. Et hæc quidem Aribo Frisingensis Episcopus, qui, quamvis Monachus, & Monachilium Jurium peritus; nihilominus nomen suum subscripsit anno 772. Actis Synodi Dingolvingensis, ubi Monachis Parochiarum commendationes vel publica baptismatis obsequia per Bajoariam atque adeò per Frisingensem Diœcesim interdicta sunt. Deinceps verò in ejusdem Frisingensis Ecclesiæ chartis, sive quæ anni 898. incendium devitarunt, sive quæ postea discriptæ sunt, Clerus, Fratres, & Canonici Monasterii vel Ecclesiæ Frisingensis memorantur; siletur ubique de Monachis, præterquàm in Catalogo quodam recentiore, à quo totidem verbis transfero locum in controversia positum, quot reverà descriptus est. Hitto, inquit Catalogi scriptor, canonicè electus in Cathedram Episcopalem Frisingensis Sedis anno Domini 812. Hic tradidit res suas ad domum S. Mariæ ad Frisingam, ubi electus, & pretiosus in corpore requiescit Confessor Christi Corbinianus, ut memoria ejus multis temporibus in Domo S. Mariæ & S. Benedicti Confessoris permaneat, & ut Oratores sui, videlicet Monachi, & Episcopi Successores hujusmodi possideant. Hunc Catalogi Recentiores locum αὐθεντικῶς expressit Vir doctus, perinde quasi ex primariis litteris donationis expressisset. Neque hoc mirabile videri debet, cùm hujusmodi locus nescio quid antiquitatis redolens, si Ottoni Frisingensi non debetur, ipsum Ottonem Frisingensem ex Monacho Episcopum, & rursùs ex Episcopo Monachum inducere potuerit, ut crederet Corbinianum in Monte Frisingensi Ecclesiam in honorem beati Benedicti construxisse, ac Monachorum ibi sacrum conventum adunâsse. *Ego verò nullus dubito, quin omnes, quotquot sibi persuaserunt Sedem Frisingensem sancto Benedicto dedicatam olim fuisse, ambiguitate unius vocabuli decepti fuerint.* Jam ante Hittonis Pontificatum ea consuetudo erat, ut fideles dona darent Sanctæ Dei Genitrici Mariæ, sanctoque ejus Confessori Corbiniano, ad quorum laudem & honorem Frisingensis Ecclesia Episcopatus constructa, ac dicata dignoscebatur. Dedit etiam res suas Hitto Episcopus ad domum Sanctæ Mariæ ad Frisingam, ubi electus & pretiosus in corpore requiescebat Confessor Christi Corbinianus, ut memoria sua multis temporibus in Domo S. Mariæ, ac Benedicti Confessoris (*videlicet Corbiniani*) permaneret. *Quòd autem istbæc Hittonianæ donationis interpretatio, aut restitutio legitima sit, vel ex ipso Catalogi contextu satis planè conficitur. Ut quid enim Hitto Ecclesiæ Frisingensis tutelam, quam Corbiniano arrogaverat, statim derogaret? ut quid ipse, cùm res suas Ecclesiæ suæ Patronis, nimirum B. Mariæ & B. Confessori Corbiniano tradere instituisset, statim Corbiniani oblitus Benedictum Confessorem & Abbatem in ejus locum substitueret, cùm nec Aribonis hæredis scripta, nec Chartæ Frisingenses, quæ etiamnum supersunt multæ, nec monumenta ulla vetera sanctum Benedictum Ecclesiæ Frisingensis Patronum prodiderint, aut ejus fecerint mentionem? frustra igitur Catalogi recentioris Author, cùm eundem Benedictum in Corbiniani locum audacter subrogasset, Oratores ei Monachos commodavit, ut Hittonis donationi de suo adderet aliquid. Idem de Ottone Frisingensi faciendum judicium, si hunc constaret B. Benedicti Ecclesiam, quam in Monte Frisingensi posuit, cum primaria sede Frisingensium Episcoporum confudisse.* His ergò tam solidè tamque nervosè in rem nostram deductis quod addam, planè non habeo.

FULNECENSE,

Præclarissimum hodiè Collegium Canonicorum Congregationis Lateranensis in Fulneck civitate Moraviæ, finibus Silesiorum contermina, Olomusio verò Provinciæ Metropoli septem milliaribus dissita, fundatum fuit ac sub titulo SS. Trinitatis dedicatum anno 1389. authore Illustrissimo Domino Bonesio Barone de Crawar Domino in Chrumpnau & Fulneck, Romanorum Regis supremo Cameræ Magistro, prout pleniùs ostendunt ipsæ Confirmationis litteræ (quarum vigore etiam jus Parochiale totius memoratæ civitatis Fulnecensis cum appertinentibus censibus, reditibus, decimis &c. Canoniæ

huic accessit) authoritate ordinaria ad perpetuam rei memoriam datæ, & expeditæ sub hujusmodi tenore: „Nicolaus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Olomucensis „universis & singulis, ad quos patentes pervenerint, salutem ex eo, qui est omnium „vera salus, & notitiam habere subscriptorum. Quod ad pium desiderium & devotam „attentionem Nobilis Viri Domini Benesii de Crawar Domini in Chrumpnau Romano„rum Regis Cameræ Magistri, Amici nostri charissimi, qui augmentum Cultus divini „desiderat, & diem extremæ messionis bonis operibus prævenire, Ecclesiam Parochia„lem in Civitate Fulneck, cujus Jus patronatus ad ipsum spectabat, in jus & proprieta„tem Monasterii Canonicorum Regularium de expresso consensu Capituli nostri Olo„mucensis Fratrum nostrorum charissimorum ordinaria reduximus authoritate, sub titu„lo, honore, nomine & communi vocabulo Salvatoris ac SS. Trinitatis & Individuæ „Unitatis &c. Quod quidem Monasterium idem Dominus Benesius de consilio, delibe„ratione & voluntate dilectorum filiorum suorum Fratrum, & amicorum de novo crea„vit, fundavit atque erexit ad laudem Altissimi, ac in salutem & remedium animæ suæ, „suorúmque Progenitorum & Successorum ultra fructus, reditus, & utilitates, quas „ipsa olim Ecclesia in Fulneck habuit ab antiquo jam per Nos reductas in utilitatem, „commodum & jus ejusdem Monasterii, villas, possessiones, & bona cum singulis suis „pertinentiis pro dote & congrua sustentatione Fratrum & Canonicorum degentium „Auctore Domino in eodem ad instar Præpositi & Canonicorum Regularium Monasterii „in Sterenberg, Olomucensis Diœcesis merâ liberalitate eidem Monasterio dedit, con„tulit, donavit, tradidit & assignavit perpetuis futuris temporibus habendas, tenendas, „& possidendas, sicut in litteris fundationis per ipsum super has litteras districte & lu„cide continetur, quarum tenor legitur in hæc verba per omnia:

„Benesius de Crawar Dominus in Chrumpnau, Romanorum Regis Cameræ Magister „ tenore præsentium recognoscimus Universis. Qui dum humanæ naturæ rimamur „incertum, dum collabentis vitæ ruinam conspicimus, profectò ad considerandas no„stræ vitæ semitas, ad discutiendum læsæ conscientiæ tenebras, & ad obtinendum fa„vorem propitii nostri Judicis Domini Dei nostri argumentis non tam probabilibus „quàm etiam ad sensum demonstrantibus animarum, eò quidem fortius, quo nihil latet „Judicis tanti notitiam, quæ cuncta nuda sunt ejus oculis, quo suæ potentiæ nihil est, „quod resistere valeat. Idcircò nos Benesius de Crawar præscriptus ob remedium ani„mæ nostræ & Uxoris nostræ, omniúmque hæredum nostrorum, & specialiter Domini „Drislai de Crawar Patris nostri charissimi, & Dominæ Elisabeth Uxoris ejus Matris „nostræ, & puerorum ejus, nec non Domini Jesconis de Crawar Uxoris & hæredum „ejus, cujus bona possedimus, cupientes misericordiam Omnipotentis Dei ex donis ipso „propitio Nobis collatis gratiosius impetrare, nec in examine discussivo districti sui Ju„dicii severum Judicem sentiamus, & ut animabus Genitorum nostrorum, Fratrum, „Sororum, cunctorúmque amicorum, ac omnium fidelium, vivorum & mortuorum, „quorum Nos, vel Genitores nostri, bonis usi sumus, debite vel injuste Domino ipso „permittente proficiat ad salutem, animo deliberato de certa nostra scientia, & bona „ac libera voluntate, accedente ad hoc consensu Nobilium, Benesii & Joannis Filio„rum nostrorum de Crawar, Et Reverendissimi in Christo Patris ac Domini Domini Ni„colai Olomucensis Episcopi, Capitulíque Ecclesiæ Olomucensis conniventia speciali, „prout in litteris ipsorum desuper concessis apparet manifeste ad honorem Salvatoris no„stri & SS. Trinitatis ac Individuæ Unitatis Monasterium novum in Civitate nostra Ful„neck sub titulo & inscriptione ac vocabulo præscripto per Nos fundatum & erectum „pro inhabitatione Fratrum Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, ut ibidem „Præpositus cum novem fratribus habeatur continuò divinæ pietatis clementia aspiran„te construendum duximus, & in ipsius structura processimus, hactenus procedimus, „& ejus adjuvante præsidio, qui cuncta tuetur fidelibus incrementis & devoto Charitatis „studio procedemus, ut etiam dicti Præpositus & Conventus Monasterii in honore Sal„vatoris & SS. Trinitatis, & Successores eorum, eò quietius cultui divino vacare va„leant, atque laudes Dei liberiori animo depromant, quo melius & sufficientibus tem„poralibus suffragiis fuerint adjuti dictis Præposito & Conventui ac Monasterio ipsorum „in perpetuum Villas nostras integras, videlicet Tirnaviam cum Jure Patronatûs, cum „Judicio, excluso Cliente ibidem, cum altero medio laneo residente, qui etiam Cliens „nullum gregem ovium habere debet in pascuis, Villæ hominibus in contemptum. Et „etiam Villam nostram Gilowerz unà cum judicio, cum pratis, pascuis, censibus, pro„ventibus, utilitatibus, piscationibus, aucupationibus, & frugibus censualibus. Etiam „scamna Salis in Civitate nostrâ Fulneck cum censu ipsorum ipsi Monasterio libere as„signamus, etiam pomarium ex opposito Monasterii in monte Castri eidem Monasterio „conferimus & donamus. Sylvam quoque nostram propè Villam præscriptam videlicet

„Tirna-

„Tirnaviam sitam singulis circumferentiis, & metis suis, prætacto Monasterio nostræ „fundationis damus perpetuò habendam similiter cum opibus ibi existentibus suâ pro „necessitate, & pauperum hominum ad idem Monasterium spectantium, pro restauratio„ne ædificiorum, sed vendere non debebunt pleno dominio, prout nos & Antecesso„res nostri tenuimus, possedimus, tenuerunt, & possederunt; nihil nobis & Successo„ribus nostris in omnibus præscriptis reservantes solâ tuitione exceptâ, quæ ad Nos & „Successores nostros tanquam ad veros fundatores dignoscitur juridicè pertinere, ex„ceptâ etiam Berna Regali, quam nobis & Successoribus nostris reservamus, viginti „quatuor grossos tantum de quolibet laneo recipiendo, sed Judicibus prout ab antiquo „tempore recipere est consuetum, dedimus, contulimus, donavimus, assignavimus, & „tenore præsentium damus, conferimus, donamus, & assignamus perpetuis temporibus „pacifice & quiete jure directi dominii & proprietatis decernentes à nobis & nostris Suc„cessoribus Dominis de Crawar aliàs de Fulneck easdem Villas ac eadem bona prænota„ta cum omnibus eorum pertinentiis liberas, solutas fore simpliciter & exemptas; ro„gantes nihilominus in Domino omnes Successores nostros Dominos in Fulneck, & „obsecramus per viscera misericordiæ Dei nostri Conventum ipsum Monasterium, Præ„positum, & Fratres Deo ibidem in fervida devotione famulantes recommendatos ha„beant, foveant, & tueantur, ac benigno pietatis fervore prosequantur, volentes ipsos „participes fieri omnium bonorum operum, & orationum, quæ in eodem Monasterio „Auctori Altissimo peragentur. Etiam volumus, ut testamentum olim factum per No„biles Dominum Drislaum Fratrem nostrum dilectum piæ memoriæ qualibet feria secun„da de vespera cum vigiliis, & fèria tertia cum missa defunctorum perpetuis tempori„bus peragatur, veluti hactenus est peractum. Etiam præfati Præpositus & Fratres ejus„dem Monasterii procurent, ut Missa de Beata Virgine quotidiè decantetur, postquam „autem viam universæ carnis ingressi fuerimus, quolibet mense ob salutem animæ no„stræ eodem die nostri obitus vigilias trium lectionum cum missa Defunctorum peragere „debent perpetuò in futurum. Ipso verò die nostri obitus annis singulis vigilias novem „lectionum cum missa Defunctorum perficere non omittant. Volumus insuper, ut Fra„tres ejusdem Monasterii nostræ fundationis vivant more Fratrum in Rudnitz in Mo„nasterio regulariter faciendo. Etiam Capellam in Castro ipsis damus perpe„tuis temporibus regendam, Rectorémque scholæ debent suis in expensis benigno „animo enutrire. Etiam concedimus eisdem Præposito & Fratribus plenam & omnimo„dam potestatem, si Nos vel nostri hæredes & Successores nostri eos in eisdem bonis „vellemus seu vellent aliqualiter impedire, ex tunc nos citare possunt spirituali vel ter„restri jure, quoties ipsis necesse fuerit irâ vel reclamatione vel indignatione quibusli„bet non attentis. Nos quoque Benesius de Crawar sæpedictus, Benesius & Joannes „filii dicti Domini Domini Benesii de Crawar Dominus in Helfenstein Petrus de Crawar „Patruus noster Dominus in Plumnow promittimus omnes in solidum manu conjuncta „omnia & singula prænotata cunctis suis in articulis de verbo ad verbum rata, grata, & „inviolabilia observare bona nostra fide, tabulísque terrestribus quantocyus poterimus „in terra Oppaviæ intabulare dolo; ac fraude singulis procul motis. In evidens testi„monium sigilla nostra cum sigillis Nobilium Dominorum Hinconis de Lippa Sororis „nostræ, Petri de Sternberg avunculi nostri, & Domini Stiborii de Czimburg de certa „nostra scientia sunt appensa. Datum Crumpnaw anno Domini millesimo trecentesimo „octogesimo nono in die S. Michaëlis Archangeli. Nobísque cum debita supplicarunt „humilitate quatenus ad laudem & honorem Omnipotentis Dei ejusque Intemeratæ „Matris Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum ac præcipue nostri Salvatoris ac ipsius „SS. Trinitatis & Individuæ Unitatis dictam fundationem sic per ipsum de nostro & Ca„pituli nostri Olomucensis consensu & voluntate factam, ratam & gratam habere, vil„lásque, possessiones, & bona ipsi Monasterio collata, & in dotem assignata in bona „reducere Ecclesiastica, ac omnia & singula authoritate ordinaria confirmare dignare„mur. Nos itaque Nicolaus Episcopus antedictus ipsius Domini Benesii petitionibus & „piis desideriis tanquam justis & rationabilibus annuentes dictam fundationem & omnia „inde secuta rata & grata habentes, omnésque villas, possessiones, reditus, proventus „& utilitates dicto Monasterio donatas, collatas, & pro dote assignatas in Jus bonorum „Ecclesiasticorum reducimus, ipsique Monasterio unimus, annectimus, incorporamus „& invisceramus volentes & statuentes, quòd ipsa bona, villæ, & possessiones per am„plius bona Ecclesiastica censeantur ac gaudeant libertate immunitate & privilegio Ec„clesiasticæ libertatis adeò, quòd per censuram Ecclesiasticam exigi valeant, & defen„sari, ac omnia & singula in singulis suis punctis, articulis, & clausulis, prout in dictis „litteris distincte & expresse superius expressantur, laudamus, approbamus ac ratifica„mus, & in Dei nomine ex certa nostra scientia præsentibus authoritate ordinaria con„firmamus sub appenso nostro sigillo testimonio litterarum. Datum in Castro nostro

 „Me-

„Merow, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo nono in die S. Galli Con-„fessoris, præsentibus honorabilibus Viris Dominis Zandero Archi-Diacono Prero-„viensi & Canonico Olomucensi, Bernardo Hecht de Scherendorff, Bernardo de Me-„row, Brunone Marescallo Curiæ nostræ, Joanne Plebano in Brumsperg, Procopio „Capellano, & Hincone Notario nostro quàm plurimis aliis ad præmissa vocatis & ro-„gatis in testimonium veritatis.

(L. S.)

Eandem Fundationem post expletum viginti annorum spatium amplius augmentavit, ejusque priores census, & reditus pro Venerabili Cœtu Canonicorum magis adaugendo, novâ liberalissima dotatione uberiores reddidit primarii Fundatoris Germanus Frater Ladislaus Liber Baro de Crawarz publicis litteris in rei testimonium datis juxtà sequentem formulam. „Nos Latzko de Crawarz Dominus in Helfenstein Joannes primo-„genitus nomine ejusdem tituli de Crawarz tenore præsentium recognoscimus universis „tam præsentibus quàm futuris, quòd perpendentes fragilitatis humanæ instabilis bre-„vitatem, sanâ maturâque deliberatione & etiam præhabito consilio Amicorum & Uxo-„ris recte & rationabiliter contulimus, donavimus, atque vigore præsentium damus & „assignamus Villam nostram Bilow & Starawes cum jure patronatus, cum omnibus re-„ditibus, censibus, proventibus & usufructibus, agris cultis & incultis, collibus, val-„libus, pratis, pascuis, sylvis, dumetis, aquis & aquarum decursibus, metis, limini-„bus, atque omnibus, singulisque utilitatibus & pertinentiis pleno jure & dominio, „prout eam Villam hactenus tenuimus ac possedimus, nihil nobis & hæredibus nostris „in ibidem juris ac proprietatis reservantes. Devotis in Christo Fratribus Can. Regula-„ribus Ord. S. Augustini Monasterio Sanctæ & Individuæ Trinitatis in Fulneck per ipsos „tenendam, habendam, atque pacificè perpetuè possidendam, quam eis largimur præ-„sentibus ob remedium animarum nostrarum, omniúmque Prædecessorum nostrorum „salutem, quovis in his nostro & hæredum nostrorum impedimento vel obstaculo pro-„cul amoto. Statuimus etiam, facimus, & præsentibus ordinamus, quòd supradictæ „Villæ nostræ donationi iidem Fratres & Canonici quatuor alios Confratres ultra nu-„merum Personarum per Nobilem Dominum Benesium Fratrem nostrum instituere & „superaddere tenebuntur. Adjicientes insuper, quòd una missa de Beat. Virgine in Ca-„pellâ Ejusdem gloriosæ Virginis Mariæ per nos fundata, & constructa quotidie per „unum Fratrem Conventus successivè decantetur. Cæterùm promittimus dictam Villam „cum suis pertinentiis in primo Dominorum Oppaviensium colloquio, cùm primum „tabulæ terræ aperientur, intabulare sub harum, quibus nostra fecimus appendi, sigilla, „testimonio litterarum. Datum Stramberg die Sanctæ Elisabethæ anno Domini Mille-„simo quadringentesimo undecimo.

(L. S.)

Series

Præpositorum Canonicorum Regularium S. Augustini Ecclesiæ Fulnecensis Diœcesis Olomucensis in Moravia.

I. Joannes. anno 1389. obiit anno 1407.
II. Michael. obiit anno 1423.
III. Sigismundus I. anno 1434.
IV. Nicolaus. anno 1446.
V. Stanislaus. anno 1465.
VI. Laurentius. anno 1492.
VII. Cyrillus pro ampliori primæ fundationis incremento pagum Lucawitz anno 1512. in omnimodom proprietatem coëmisse laudatus, diem suum obiit anno 1520.
VIII. Sigismundus II. obiit anno 1534.
IX. Hieronymus. ànno 1557.
X. Stephanus eodem anno 1557. demortuus.
XI. Joannes Kautz mœrore consumptus, obiit anno 1559. quo tota civitas Fulnecensis unà cum Monasterio & appertinénti Ecclesiâ SS. Trinitatis casuali incendio voracibus flammis fuit exusta.
XII. Gregorius Schönberger electus anno 1561. vitâ simul ac Præpositurâ decessit anno 1564.

XIII.

XIII. Gregorius. anno 1567.

XIV. Petrus Littmannus de Nissa, qui & Parochus Oppaviensis fuit, anno 1586. terris demortuus.

XV. Joannes Weittersfeld anno 1594.

XVI. Joannes Bohusius Author Confirmationis bonorum ac privilegiorum Authoritate Cæsareâ Rudolphi II. clementissimè impertitæ, in Christo demortuus anno 1619.

XVII. Thomas Schillerus 1624.

XVIII. Georgius Ludovicus Schlachius de Schlachten multùm ad aulam Cæsaream allaborando Canoniæ suæ præfuit, è vivis exemptus anno 1636.

XIX. Alexander Ginnani, Præpositus Olomucensis, & Sterenbergensis (vacante interim Præpositura annis 20.) Administrator Fulnecensis constitutus usque ad annum 1657.

XX. Paulus Augustinus Brugmann, Canoniæ suæ è fundamentis restauratæ, Nobilis Author vivere desiit anno 1672.

XXI. Mathias Augustinus Richter, à Clemente X. Mitrâ, & Pedo Præsulari donatus, dato desuper Brevi Apostolico, quod tale est:

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei In perpetuam Rei memoriam. &c.

Decet Romanum Pontificem ad ea, per quæ Personarum Ecclesiasticarum quarumlibet, præsertim Monasteriorum Regimini & administrationi præsidentium honori, ac ipsorum Monasteriorum decori & ornamento, divinique cultûs celebritati, & incremento consulitur, libenter intendere, ac in illis Pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout locorum & Personarum hujusmodi, circumstantiis debitè pensatis, ad devotionis Christi fidelium propagationem, nec non altissimi laudem & gloriam prospicit salubriter expedire. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Dilecti Filii Mathiæ Præpositi Monasterii Fulnecensis, per Præpositum regi & gubernari soliti, Ord. S. Augustini Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis Olomucensis Diœcesis in Ducatu Oppaviensi petitio continebat, quòd ipse Mathias considerans, in Domus Dei decorem, ac Catholicæ Religionis incrementum ornamentúmque redundaturum, & in hæreticorum vicinorum terrorem versurum, si in præfato Ducatu ex parte ad unionem S. R. E. cura & solicitudine Venerabilis Fratris nostri Episcopi Olomucensis recenter redacto, aliquis Prælatus adesset, cùm nullus de præsenti adsit, qui Pontificalia exercere, & alia similia munia exequi possit, proptereáque dictus Mathias, qui aliàs, uti Præpositus præfatus in Ducatu hujusmodi unà cum aliis ejusdem Ducatus Primatibus sæcularibus in publicis Comitiis, conventibus & consultationibus ab antiquo Locum, vocem & sessionem obtinet, præcipuè ut Catholicæ Religionis decor in eodem Ducatu augeatur, ac etiam, ut dictum Monasterium aliàs honeste extructum, temporalibúsque redditibus & proventibus congruè provisum, & in quo sufficientes Sacerdotes & Clerici ad Pontificalia pro tempore exercenda coadjuvandum existunt, in majori veneratione habeatur, & respectu Præposituralis dignitatis excrescente condigni honoris prærogativa afficiatur, sibi ut ipse Mathias & Successores sui in dicto Monasterio eadem Pontificalia, & alia munia præfata perpetuò exercere valeant, per Nos & sedem Apostolicam benignè, ut infrà indulgere summoperè desiderat. Quarè pro parte dicti Mathiæ nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus firmiori Catholicæ fidei in illis partibus stabilimento, ad ejusdem Mathiæ, & pro tempore existentium dicti Monasterii Præpositorum præfatorum honori & decori, ac aliis in præmissis oportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Monasteriorum decorem & hæreticorum confusionem, divinique cultûs incrementum ubique augere sinceris desideramus affectibus, dictum Mathiam à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, siquibus, quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantùm consequendum harum serie absolventes & absolutum fore. Censentes hujusmodi supplicationibus hac in parte inclinati ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium super ritibus Ecclesiasticis præpositorum, dicto Mathiæ, Ejúsque Successoribus dicti Monasterii Præpositis pro tempore existentibus, ut ex nunc, deinceps perpetuis futuris temporibus Mitra, baculo, & annulo, Pastoralibus Sandaliis, Chirotecis aliisque ornamentis & paramentis Pontificalibus, etiam inter Missarum solemnia, ac in aliis publicis & solemnibus actibus, per eos in quibuscunque Ducatus hujusmodi partibus celebrandis uti, nec non tam in dicti Monasterii, quàm in quibuscunque aliis Ducatus hujusmodi Ecclesiis, aliisque locis, in quibus ipsos Pontificaliter ce-

celebrare contigerit, benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, Matutinorum, aliorúmque divinorum Officiorum solemnia, suprà Populum inibi interessentem, dummodò ibidem aliquis Catholicus Antistes, vel Sedis Apostolicæ Legatus præsens non sit, vel si præsens fuerit, ejus expressus ad id accedat assensus; impendere vel elargiri, nec non etiam Cruces, patenas, calices, Altaria, Imagines, & Sanctorum Reliquias, Campanas, vasa, Tabernacula pro conservatione SS. Eucharistiæ Sacramenti, & reliquiarum præfatarum custodias, Purificatoria, Corporalia, Mappas, Tobaleas, & linteamenta Altarium, vestes Sacerdotales, & alia quæcunque ornamenta Sacerdotalia, & vasa Ecclesiastica, aliásque res ut suprà, ad Divinum cultum quomodolibet necessaria & pertinentes, in quibus sacri olei vel crismatis unctio minime adhibeatur, pro parte ejusdem Monasterii, & aliarum Ecclesiarum, & locorum dicti Ducatus tantùm usu, etiam cum solitis solemnitatibus juxtà S. R. E. ritum & consuetudinem benedicere, nec non totius Ducatus hujusmodi Ecclesias, Cæmeteria, & alia loca, quæcunque divino cultui dicata, & pro tempore dicanda, consecrare & Benedicere, nec non illa ex eis, quæ sanguinis vel seminis humani effusione, aut aliàs quovis modo polluta esse seu pollui contigerit, per aquæ prius ab aliquo Antistite Catholico, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habente, ut moris est, benedictæ aspersionem juxtà ritum & consuetudinem prædictorum reconciliari libere & licite valeant, Apostolica authoritate earundem tenore præsentium dummodo pro præmissis, pro tempore existentium locorum Ordinariorum accedat assensus, perpetuò concedimus, & indulgemus, ac liberam & omnimodam facultatem & authoritatem desuper impartimur. Decernentes, præsentes semper & perpetuò validas, & efficaces esse & fore, suósque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis quibusvis contrariis dispositionibus minime comprehendi, sed semper ab illis excipi & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas & plenariè reintegratas; ac denuò etiam sub quacunque posteriori datis, per dictum Mathiam, & pro tempore existentes Præpositos prædictos, quandocunque eligenda concessas esse, & fore, & ita per quoscunque Judices ordinarios & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuntios judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, quidquid secus super his à quocunque quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii & Ordinis prædictorum etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus cæterísque contrariis quibuscunque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, concessionis, Indulti, Impertitionis & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, siquis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam *Mariam Majorem*. Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo. Nonis Januarii. Pontificatus nostri anno tertio.

Sub Eodem hoc Præposito Mathia anno 1676. improviso igne in civitate exorto, ipsa civitas totaliter, Castrum & tectum Canoniæ atque Ecclesiæ Parochialis hora 11. matutina, exusta fuere. Obiit autem anno 1683.

XXII. Paulus Augustinus Imler ejusdem loci Canonicus, & Wogstadii Decanus Ruralis existens electus anno 1683. die 30. Maji, confirmatus atque Infulatus est.

NOTA.

Pag. 123. linea 7. post verba 9. *Decembris*, omissus est annus obitûs, qui fuit 1713.

GERMA-

GERMANIA CANONICO-AUGUSTINIANA.

PARS III.

Littera G.

S. GALLI.

Taliter à famoso illo Sangallensi (uti vocant) oppido, atque isti, cui quondam propiùs adjunctum constitit, apud Helvetios in Turgovia Diœcesis Constantiensis, formulæ verò Monastico-Benedictinæ Asceterio nomen sortitum, hoc tamen jam pridem antiquatum Ordinis Canonico-Augustiniani Cœnobium omninò desiit, de quo proin haud ampliùs super est, quâm nuda solùm illius memoria apud Casparum Bruschium de Monasteriis Germaniæ Cent. 1. fol. m. 116. secundùm primogenium ortum simul ac fatalem interitum suum sic annotata. *Otto Frisingensis scribit Monasterium bujus Wernberi* (Abbatis Sangallensis ex calculo ejusdem Bruschii numerô tricesimi primi annô gratiæ humanatæ 1136. regiminis verò 30. terris demortui) *temporibus opulentissimum fuisse, quod verisimile apparet, uti colligi potest, quòd Wernberus iste ante muros Sangallenses fundavit, & suis sumptibus extrui curavit, Præposituram S. Leonardi, quæ Regularium erat Canonicorum babitatio, ac Cœnobium, quod tamen Abbatis Chunonis tempore iterum propter bellicos-tumultus desertum est, cùm floruisset annis* 350. *sacri reditus Sangallum sunt translati. Præterea* (tumultuante hæresi) *eversum est penitùs unanimi S. P, Q. Sangallensis sententia anno Christi* 1530.

GAMUNDIANUM,

Seu Gamundiæ Suevorum Diœcesis Augustanæ à Martino Zeilero in Topographiâ Sueviæ f. 77. latè descripta civitate Imperiali celebre quondam Sacrarum Virginum contubernium inclaruit, quod primitus anno 1240. à civibus quibusdam Gamundianis de familia, uti vocabatur, Schaupensi progenitis, primitùs fundatum extitit, Sanctimoniales loci hujus genuinam primævi Instituti formulam (quam secundùm sacros Canones Augustinianos susceperunt observandam) posteris annis aliqualiter immutantes, amplexatæ sunt habitum, ritus, & constitutiones Fratrum Prædicatorum Ordinis S. Dominici, & sic quidem attestante eodem Crusio suprà citato part. 2. lib. 9. cap. 41. cujus tamen immutationis quonam jure vel titulô factæ, & consummatæ nulla prorsus apud Gamundianos ampliùs superat memoria.

GARSENSE,

Celeberrimum ac longè præstantissimum nostris temporibus Collegium, Archi-Diœcesis Salisburgensis in secunda Boica super ripam Oeni fluminis, titulo & dignitate Archi-Diaconatus insignitum; idemque ætate nostra personis quà regularis vitæ strictissima observantia, qua laudatissima multifariæ doctrinæ excellentia clarissimis, abunde refertum, primitus exortum est tempore famosissimi Thassilonis illius Bojorum Principis, qui Utilone Bojariæ Duce natus eodem erat anno, quo consobrinus suus Carolus cognomento Magnus, nimirum anno Verbi Incarnati 742. quique ætatis suæ anno 14. prima militiæ rudimenta posuit sub Pipino, Galliarum Rege Caroli Patre, tùm anno ætatis 28. Luitpurgæ Desiderii Longobardorum Regis filiæ matrimonio junctus, post varia tandem novercantis fortunæ ludibria, quia Longobardorum invidia accensus & ipse erat, nec quicquam dissimulante Carolo Magno Imperatore, demum omnino devictus, in gratiam tamen eò usque receptus, ut sceptrum cum corona poneret, & Regium paludamentum monastico cucullo commutaret; quod equidem exauthoratus Rex præstitit in Laurissæ Mediomatricum Monasterio reliquum vitæ cum famâ sanctitatis transigens.

 Unde

Unde Arnoldus Wion in suo Martyrologio Benedictino ausus fuit scribere in hæc verba: „In Cœnobio Laurissensi depositio S. Thassilonis ultimi Bavariæ Regis, qui cùm „ob læsæ Majestatis crimen à Carolo Magno Franciæ Rege in Cœnobium S. Nazarii in„trusus cum Filio Theodone fuisset, de necessitate virtutem sibi parans in habitu fra„tris Laici, quòd ob senium Sacerdotio esset inidoneus, Christi humilitatem & pau„pertatem in tantum studuit imitari, ut post mortem innumeris clarus miraculis albo „meruerit Sanctorum inscribi.„ Hic porrò Thassilo Princeps seu Rex tum fortunatus in Deum, Divósque multa molitus est egregiæ pietatis & regiæ liberalitatis specimina, nempe plurima vel fundando, vel dotando, aut certè instaurando Monasteria, partim Monachorum, partim etiam Canonicorum: cujus regiam sanè pietatem & profusionem vel maximè senserunt Monasteria Chiemense duplex Virorum unum, sacrarum Virginum alterum, Cremiphanense in Austria, Mattseense, Pollingense, Thierhauptense, Schlierseense, Schefflariense, Münchsmonasteriense, S. Crucis Donawerdanum, Augiense seu Auense ad Oenum, prout refert eruditissimus Adlzreitterus in suis Boicæ gentis Annalibus part. I. lib. lib. 7. num. 43. Item Hundius in Metropoli suis locis pluribus. Raderus in Bavaria sanct. vol. I. in Thassilone fol. 83. Brunerus item in Excub. tutel. in Thassilone & Annalibus Boicis fol. 718. Atque hæc inter Monasteria etiam Garsense istud, satagente Thassilone antedicto, suum traxit ortum & incrementum; licèt ipse Thassilo Fundator haud extiterit, sed Boso Clericus. Sic enim Hundius ante citatus tom. 2. fol. 131. refert. „Boso fundator primus fuit Monasterii Præpositus quem „Thassilo tertius Bojorum Dux cum oblatione plurium censuum Episcopo Salisburgensi ad hoc Monasterium commendavit. Concordant etiam Aventinus lib. 3. Annal. Andreas Brunerus loco ante citato, cujus Fundationis mentionem etiam facit Welserus de rebus Boicis ubi Monasterium hoc *Garsium* vocat, & *Cellam* idem dicit esse ac Monasterium. Petrus Garsensis Præpositus ordine quadragesimus, nostro decurrente sæculo clarissimus, tam circa loci nomenclaturam, quàm circà fundationem in suis collectaneis M. SS. enucleatè scribit *Gars* vocabulum in pervetustis Chartis & tabulis ac Codicibus variè habetur expressum; quod ut certissimum deprehenditur in pluribus locis apud Hundium, & alios authores, quæ tamen voces seu nomina omnia licet variæ terminationis unius & ejusdem loci *Gars* sunt significantia, non solùm autem locus hodie à Religiosis Canonicis inhabitatus hujuscemodi nomine manet insignitus, sed & oppidum quoque proximius illi adsitum, quod ipsum olim fuisse civitatem Teutonicè *Natterberg* appellatam, præter Aventinum constans habet Majorum traditio: nam & Politicus ejusdem Oppidi Magistratus hodiedum in suis, queis communiter utitur, Insigniis viperam Germanis *Natter* dictam, exhibet. Tempus, quo jacta fundamenta Monasterii hujus antiquitus *Cella* nuncupati certum est, supra meminimus, incidisse in tempora sæpedicti Thassilonis, qui circa annum 756. Provinciæ Bavaricæ regimen adortus est, illud ipsum anno 788. derelictum; hinc fundationem circa annum 768. positam esse, scribit Petrus Præpositus Garsensis antè memoratus. Hundius (cui plenè consentit Franciscus Dückher in Chronico Salisburgensi fol. 45.) tom. I. fol. 39. ita scribit: Ipseque Dux (Thassilo) jam scriptus tradidit *Cellam*, quæ vocatur Garoz, super ripam fluminis in Pago Isanagoe, quam construxit Boso Clericus per licentiam jam dicti Ducis in honorem Petri Principis Apostolorum. Et ipse Thassilo ipsum Clericum commendavit ad supradictum Monasterium unà cum ipsa facella &c. Quæ omnia pariter concordant cum prioribus, ex quibus verosimillimè colligit sæpè memoratus Petrus Præpositus, circa annum 768. *Cellam* seu Monasterium Garsense necessario debuisse habere non tantùm sui initium, sed integrum etiam finem seu complementum, aliàs non potuisset dici, quòd Thassilo dictum Monasterium tradiderit Episcopo Salisburgensi, & ad illud gubernandum dederit Bosonem Fundatorem. Quisnam autem Episcopus ille fuerit, itidem certum habetur ex supputatione temporum, fuisse S. Virgilium, qui pro tunc Cathedram Salisburgensem tenuit, quod Hundius hisce affirmat: Præfuit autem B. Virgilius dignitati annis 30. & vivis excessit cum magno suorum mœrore anno Christi septingentesimo octuagesimo quarto aliàs septingentesimo octuagesimo quinto, quinto Calendas Decembris. Undè colligere licet, Ipsum S. Virgilium jam anno 764. Sedem Episcopalem Salisburgensem tenuisse. Atque hæc ipsa clara quoque sunt ex Annot. Arnonis Episcopi Salisburgensis, qui tempore Caroli Magni in officio clarus terrîs supervixit, atque 821. in fata concessit Infulæ præsidens 38. annis. Sed plura de laudatissimo Canoniæ hujus profectu demonstrat sequens

Cata-

Catalogus

Reverendissimorum DD. Præpositorum, & Archi-Diaconorum Garsensium.

I. De primo Fundatore simul & Præposito Cœnobii hujus Bosone, nullibi quidpiam reperitur scriptum, nisi quod Arno & Hundius dicant, fuisse Clericum & Presbyterum, ac Virum Nobilem prædivitem, unumque ex iis, qui olim dicebantur liberi Bojarii, qui multa bona una cum fratre suo Joanne contulit Ecclesiæ Salisburgensi, prout & Salafeldam, Bisontium, & alia. Nisi velis confundere Bosonem hunc cum illo Bosone Martyre Sancto, quem Abbas Trithemius de Viris illustribus sui ordinis scribit, & vixisse circa annum 755. & fuisse Monachum, & prædicâsse in Germania, & Martyrio demùm coronatum esse. Cæterum & Raderus in sua Bavaria Sancta Volum. 3. fol. m. 27. Posonis seu Bosonis meminit hisce verbis:

„Dietmarus Chronologiæ altero laudat Bosonem Merseburgensem Pontificem prioribus voluminibus à me præteritum, hîc, quòd apud Boios natus & denatus sit, reponendum: quamvis in Ecclesiasticorum fastorum censum non venerit, de pietate tamen ejus & religione, studioque Barbarorum, ad Christi sacra ducendorum, apud quos Apostoli munere defunctus est, nihil omninò dubitandum, quibus sibi rebus haud dubiè gradus in cœlum certissimos extruxit, per quos post mortem ad Societatem Beatorum pervenit. Primùm enim apud S. Emerami Ratisbonæ ad omnem pietatis virtutem eruditus cœlo se devovit. Inde ab Imperatore Ottone in Saxoniam ductus magnos inibi labores exantlavit, juxtaque Cicensis Ecclesiæ Urbem in saltu Bosonis ædem sacram Deo posuit. Dein Sclavis, seu Bohemis, Lusatiis, & Ungaris qua ad Orientem vergunt, vel adhuc in Idolorum cultu, veræque Religionis ignoratione versantibus, vel professione Christianis, moribus paganis, cœlestem Christi legem, ingenti cum labore & periculis promulgavit, totásque gentes ad sacra Christiana traduxit, ac demùm Mersburgensis Pontifex creatus, magna cura sua ovilia pavit, rexitque, quæ omnia „& his plura Dietmarus recenset à pag. 25. cal. Novemb. Ita Raderus. Quanquam haud gravatè crediderim, & hunc Bosonem nostrum Garsensem summæ virtutis & Religionis virum fuisse, utpote qui se & divitiis omnibus relictis, Deo quidquid erat ipse in novo abs se fundato Monasterio mancipavit, dicavit, & devovit; non ausim tamen cum quoquam horum Bosonem confundere: non cum sancto Martyre, quia hunc Monachum facit Author, pauperemque Evangelii Prædicatorem, cùm noster Boso Garsensis fuerit & prædives, & Clericus Presbyter, qui titulus semper erat olim contrà distinctus à Monachi nomine, nisi velis abusivè dicere, Canonicos Religiosos esse quoque Monachos, quod quidem largo sensu nihil novi est, cùm Canonici Regulares juxtà SS. Canones nequaquam sint à Monachorum sanctitate sejuncti. Dein credibile est, Bosonem nostrum, cùm Clericorum Regularium in suo Monasterio factus sit Præpositus, non inde vagatum esse per plagas diversas Germaniæ ad annuntiandum Evangelium, sed potiùs suæ Sponsæ Ecclesiæ adhæsisse, & ibi Deo militâsse. Ne quicquam proinde de Martyrio illius constat, quàm sanè prærogativam Arno & alii Authores minimè silentii nubibus contexissent, siquid veritatis res habéret. Licèt verò hæc veriora sentiam, quia tamen nullam in hac assertione, quasi Boso Garsensis is ipse fuerit Boso sanctus Martyr, & Evangelii Christi prædicator, contradictionem reperiam, non contradico eruditiori me sic sentienti. Cum altero verò Bosone, Episcopo Mersburgensi, nullum prorsùs adest fundamentum conferendi Bosonem hunc Garsensem, nam licèt uterque fuerit Bojus, Boso tamen Episcopus nostro Bosone Garsensi longè, & ducentis quidem fermè annis junior est. Enimverò hic noster Venerabilis Boso à Thassilone, qui circa annum 760. jam imperabat, in Præpositum Garsensem Episcopo Salisburgensi præsentatus est; cùm Boso Episcopus primùm sub Ottone I. Saxone Imperatore (qui jugum Imperii anno 936. in se suscepit atque annis 38. tenuit) Episcopalem mitram obtinuerit: quæ temporis intercapedo duo exæquat sæcula. Atque hæc de Bosone Fundatore & primo Præposito Canonicorum Regularium in Monasterio recens extructo, & fundato à se Garsensi & ipsa Origine. Non possum omittere Wolfg. Lazium, qui de Migrat. Gentium lib. 7. fol. 331. scribit, Comites de Burgeck fundatores esse Monasteriorum Gars, & Aw, cui in tantum credo, quòd Benefactores extiterint, non autem Fundatores primi ac primarii. Cæterùm eorum in monumentis Garsensibus & Salisburgensibus non habetur mentio. Quis porrò venerandæ memoriæ Bosoni Fundatori & Præposito primo Garsensi successerit, & quomodo status Monasterii exinde sese habuerit per sequentia tria sæcula, penitùs ignoratur, tum quia Hunnorum, & aliorum hostium continuæ irruptiones devastationes, demolitiones, exustiones identidem Bavariam infestarint; tum quia fortè negligentia Majorum priscô ævô assuetâ nihil annota-

tum

tum, aut certè monumenta fuerint deperdita, seu flammâ, seu ferrô hostili grassante, donec Conradus I. de Comitibus Abenspergiis in Archi-Episcopum Salisburgensem creatus, non tantùm in Metropolitanâ suâ Salisburgensî Ecclesia Canonicos Regulares S. Augustini & pluribus aliis locis instituit, sed & ipsum Canonicorum Garsensium Monasterium novis gratiis locupletaverit, & reformaverit; unde purioris Canonicæ vitæ Spiritum hauriens à B. Conrado Collegium Garsense, ad Posteros eundem tùm transfuderat. Extat Diploma Episcopale in antiquissimo libro M. S. Garsensi, quod sic orditur. Chuonradus Dei gratiâ Salzeburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopus &c. Quia divinis monitis fideles Ecclesiasticarum rerum dispensatores esse frequenter admonemur, sanctorum loca, prout potuimus, alicujus doni honore statuimus sublimare. Instinctu ergò divino Clerici & populi nostri consilio tradidimus super reliquiis S. Mariæ & S. Radegundis in loco, qui dicitur Müldorff omnes Decimas in Novalibus Curzensis forresti inter Brainberth, Holinstein, nec non & Sylvam Hechovve in communem usum Canonicorum, ibidem Deo servientium. Hujus traditionis testes sunt Hengilbrecht Marchio, Hengilbrecht Hallensis Comes. Siurith Comes. Chuno Advocatus, & filius ejus Chuno, Fridrich de Hunesberch, Heinrich de Sechirchen. Megengoz Pincerna, filius ejus Siboto. Othcoz, Adelbero, & filius ejus Durnch, Lintolch, Wisent, Herbort de Friheim. Volcholt, Volcholt, & filius ejus Volcholt, Liutwin de Emphingen, Wolfram de Ophenwanc, Engildich de Perg, Gotfridt, Adolo, Seurith, Starchanth, Abraham, Wernhart & frater ejus Ruodiger, Heinrich & Heinrich, Gothfrid, Ougo, Wezil de Amphingen, Gothfridt de Amphing, Adalprecht, Ruodiger, Pernoldt, Walther de Chreiburc, Arnoldt, & Arnoldt filius ejus Dietmarus, Pruno & frater ejus Wernher, Rouprecht & frater ejus Heinrich, Lamprecht & Wernher, Arnoldt & Richer, & Rouprecht &c. Quam Copiam Donationis Hundius quoque in Metropoli Tom. 2. fol. 129. de verbo ad verbum inseruit. Item apud eundem fol. 131. hæc habentur formalia: *Anno Incarnationis Dominicæ M. C. VII. Indict. 15. Conrado Dei gratia Archi-Præsule Eppo Pater meus dedit me Richardam Sanctæ Dei Genitrici Mariæ, eâ scilicet conditione, ut singulis annis quinque nummos darem eidem Ecclesiæ &c.* Sic & in antiquissimo Codice Garsensi B. Virginis & S. Radegundis à Conrado I. Archi-Episcopo Salisburgensi. Hinc in memoriam perpetuam Archi-Episcopi hujus & Benefactoris Garsensis ejusdem Monasterii sub mense Majo hæc sequuntur inserta verba: Alter Benefactor insignis fuit Conradus, primus hujus nominis Archi-Episcopus Salisburgensis, qui circa annum 1107. Monasterio tradidit ad Reliquias S. Mariæ, Sanctæque Radegundis Decimas Garsensis Foresti &c. cujus causa utique anniversarius dicto Archi-Episcopo & aliis ejusmodi Benfactoribus illo mense perpetuis temporibus in Garsensi Ecclesia Solemnissimè celebrari solet. Ex his itaque clarissimum est, Monasterium Garsense annô præfato 1107. insigniter auctum esse, & jam titulum præsetulisse B. Virginis Mariæ, & S. Radegundis, prætermisso titulo S. Petri, cujus honori primitus erat Monasterium Garsense dicatum, utique eâ de causâ, quia Monasterium Virorum ad Ecclesiam B. Virginis & S. Radegundis fuit translatum, Virginum Cœnobio (de quo infrà) penitùs exauthorato & antiquo Canonicorum deserto, vel destructo, vel exusto, aut quomodolibet devastato, neque enim certò constat de modo aut causa Translationis.

II. Eberwinus, seu Iberwinus adhuc anno 1129. claruit, quod evidens est ex Hundio Tom. 1. fol. 154. ubi inter primos Præpositos ceu testes in causa Ellenhardi Episcopi Frisingensis de aliqua hæresi suspecti subscriptus legitur sub hoc forma: *Iberwinus Præpositus de Garze*, atque sub hoc Prælato Garsensi Cœnobium tantum incrementum maximè Conrado Archi-Episcopo satagente, & favente accepit. Miror Hundio è memoria lapsum in Catalogo Præpositorum Garsensium tom. 2. hic, quòd ejus nullam omninò fecerit mèntionem.

III. Hugo longè adhus illustriori nomine & factis clarus ac primus jurium Ecclesiæ Vindex, & à diversis diversarum Diœcesium Episcopis passim negotiis ritè perficiendis, & expediendis applicitus, testimonium perhibente in id Hundio pluribus locis præsertim Tom. 2. fol. 243. Tom. 3. fol. 231. Item in Reversalibus litteris Severi Præpositi & Capituli Salisburgensis Canonicorum Regularium, quâ in transactione Conradus I. Archi-Episcopus suprà memoratus Metropolitanam suam fecit Regularem, id est, sub Instituto Canonico sub Regulâ & Professione S. Augustini de quo pluribus infrà V. *Salisburgensis.* Porrò sub hoc Viro, æterna memoria dignissimo, Cœnobium Garsense plurimis locupletatum est prædiis & bonis, imò & municipiis nobilibus, cujus ut veritatem faciamus attestatam, ex antiquissimo M. S. & omni jure fidem & authoritatem merente, quod asservatur Thesauri loco in Archivio Garsensi; unum alterumve Instrumentum verbotenus referre liceat, ut sequitur:

„Notitia

„Notitiæ omnium commemoramus, qualiter quidam nobilis homo, no-„mine Wernherus de Geppinheim, coram Cunone Advocato ſine omnium mor-„talium contradictione tradidit prædium ſuum ſuper novale ſitum, quod tunc „Erwinus & frater ejus Enzimannus inhabitabant pro remedio animæ ſuæ, & omnium „Parentum ſuorum ſuper altare Sanctæ Mariæ, ſanctæque Radegundis. Hujus rei teſtes „ſunt idem Cuno, & filius ejus Cuno. Pernhardt, & Wilihalm frater ejus, Gebehart, „Dietrich de Stivingen. Eppo, Conrad, Pabo, Rubert, Sigihard, Eppo de Kirch-„dorff, Luitiwin, Wezil, Adalbrecht de Emphingen, Aſowin, & filius ejus Aſowin „de Hohenhus. Golcholt & filius ejus Golcholt. Ruprecht de Aſchowe, Wilihalm „de Puche, Heribert, Golcholt de Friheim, Engildic de Perge, Pertoldt de Walde, „Arnold, Conrad, Rudolph, Meribot, Sahſo, Ædelo de Wegelingen, Rudiger, & „frater ejus Gebehard. Erwin, Udalric, Wernhard. Hezil, Iruunt, Dietmar.

Sub eisdem teſtibus idem prædictus Wernherus de Geppenheim, quod noverint tam futuri, quàm præſentes, tradidit Erwinum filiósque ſuos Willihalmum, Erwinum, Ottonem, Henricum, Engilbertum, Conradum. Bertholdum, fratrem quoque prædicti Erwini Enzimannum tradidit filiosque illius Bertholdum. Erwinum, Wilihalmum, Heinricum, Fridericum & fratrem Erwini & Enzimanni videlicet Bertholdum cum filiis ſuis Erwino, & Wilihalmo, Engilberto quoque & Richilda ſorore eorum, quæ libertatem ſuam fornicando polluit, & amiſit, & filium ejus Engilbertum. Hos omnes una cum omni virilis ſexus poſteritate delegavit ſuper Altare S. Mariæ, ſanctæque Radegundis, eâ conditione, ut per ejus obitum annuatim quinque nummos perſolvant, ſub quo ſcilicet nummorum jure ei deſerviebant, nec tamen eosdem perſolvere cogantur, quàm ad annos diſcretionis perveniant. Si autem poſt legitimos annos ſolvere noluerint, & per duos vel tres annos neglexerint, niſi perſolvant prædictum tributum, communione ſanctæ Eccleſiæ careant, donec ſtatuta perſolvant, nec tamen Anteceſſorum ſuorum jure priventur. Filiæ autem illorum liberæ permaneant cum omni fœminei ſexus poſteritate, niſi fortè adulterio, vel fornicatione polluantur, ſi quæ autem inter eas adulterio vel fornicatione polluantur, ad nullam tamen aliam ſervitutem redigantur, niſi quòd eâ Virilis ſexus lege teneantur.

Idem Wernherus quadam vice nimia corporis infirmitate detentus, in Megelingin ad majorem prioris teſtimonii Confirmationem Cunoni Juniori Advocato eadem prædia & municipia fideliter prædictæ Eccleſiæ tuenda commiſit. Hoc autem factum in præſentia Heribordi Owenſis Præpoſiti & fratris ſui Luitheri, & Hugonis Garzenſis Prælati, & Bernardi fratris ſui Arnolfi, & Volcholdi, Lazonis & Erwini multisque aliis præſentibus. His & plurimorum aliorum prædiorum & municipiorum ſub poſterioribus etiam Prælatis, donationibus mirum in modum Garſenſe Collegium crevit; licèt ſæculis poſt venientibus maximè rurſus decreverit temporum injuria & adminaſtratorum negligentia. Sed utut hic Wernherus Vir illuſtris & prædives magnus extiterit erga Garſenſem Eccleſiam Benefactor, incitatus tamen Pellicis ſuæ ſtimulis, & habendi cupidine, Deo dicatas ſacrilega prorſus revocatione donationes ſuas retraxit, ſed non ſine manifeſta Numinis vindicta, quæ quia memoria hominum in exemplum aliorum digniſſima, verbotenus rei ſeriem ex eodem antiquiſſimo M. S. Poſteritati transſcribo. Notum ſit omnibus Eccleſiæ filiis, quòd idem, qui ſuprà Vir nobilis Wernherus de Geppinheim traditionem prædiorum, quam fecerat ſolemniter coram Advocato Cunone & filio ejus, multisque teſtibus nondum habens uxorem & filios, cùm ex ancilla Advocati Mathilda filios & filias ſuſcepiſſet, multis modis in irritum ducere tentavit contradicente ſibi fortiter Præpoſito Hugone, ſub quo traditio facta fuerat, eò usque ut tandem multis placitis cum illo decertans, legaliter per ſententiam ſcabinorum obtineret poſſeſſionem prædiorum coram Comite Rapotone, qui ad reſtituendam Eccleſiæ poſſeſſionem Scabinum unum & duos Præcones deſtinavit. Cùm necdum ceſſaret Wernherus, ſed intentiſſimè niteretur, ſpoliare Beatam Dei Genitricem Mariam, ſanctamque Radegundem bonis, quæ dederat, ſuggeſtione Uxoris, quæ eum ad tale facinus inceſſanter impulit, præfatus Hugo Præpoſitus querelam Archi Epiſcopo Salisburgenſi Venerabili depoſuit Eberhardo, qui eundem Wernherum à Divinis eliminavit, quo usque litem remitteret. Mortuo Wernhero (ecce ultionem Divinam utique ad judicium vocante Hugone præmortuo hunc Sacrilegum Eccleſiæ Spoliatorem) ſtatim poſſeſſionem occupavit, & de bonis Eccleſiæ datis ſe intromiſit. Uxor autem illius Mathilda (quam nempe Pellicem dein in Uxorem Wernherus duxit) corpus mariti mortui, qui ſe in Gars ſepeliri cum Progenitoribus ſuis longè ante petivit, ad Monaſterium Auenſe ſepeliendum detulit, ut cujus eleemoſynam B. Dei Genitrici fraudulenter ſubtrahere conabatur, etiam cadaver ei aufferret. Sepulto itaque Viro authoritate pariter, & potentia advocati Dòmini ſui Monaſterii bona prædicta invaſit, ſibique ſervire fecit cum municipiis, quæ, ſicut ſupra dictum eſt, Eccleſiæ tradita fuerunt. Ob hoc Præpoſitus Henricus Advocatum ſæpè

Ll 2 opor-

oportunè satis & importunè monuit, obsecravit, & arguit, sed nihil omnis conatus profecit. Mathilda siquidem Mulier prædicta, quæ Maritum perversis suggestionibus seduxerat, etiam Dominum suum contra B. Virginem Mariam precibus iniquissimis erexit. Favore itaque Domini sui, non paucis annis invasis usa prædiis, cùm Ecclesia nihil spei haberet, & illa nihil ampliùs de remittendis, quæ violenter tenebat, timeret, muliebri sanè levitate vel curiositate cum magno fastu iter in Saxoniam dirigit. Quapròpter intentione ejus cognita Præpositus per Decanum & Parochianum Udalricum de Emphingen, litteris ei directis pro rapina acerrimo Edicto interdixit, si moreretur, corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & ne corpus ejus in Cæmiterio sepeliretur, & ne intret Ecclesiam Dei, nisi resipisceret. Hac necessitate compulsa impetravit à Domino suo, antequam se moveret, cùm tamen jam esset in procinctu diem constitui, & litem terminari quolibet modo, ita tamen ut filii ipsius ab hæreditate Patris non omninò excluderentur. Die igitur constituto vènit Advocatus, multis stipatus militibus, adducens secum & illam, & per multos circuitus diversorum consiliorum videns Præpositus nihil aliud superesse, nisi ut omnia perderet, ut ex multis vel aliqua reciperet, meliùs esse arbitratus est aliquid, quàm nihil lucrari, maximè destitutus omni solatio majoris & melioris judicis, ad quem provocare utile sibi putaret. Unam itaque quam Erwinus inhabitabat, dum viveret, curtim, accepit aliam, quæ in pignore posita fuerat pro quinque libris nummorum, tali ratione, ut si eam vendere vellet Wernherus, nulli prorsus alii, quàm Ecclesiæ daret pro competenti augmento pecuniæ, refutavit cum prædicta pecunia nec non & familiam totam omnem videlicet Posteritatem Erwini & Enzimanni. Sciendum autem, quòd eandem refutationem Præpositus non pro alio quoque nisi pro se solo fecerit, ut si vel Archi-Episcopus, vel de Patribus quisquam litem redintegrare vellet, à causa repelli nullatenus posset. Refutatione facta Otto filius prædictæ Mathildæ simul cum Matre, pro omnibus fratribus & sororibus refutationem fecerunt curtis, quæ in partem cessit Ecclesiæ, juravitque idem Otto, quòd adduceret Nepotem suum filium Willihalmi Patrui sui, ut eandem curtim daret Ecclesiæ, eò quòd in manu ejus diceretur consistere traditio. Utriusque autem Refutationis, & quam fecit Mathilda & filii ejus Otto & frater ejus Udalricus cunctis aliis, quorum lis esse videbatur, nec non & juramenti, quod fecit Otto, sicut dictum erat, testes sunt Henrich de Ramsowe, Eppo & Otto de Kirchdorff, Rupert & filius Epponis, Willihalm de Rimbach, & Heinrich judex, Arnold Sasco, Adelo de Megilingen, Rudiger de Arnowe, Sigihard cognomento puer. Chonnrad de Tegernbach, Engelwertus, filius Erwini, Sigehardus filius Gebhardi.

Sanè siquis scire desiderat, in quàm grave periculum statûs sui seu vitæ, seu honoris vergat omnis contemptus vel conflictus perversus, & iniquus contra B. Virginem Dei Gemitricem ausu sacrilego habitus: ex hujus mulieris id est Mathildæ, de qua superiùs sermo habitus est, morte miserabili, & lamentabili colligi potest. Quæ cùm finita gravissima & diuturna contentione contra Garsensem Ecclesiam B. Mariæ profecta esset, ibi, ut à multis ferebatur, auxilio Dominæ suæ, quæ in terra eodem conjugio copulata fuerat Viro illustri & nobili Luitholdo de Detrsele, sed infecto negotio reversa esset: contigit eam movere litem contra filium suum Ottonem pro prædio, quod abstulerat Ecclesiæ. Illo verò reverentiam servante Matri, blandisque verbis respondente, sua esse omnia, faceret, ut vellet, se nullum ei impedimentum de re aliqua illaturum, quòd ei omnimodam subjectionem, sicut decet, Matri semper, dum adviveret, exhibere promptissima voluntate paratus esset, illa à fervore animi nullatenùs mitigata est. Cùm itaque ille Matris suæ furorem, quem sedare non poterat, declinaret, domumque exiens ascensô equô abiret, illa quoque moræ impatiens ascendit caballum, domumque propriam, ubi post mortem mariti habitare semper consueverat, deserens, ut in Domo, quâ B. Mariam gloriosissimam Virginem spoliaverat, habitaret, stomachando proficisci cæpit unô servulô, & puellâ eam insequente.

Cùm ergo ad domum, ad quam tendebat, jam appropinquare cœpisset, obviam habuit duos Monachos, & declinare eos nitens, sive reverentiam eis servans, sive, quod magìs putabatur, erubescens, quia honestum comitatum non habuit, fræno caballum de viâ flectere cœpit, ipso fræno autem de manibus dimisso, cum mantello vario, quod super humeros posuerat, & ex parte collapsum erat, recolligere, seseque cooperire vellet palefredus incertum undè exterritus saltu prosiliit, & Dominam suam dejecit, pendentémque pede uno in strepâ, quia non muliebrem, sed virilem sellam ascenderat, per vepres & spinas huc illucque trahebat. Disruptis itaque suis omnibus, quibus induta erat vestibûs, à cervice usque deorsum toto corpore nudato, & tam calcibus equi, quàm vepribus & spinis contrito & dilacerato, mortua est, & ante domum cujusdam Rustici vix capta est. Talem finem habuit mulier, quæ in Matrem Domini Nostri Jesu Christi, Dominam videlicet Mundi, & Cœli Reginam ausu nefando manus crudelissi-

deliſſimas mittere nondubitavit, utneque in domo propria, neque in domo, qua ſpoliaverat Eccleſiam B. Mariæ quieſcere, diémque extremum claudere mereretur.

Hucusque Codex ille Garſenſis, quæ omnia contigêre tempore Hugonis iſtius & Henrici proximi Succeſſoris Præpoſitorum Garſenſium.

Eodem adhuc præſidente Hugone iſto Eberhardus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis in propria perſona conſecravit Eccleſiam S. Andreæ in Thal cognominatam Matricis Garſenſis filiam. Quidam etiam Miniſterialis Eccleſiæ Salisburgenſis Auram (fortè Abraham) nominatus tradidit ſuper reliquias B. Virginis & S. Radegundis in Gars, præſentibus multis Religioſis ac Nobilibus Viris & aliis teſtibus pro remedio animæ ſuæ, ſuarúmque coram Conrado I. Archi-Epiſcopo prædia ſua Iſina, Owe, Erſting, Rabach, duas vineas Winterberge ac inſuper Capellam in prædia Iſina fundatam.

IV. Henricus I. Rexit anno 1163. qui & primus inter Venerabiles antiquiores Antiſtites audit Archi-Diaconus, cujus gratia ſupereſt Diploma quoddam Pontificium ab Alexandro Papa Tertio clementiſſime datum, cujus tenor talis eſt: Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis omnibus Presbyteris & Clericis in Garſenſi Archi-Diaconatu conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Qui Magiſtris & Prælatis ſuis inobedientes & rebelles exiſtunt, & eis debitam obedientiam & reverentiam exhibere contemnunt, graviter procul dubio peccant, quia Divinæ Majeſtatis aſpectum offendunt, & Idololatriæ ſcelus incurrunt. Nam quanta ſit obedientiæ Virtus, primi Parentis inobedientia evidenter oſtendit. Sane cum per primi hominis inobedientiam humanum genus cæleſtem illam Beatitudinem, & Angelorum conſortia miſerabiliter amiſerit: neceſſe eſt, quòd eadem ſecundi hominis obedientiam & patientiam imitando ſtudeat adipiſci. Inde eſt, quòd Univerſitati Veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus dilecto filio noſtro Henrico Præpoſito Veſtro, quem intuitu ſuæ probitatis & devotionis, quam erga Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, & nos ipſos laudabiliter exhibet, arctioris charitatis brachiis amplexamur, debitam in omnibus obedientiam & reverentiam exhibeatis, & eum tanquam Patrem & Magiſtrum veſtrum honorare curetis. Siquis veſtrum autem procacitatis & ſuperbiæ Spiritu agitatus, ei obedire contempſerit, ſententiam, quam ipſe in eum propter hoc rationabiliter promulgaverit, Nos auctore Domino ratam & firmam habebimus. Dat. Tuſculani Decimo ſeptimo Calend. Julii.

V. Fridericus I. violenter intruſus, de quo reſtant ſolum ſequentia ex Annalibus Domeſticis deprompta: *Idem Henricus circa annum 1168. adhuc inter vivos erat, & corporali poſſeſſione iſtius Prælaturæ, prout clariſſimè hæc & alia plura patent ex Relatione Alberti Archi-Epiſcopi Salisburgenſis quam Cæleſtino III. pro Garſenſibus contra Avenſes fecerat in puncto violentæ detentionis Capellæ Pürten, quam ſcilicet Nobilis Matrona Irmengardis cum omnibus pertinentiis ſuis Monaſterio donaverat ſub Eberwino Præpoſito recenſito ſupra*, de quo ſuperat Autographum Papale in Archivio Garſenſi reconditum.

VI. Egelophus, ſeu Egenolphus, cujus temporibus univerſam ferè Chriſtiani Orbis Rempublicam acerrime contriſtavit & afflixit ſchiſma inter Alexandrum III. & Paſchalem (cujus partes fortiſſima manu tenuit Fridericus I. cognomento Barbaroſſa) Pſeudo-Pontificem in extimam multorum perniciem exortum, de quo gentis Boicæ Annales authore Adlzreüttero noviſſime conſcripti Part 1. lib. 22. num. 28. hæc referunt: *hinc ſecuta paſſim triſtia rapinarum, aliorúmque malorum exempla, quæ edebantur impune in aperta libertate peccandi, quæ Cæſaris non modo voluntate, ſed etiam Imperio graſſabantur.* Quæ calamitas maximè tenebat Diœceſin Salisburgenſem in odium Conradi Archi-Epiſcopi partes Alexandri conſtantiſſime ſecuti, de quibus miſeriis ibidem paulò ante dictum hiſce: *Quo reſponſo* (Conradi Archi-Epiſcopi ſcilicet) *Fridericus velut actus in rabiem ſubito omnes Salisburgenſis Eccleſiæ poſſeſſiones occupat, partiturque inter ſuos Gnathones ſimul, non ſecus atque hoſtes Imperii omnes Cœnobitas direptioni devovet, quotquot Conradi ſententiæ vel authoritati quicquam eſſent dilaturi.* Quod malum Garſenſe Collegium vel maxime tum pulſavit. Enimverò hæc calamitas non ſolùm ſub Conrado II. ſed & ſub Adelberto Archi-Epiſcopis perduravit, usque dum inter Papam Alexandrum, & Fridericum Imperatorem Generalis pax fuerit ſancita, quod factum eſt Venetiis anno 1177. Hic igitur Egenolphus ad hanc Prælaturam tunc fortè vacantem contra omnium jura tam ſacra quam profana ab Imperatore (cujus Sacellanum agebat) Friderico potenter intruſus, & ita non per januam, ut paſtor fidelis, ſed ſicut fur & Latro clancularium irrepſit, ac interea quia haud aliter fieri poterat, Eberhardus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis in odium hujus Prælati tanquam intruſi ſolum Lothario Augienſi Præpoſito conceſſit omnibus frui bonis Monaſterii Garſenſis, uti & Capellam Beatæ Mariæ Virginis celebrem in Pürthen eidem ad tempus conceſſit. Hic idem Conradus III. Archi-Epiſcopus Salisburgenſis Egenolphum

Pseudo-Præpositum tum ejecerat, & legitimum alium Antistitem Claustralem substituit Joannem. Quanta hujus Cœnobii dignitas tum fuerit, exinde patet, tum quia Magnates magna huic beneficia & bona præstitere; tum quia ipse Imperator suum Capellanum huic præfecit, qui non nisi ad opima & præcellentia beneficia, Abbatias & dignitates suos Domesticos & suæ Majestati addictos promovere satagebat.

Hundius hic animadvertendus, imò & corrigendus est, ubi Tom. 2. fol. 131. de Egenolpho isto sic scribit: *Hic* (anno 1160.) *Egenolphus fuit Imperatoris Friderici Capellanus, & ab eodem Imperatore ad hoc Monasterium tempore schismatis intrusus. &c.* ubi calculus anni 1160. non quadrat, cum certum sit, Henricum Prædecessorem usque ad annum 1168. pacificè gubernasse Prælaturam simul & Archi-Diaconatum Garsensem. Ergò melius ipse Hundius scripsisset 1170.

VII. Joannes I. Vir eximiæ virtutis circa annum 1177. præfuisse notus, ex antiquioribus Tabulis, quæ præter alia docent, etiam sub hujus Regimine Conradum III. Archi-Episcoporum Salisburgensem Ordinem Canonicorum sub Regula S. P. Augustini perpetuis futuris temporibus in Ecclesia Garsensi tenendum, authoritate Ordinaria statuisse, ipsúmque locum omnibus attinentiis sub singularem S. Ruperti protectionem suscepisse. Superant etiamnum publicæ Litteræ ab eodem Metropolitano Garsensibus impertitæ, quarum tenore in plenam & omnimodam possessionem confirmantur reditus, & jura à tempore Conradi I. Archi-Episcopi Salisburgensis Monasterio huic & Canonicis illius collata & concessa. Item duæ Parochiæ Seon & Pemmaring infrà limites Diœcesis Frisingensis constitutæ.

VIII. Berchtoldus I. anno 1185. maximæ existimationis fuit apud Sedem Apostolicam, & res ac Jura Monasterii gnaviter tuitus est, qui mox à suscepto Regimine Sedem Apostolicam per Litteras supplices adiit pro confirmandis Privilegiis, Juribus & & possessionibus tum novis tum antiquis, quod etiam feliciter obtinuit amplissimo Diplomate in id clementissime dato, quod sic sonat: Lucius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Berchtoldo Ecclesiæ S. Mariæ Præposito ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam Professis in perpetuum. &c. Quoties à Nobis petitur, quòd Religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Ea propter Dilecti in Domino filii vestris justitiæ postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam S. Mariæ in Garzee, in qua divino mancipati estis obsequio sub B. Petri & nostri protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & Canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, Largitione Regum vel Principum oblatione fidelium seu aliis Justitiæ modis præstante Domino poterit adipisci, firma Vobis, vestrisque Successoribus & illibata permaneant: In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Omnes decimas Parochiæ vestræ, in qua Monasterium vestrum consistit, & alias decimas, quas sive in Episcopatu Frisingensi, Ecclesia vestra juste & legitimè possidet. Omnes etiam decimas de Novalibus Garsensibus foresti inter Brumberg & Hollenstein, nec non & Sylvam Aychenawe dictam, quam Conradus Archi-Episcopus Senior Ecclesiæ vestræ contulit, Capellam quoque Bürthen cum domibus & decimis, quam ejusdem loci Præpositi habuerunt, nos in comunem usum Fratrum Regularium ibidem Deo servientium confirmamus. Prædia item omnia, quæ Auram de Isene Ecclesiæ vestræ contulit cum Capella in eodem prædio Isene (Kirch-Isen) sita, quam Conradus Salisburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopus petitione ipsius Auram cum omnibus ad eam pertinentibus Ecclesiæ vestræ tradidit & confirmavit. Prædium etiam Geffenheimb cum Capella in eo sita (vulgò auf dem Waasen) & alias Capellas ad vestræ Ecclesiæ Jus pertinentes. In Episcopatu quoque Frisingensi Capellas in fundo Ecclesiæ vestræ sitas Seon, & Pemmaringen cum decimis, quas Præpositi ejusdem Ecclesiæ coram Ottone Frisingensi Episcopo justè & legitimè possidere comprobaverunt, nos confirmamus. Sanè Novalium vestrorum quæ propriis manibus ac sumptibus colitis, sive de Nutrimentis animalium vestrorum nullus à vobis decimas exigere & extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos & Laicos è sæculo fugientes liberos & absolutos absque alicujus contradictione ad conversionem recipere, & in vestra Ecclesia retinere.

Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco Professionem, sine Præpositi sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, fas sit de claustro discedere, discedentem verò absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat Vobis januis clausis non pulsa-

pulſatis campanis excluſis excommunicatis & interdictis ſubmiſſa voce divina officia celebrare. In Parochialibus inſuper Eccleſiis, quas tenetis, liceat vobis Sacerdotes eligere, & Diœceſano Epiſcopo præſentare, quibus, ſi idonei fuerint, Epiſcopus curam animarum committat, ut ei de Spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant reſpondere. Porrò Advocatum Eccleſiæ veſtræ, ſi malè ſe geſſerit liceat vobis ſine contradictione qualibet facere à Monaſterio alienum, & loco ejus alium idoneum ſi neceſſum fuerit, ſubrogare. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Præpoſito, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſive violentia præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu conſilii ſanioris ſecundum Deum, & B. Auguſtini Regulam præviderint providendum. Præterea ſepulturam ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe ibi ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, de quibus corpora mortuorum aſſumuntur. Decernimus ergò, ut nulli omninò hominum liceat Eccleſiam veſtram temerè perturbare aut ejus poſſeſſiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, vel ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integrè conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa, uſibus omnimodis profutura ſalva Sedis Apoſtolicæ authoritate & Diœceſani Epiſcopi canonica Juſtitia.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica Sæcularisve Perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam violaverit, aut ſciens contra eam venire tentaverit, ſecundò, tertiove commonita, niſi reatum ſuum dignâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine divinæ Ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua Jura ſervantibus ſit Pax Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ Pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Aliam porrò Confirmationem Ordinis Canonici ſecundum Deum & B. Auguſtini regulam, aliorúmque Jurium & privilegiorum Monaſterio competentium à Lucio Papa III. confirmatorum anno 1189. obtinuit idem Berchtoldus Præpoſitus & Archi-Diaconus à Clemente III. Pont. Maximo unà cum Apoſtolica protectione clementiſſimè præſtanda, cui (quod una cum priori adhuc integrum ſervatur) diplomati ſubſcripſere ſex Cardinales & tres, proximè verò priori tredecim Cardinales.

IX. Adulanus, item Adelanus, & Adelwinus in donatione Parochiæ Obingenſis Benedictinorum Monaſterio *Seon* appellato facta anno 1205. ſubſcriptus Parochiam *Stephans Kirchen* nuncupatam pro Capella in Bürthen per amicabilem tranſactionem Garſenſes inter & vicinos Augienſes initam, eamque authoritate tum Apoſtolica tum Ordinaria firmatam accepit; aliam quoque Parochiam Pemmaring ſecundùm jura ſua non nihil turbatam & impugnatam ſibi ſuíſque ſalvam & integram ſervavit.

X. Henricus II. ab Hundio quidem neglectus, in tabulis tamen ſingulariter commendatus, ſiquidem ad hujus inſtantiam Eberhardus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis publico teſtimonio roboravit feudum quoddam in Moesling, Treybach &c. quæ ad pias cauſas obtulit Eppo Mareſchallus in Megelingen pro tempore Miniſterialis Eccleſiæ Salisburgenſis. Huic porrò Henrico viro in paucis Sapientiſſimo Honorius Papa III. authoritate Apoſtolica demandavit Commiſſionem quandam Pontificiam una cum Præpoſito Salisburgenſi fideliter exequendam, cujus delegationis tenor iſte eſt: *Honorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Salzburgenſi & Garſenſi Præpoſitis Diœceſis Salzburgenſis Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Querelam dilectorum Filiorum Præpoſiti & Capituli Berchtoldsgadenſis recepimus, continentem, quòd Ulricus Clericus de Aychen Ratisbonenſis Diœceſis ſuper Eccleſia eorum de Puhenkirchen & aliis rebus moleſtarit eosdem. Ideoque diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis cauſam &c. &c. Datum Romæ apud S. Petrum undecimo Calendas Junii Pontificatus noſtri anno tertio*, id eſt anno gratiæ 1219. regiminis verò Henrici iſtius Primo.

Porrò ſub eodem hoc Præpoſito Cuno de Sneitſee Salisburgenſis Eccleſiæ Miniſterialis ad Altare S. Mariæ Virginis, Sanctæque Radegundis tradidit prædium *Manoltsheim* coram teſtibus Ethicone, Enzimanno, Adalberto, Riwino, & Atolfo Mercatoribus de foro Garſenſi, & aliis; quam donationem annullare quidem tentavit Cuno de Harde Miniſter Marchionis Engilberti de Craiburg, qui tamen lite & cauſa totaliter excidit coram Advocato Eccleſiæ Garſenſis. Atque hujusmodi lites feliciter finiit hic

Præpositus, victoria potitus adversus hostes Ecclesiæ suæ satis infestos, aliquot insuper prædiis eam ditans, & quod res est, non tantum prædiis auxit, sed & mancipiis super Altare B. Mariæ Garsensis devotis, quæ inter nominatim fuit Wernheri de Monte viri militaris & ex Sorore Neptis Gertruda & Adelaidis, quæ licèt liberæ conditionis suapte tamen sponte & devotione incitata coram Matre sua Hildegarda ac multis testibus semetipsam tradidit ad Altare Dei Genitricis de Gars pro tuitione & defensione Ecclesiæ, eâ ratione, ut tam ipsa, quàm omnis ejus posteritas annuatim quinque nummos dicto Altari solverent, & quidem siquis ex Posteris triennio solvere neglexerit, & anno quarto se non emendaverit, omnino stipendiarius fieret Ecclesiæ. Hujusmodi verò mancipia, & quidem nobilia, Garsensis Ecclesia habebat plurima; non item hodie, quocunque demum fato subtracta.

XI. Fridericus II. qui & ipse nova prædia adjecit, & optimè administravit; vita functus anno 1239.

XII. Eppo vixit circa annum 1250.

XIII. Udalricus floruit circa annum 1274. atque Monasterium suum non tantùm insigni quodam prædio *Marchoff* appellato ex donatione Bertholdi de Frauenberg in aula Bavarica Ministerialis oblato, sed & amplissimis insuper privilegiis & indulgentiis augmentari fecit, ab omnibus illis, qui quomodocunque manus auxiliatrices Ecclesiæ conferrent, lucrandis desuper obtento, quod etiamnum extat, Pontificio Diplomate Alexandri IV. sub dato Romæ 5. Idus April. anno 1261. unde manifestè præterea liquet, hunc Udalricum Præpositum post annum 1250. regimen tenuisse, quem tamen Hundius prætermisit, & econtra Ernestum quemdam, de quo nulla ex Actis habetur notitia, nescio quo fundamento inseruit. Subdere hic placet Diploma Pontificium, id temporis clementissimè datum, prout sequitur: Alexander Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Præposito Monasterii in Gars ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris Regularem vitam Professis in perpetuum &c. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium de Garz Salisburgensis Diœcesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri & nostra protectione suscripsimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum & B. Augustini regulam in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsentiarum justè ac Canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque Successoribus & illibata permaneant; In quibus hæc propriis duximus exponenda vocabulis, Locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; decimas, quas habetis in loco, qui vulgariter appellatur Garz; decimas, quas in Salisburg. & Frising. Diœcef. obtinetis; decimas novalium, quas in foresta, quæ in Garzenz, Granberg, & Kolenstein posita nascitur, obtinetis; Sylvam unam sitam in loco, qui dicitur Aichenawe; prædia, quæ habetis in loco, qui dicitur Isani; Capellam unam cum suis pertinentiis in eodem loco sitam; Prædium unum situm in loco Gettenheim vulgariter nominato, & Capellam ibidem sitam cum omnibus pertinentiis suis; Capellas sitas in locis Seon, & Pemmaring vulgariter nominatis, & decimis cum omnibus attinentiis eorundem: Ecclesiam sitam in loco, qui dicitur Stephans-Kirchen cum omnibus pertinentiis suis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis, & pascuis in busco, & in plano, in aquis & molendinis, in viis, & semitis, in omnibus aliis libertatibus & imunitatibus suis. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos & Laicos liberos & absolutos è sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro Professionem fas sit: sine Præpositi sui licentia de eodem loco, nisi arctioris Religionis obtentu discedere, discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis non pulsatis campanis suppressa voce divina celebrare, dummodò causam non dederitis interdicto. Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationes Altarium seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholi-

tholicus fuerit, & gratiam ac communionem SS Sedis Romanæ habuerit, & ea vobis voluerit ſine pravitate aliqua conferre. Prohibemus inſuper, ut infra fines Parochiæ veſtræ nullus ſine aſſenſu Diœceſani Epiſcopi, & veſtro, Capellam ſeu Oratorium de novo conſtruere audeat ſalvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archi-Epiſcopis, Epiſcopis Archi-Diaconis ſeu Decanis aliisque omnibus Eccleſiaſticis ſæcularibusve Perſonis à vobis omninò fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui ſe ibi ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, aut etiam publicè uſurarii, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decimas præterea & poſſeſſiones ad Jus Eccleſiarum veſtrarum ſpectantes, quæ à Laicis detinentur, redimendi & legitimè liberandi à manibus eorum, & ad Eccleſias, ad quas pertinent, revocandi libera ſit vobis de noſtra authoritate facultas. Obeunte verò Te nunc ejuſdem loci Præpoſito, vel tuorum quolibet Succeſſorum nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum major pars conſilii ſanioris ſecundum Deum & B. Auguſtini Regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati veſtræ paterna impoſterum ſolicitudine providere volentes authoritate Apoſtolica prohibemus, ut infra clauſuras locorum ſeu grangiarum veſtrarum nullus ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates, & exemptiones ſæcularium exactionum à Regibus & Principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus ergò, ut nulli omninò hominum liceat præfatum Monaſterium temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integrè conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodè profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ authoritate, & Diœceſani Epiſcopi canonica Juſtitia, & in prædictis Decimis moderatione Concilii generalis. Si quæ igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſæcularisve Perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam violaverit, aut ſciens contra eam venire tentaverit, ſecundò, tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reámque ſe divino Judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à SS. Corpore & Sanguine Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit Pax Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Datum Laterani per manum Magiſtri Jordani S. R. E. Notarii, & Vice Cancellarii V. Idus Aprilis, Indictione III. Incarnationis Dominicæ anno M. CCLXI. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ IV. anno ſeptimo.

Hactenus tenor Bullæ, unde manifeſte liquet, Udalricum Præpoſitum iſtum poſt annum 1250. regimen tenuiſſe, quem tamen Hundius & aliquot ſubſequentes Præpoſitos in totum omiſit, contra Erneſtum quemdam appoſuit, quem tamen Index Domeſticus haud novit.

XIV. Conradus ex pluribus Authographis anno 1288. Prælaturam & Archi-Diaconatum Garſenſem laudabiliter adminiſtraſſe cognitus, idem anno 1307. deceſſiſſe teſtimonio lapidis ſepulchralis deprehenſus certis temporibus ſpeciales quasdam Miſſas à Sacerdotibus ſuis Conventualibus celebrandas inſtituit; item Anniverſarium pro Domino Reichero Vizdom fundatum approbavit.

XV. Thomas inter Venerabiles Antiſtites Garſenſes in Actis ſpecialiter recenſitus.

XVI. Jacobus anno 1311. Supremum locum inter Garſenſes tenuiſſe legaliter, ex antiquioribus tabulis optimè notus.

XVII. Gundakerus anno 1317. Sexto Idus Julii mundo terreſtri ſimul & regimini denatus, cæterà incognitus.

XVIII. Sigefridus anno 1317. ſuprema Jura Garſenſibus dictâſſe notus, approbavit Anniverſarium à Nobilibus de Tauffkirchen cognominatis in Eccleſia Garſenſi fundatum.

XIX. Hartneidus electus anno 1326. ad Religioſum Cætum ſuum ſupplicem recepit Nobilem Virum Conradum de Holderen, admiſit etiam & approbavit Anniverſarium à Conrado de Hampersdorff fundatum.

XX. Berchtoldus II. electus anno 1330. instituit distributionem liborum in die Parasceves faciendam; item à Friderico Archi-Episcopo renovari & confirmari procuravit jura, per totum Archi-Diaconatum colligendi siliginem (vulgò Kirchkorn) de quo jure seu potius de illius origine suo loco sequentia habentur annotata: Fuit laudabilis consuetudo, eóque pervetusta nimiùm, quæ longe prius jam invaluerat, ut videlicet omnes Parochiales Ecclesiæ Garsensis Archi-Diaconatus infrà hebdomadem Pentecostes processionaliter, ut vocant, cum vexillis suis ad Metropolitanam Ecclesiam Salisburgensem singulis annis irent supplicatum, & ad Altare S. Ruperti quælibet Curta Villicalis (ein ganzer Hoff) duodecim Denarios, Hueba verò quælibet octo, & Feudum quatuor monetæ usualis devote offerrent. Pro sublevando hoc onere peregrinationis Archi-Episcopo Salisburgensi Parochiani humiliter supplicârunt, fuitque posteà per Archi-Episcopum cum illis ita dispensatum, ut pro Ecclesia Salisburgensi longè dissita, Garsensem viciniorem processionaliter singulis annis visitarent, ac pro illis denariis quælibet Curia Villicalis bladi metretam unam (id est einen Mezen Korn) quælibet Hueba ejusdem bladi metretam dimidiam, Feudum quodlibet quartale unius metretæ in blado singulis annis erogarent in satisfactionem & recompensationem laboris &c. &c. Quod jus hodiedum manet in vigore, licet satis imminutum.

XXI. Stephanus jam anno 1337. in Regimine præclarus, gnaviter rem Monasterii gessit, pluribus illud locupletans prædiis emptitiè comparatis, indéque fundans & instituens distributiones, pro Canonicis suis claustralibus tenendas & observandas; neque enim tam stricta & rigorosa erat id ævi Religiosa paupertas, ut nemo haberet quidquam; quod indulgendum tempori, quo passim sic victitabatur etiam in Metropolitano Salisburgensi Canonicorum Regularium Collegio. Ex suis porrò reditibus Stephanus iste Præpositus benignus admodùm in omnes illo vivendi more concessis, Anniversarium sibi constituit, post mortem in remedium animæ suæ sibi celebrandum. Animam egit anno 1348. dum prius anno proximè præcedenti reconciliari fecit Cæmiterium suum Garsense, de quo superest Authographum hujusmodi tenoris. Nos frater Ortolphus Dei gratia Archi-Episcopus Oppamiensis, Ordinis Prædicatorum, constare volumus inspectoribus præsentium universis, quòd moti & inclinati affectione purâ & tali, qua moveri potuimus circa Ecclesiam Garsensem, cujus Cæmiterium aspersione reconciliavimus, eandem Ecclesiam quadraginta dierum criminalium, & totidem venialium dotavimus indulgentia. Sic quòd omnibus prædictæ Ecclesiæ porrigentibus manum suam adjutricem, vel eandem devotè visitantibus in quatuor solemnitatibus B. Genitricis Dei Mariæ, similiter & in die S. Radegundis de injuncta sibi pœnitentia singulis annis misericorditer relaxamus. Datum & actum in Gars anno 1347. quinto Calendas Septembris.

XXII. Thomas II. electus anno 1349. obtinuit privilegium admittens usum Bireti, Religiosis Canonicis Garsensibus concessum, prout sequitur: Ortolphus Dei gratia Sanctæ Salisburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus dilectis in Christo Præposito & Archi-Diacono & Capitulo Monasterii Garsensis nostræ Diœcesis Salutem in Domino &c. Merita Religionis & vestræ devotionis affectus, quem ad nos & nostram Ecclesiam geritis, gratiosius nos inducunt, ut votis vestris, quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus; hinc est, quòd vobis & Successoribus vestris Canonicis Garsensibus, usum Bireti sicut vestra instanter supplicavit devotio, successivis temporibus perpetuò concedimus & permittimus harum testimonio litterarum. Datum Salisburgi III. Idus Aprilis anno 1351.

XXIII. Jacobus II. brevissimo solùm temporis intervallo sub annum 1364. Garsensem Antistitem egisse suis locis inter reliquos legitur annotatus.

XXIV. Albertus de Leuzendorff ad subsellia vacantis Præpositurae simul & Archi-Diaconatus Garsensis circa annum 1367. promotus, idem Jurium ac Privilegiorum Monasterii sui acerrimus vindex parentes habuit sanguine nobiles ac prædivites Conradum & Wandelbergam, qui cum filio suo Thoma natu minore anno 1371. fundarunt Anniversarium mense Martio quotannis celebrandum, totam bonorum suorum immobilium substantiam in id tradentes; procuravit etiam authoritate Metropolitani confirmari compositionem seu permutationem Capellæ Pürthensis cum Ecclesia in Stephans-Kirchen suprà in Adulano nono secundum ordinem Præposito relatam; nova quoque confirmatione reiterari fecit privilegia à Georgio Papa XI. per sequentem Bullam.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Præposito & Conventui Monasterii S. Mariæ de Gars per Præpositum soliti gubernari Ordinis S. Augustini Salzburgensis Diœcesis salutem & Apostolicam Benedictionem. &c. Cùm à nobis petitur, quòd ustum est,

&

& honeſtum, tam vigor æquitatis quàm Ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu omnes libertates & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſive per privilegia, ſeu alias Indulgentias Vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſæcularium exactionum à Regibus, Principibus, & aliis Chriſti fidelibus rationabiliter Vobis & Monaſterio prædicto indultas, ſicut ea juſtè & pacificè obtinetis, Vobis & per Vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenione 14. Calendas Februarii Pontificatus noſtri annô quartô id eſt Chriſti 1374.

Tenor verò Confirmationis Prælaturæ & Archi - Diaconatus Garſenſis ita ſonat:

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Alberto de Leuzendorff Præpoſito Eccleſiæ B. Mariæ in Garz Salzburgenſis Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem &c. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere aſſenſum, & vota, quæ à rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Eapropter Dilecte in Domino Fili juſtis tuis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu Præpoſituram & Archi - Diaconatum Eccleſiæ B. Mariæ in Garz prædictæ invicem canonicè annexos cum pertinentiis ſuis, quos te Canonicè proponis adepturos, ut eos juſtè poſſides & quietè, tibi authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenione 16. Calendas Julii, Pontificatus noſtri anno tertio, id eſt Chriſti 1373.

XXV. Zacharias circa annum 1381. commiſſum ſibi Prælaturæ regimen vix ad biennium deduxit, quocunque demum fato citiùs præter ſpem interclusum.

XXVI. Jacobus III. Vir ſtudioſus ac providus Sedis primariæ munus ſimul & onus inter Garſenſes ſuſcepit anno 1383. tum anno 1388. à Joanne Præpoſito & Archi - Diacono Baumburgenſi adſtante coram per Notarium publicum in id ſpecialiter requiſito Tranſumptum apparari fecit ſuper exemptione aliisque Monaſterii ſui privilegiis, quondam ab Alexandro Papa IV. collatis, nec non ſuper Jure Patronatus Parochialis (quæ eſt in Diœceſi Friſingenſi) Eccleſiæ Peumaningenſis.

XXVII. Jacobus IV. Hinderkircher cognominatus anno 1414. ſupremam dignitatem Garſenſem legitimè conſecutus, ſat benè rebus præfuit. Reſtat ab ipſo effigies propria in habitu Præſulari cum ſcuto gentilitio marmori inſculpta poſt mortem, quam ſubiit anno 1420.

XXVIII. Conradus II. Petzhaimer, itidem ex ſepulchrali marmore cum nobilibus Inſigniis hodiedum conſpicuo diem ſuum anno 1435. obiiſſe notus.

XXIX. Thomas Surauer, electus anno 1435. beneficos admodum habuit Nobiles de Morgenreitter & alios de Pernberck nuncupatos, item Georgium Fraunberger de Hohenburg Dominum in Hag anno 1438. (ex quo priùs turrim Baſilicæ Garſenſi contiguam, ſolis ſuis ſumptibus ædificari fecit hodiedum adſpectandam) temporali morte ſublatum. Tandem & ipſe Venerabilis Præſul Thomas Paſtor optimus, vigilantiſſimus ſuper gregem ſuum anno 1455. vita temporali defecit: cui principale quaſi marmoreum quoddam ad Aram S. Virginis & Martyris, cui ſingulariter, quoad potuit, deſerviit, Catharinæ monumentum fuit poſitum opere non tam raro, quàm pretioſo confectum.

XXX. Chriſtianus Nadler Landishutanus Bojus, non niſi nomen ſuum à morte, quam anno 1459. pertulit, poſteritati reliquit.

XXXI. Joannes II. Moshamer cognominatus. Hic quanti valoris Romæ apud Sedem Apoſtolicam fuerit, colligere juvat ex cauſa Apoſtolica, Ei ſub annum 1468. commiſſa per ſequentem Bullam:

Paulus Epiſcopus Servus Servorum Dilecto nobis filio Præpoſito Monaſterii in Gars, Salzburgenſis Diœceſis per Præpoſitum ſoliti gubernari, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem &c. Sua nobis dilectus filius Alexander perpetuus Vicarius Parochialis Eccleſiæ in Prien Chiemenſis Diœceſis petitione monſtravit,

quòd olim Petrus Schmid de Wiſtal Laicus Salzburgenſis Diœceſis falſo aſſeverarit, quòd dictus Alexander tunc in eâdem Diœceſi Salzburgenſi commorans ſibi quasdam graves injurias tunc expreſſas contra juſtitiam irrogaſſet, eundem Alexandum ſuper hac petendo eum condemnari & compelli ad dandum & ſolvendum ſibi quandam pecuniarum ſummam, ſimiliter tunc expreſſam pro emenda ſeu in recompenſationem injuriarum hujus coram Officiali Salzburgenſi non ex delegatione Apoſtolica traxiſſet in cauſam, idem Alexander eundem Petrum, qui ſibi quasdam graves injurias etiam tunc expreſſas contra Juſtitiam irrogaverat ſuper his coram dicto Officiali reconvenit, ipſeque Officialis in conventionis pro dicto Petro, & contra præfatum Alexandrum in reconventionis verò cauſis prædictis pro ipſo Alexandro contra præfatum Petrum ſententiam promulgavit, à qua ipſe Alexander in ea parte, qua contra eum lata eſt ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in appellationis cauſa hujusmodi procedens legitimam ſententiam ipſam in præmiſſa parte confirmare vel infirmare appellatione remota procures, prout de jure fuerit faciendum. Dat. Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octavo. Idibus Auguſti Pontificatus noſtri anno quarto.

Porrò hic idem Joannes Præpoſitus obtinuit etiam novam Confirmationem colligendæ Siliginis per totum Archi-Diaconatum Garſenſem (juxta ſuperius dicta) faciendæ, ac tandem diem ſuum obiit anno 1469.

XXXII. Joannes III. Stockhamer, Præſul omnibus numeris abſolutus, utpotè ſapientia clarus, ſplendore virtutum inclytus, rebusque geſtis adeò magnus, & meritò in horizonte Garſenſi inter maxima Sydera ſuſpiciendus, potens opere & ſermone, totâ dexteritate ſua ſingulariter pollens, apud Magnates tum Eccleſiaſticos, tum Politicos, ſed & ipſum Summum Orbis Chriſtiani Hierarcham, præfuit dignitate, quantâ nullus Anteceſſorum, profuit tamen meritis ampliùs quàm præfuit, verè decus inclytum Religioſorum Antiſtitum, atque ſub hoc feliciſſimo ſydere Canonia Garſenſis maximum ſumpſit incrementum; floruere ſiquidem temporibus digniſſimi Prælati hujus pietas, religio, virtus, decus, opes, imò omnia, ſanctiſſimæ Patronæ Radegundi deditiſſimus, cultum & honorem illius in tantum promovit, ut majora priùs non ediderit miracula. Hinc laudatiſſima diligentia meritiſſimus, Reginæ Capellanus haud parum nec vulgaria doctiſſimo ſuo calamo Poſteris commendavit, quæ hodiedum exhibet magna ſatis & elegans tabula picta, in templo Garſenſi ad Aram S. Reginæ hujus pendula, quam haud ita pridem ex antiquis, quæ ſuperfuerunt Chartarum fragmentis eruderavit Admodum Reverendus Religioſiſſimus ac Clariſſimus Dominus Joannes Chryſoſtomus Hager Decanus, quibus autem incrementis meritiſſimam ipſe perſonam ſuam, & totum ſuum Canonicorum Collegium evexerit, & privilegiis auxerit, docebunt meliùs Ectypa ex ipſis Authographis fideliſſimè deſumpta, quorum primum hìc nobis occurrit privilegiorum confirmatio à Sixto Papa IV. clementiſſimè data ſub ſequentinm tenore:

Sixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei &c. Dilectis filiis Præpoſito & Conventui Monaſterii Beatæ Mariæ de Gars per Præpoſitum ſoliti gubernari Ordinis S. Auguſtini Salzburgenſis Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem &c. Cùm à nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum deducatur effectum. Eapropter Dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu omnes libertates & immunitates à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris ſive per privilegia ſive alia indulta vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones Sæcularium exactionum à Regibus & Principibus ac aliis fidelibus Chriſti Vobis & eidem Monaſterio rationabiliter indultas, ſicut eas juſtè & pacificè poſſidetis, Vobis & per Vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Narniæ annô Incarnationis Dominicæ 1476. octavo Idus Auguſti, Pontificatus noſtri annô quintô.

Anno dein 1481. idem ſummus Pontifex eidem Joanni Præpoſito Cauſam quandam Apoſtolicam decidendam curavit, qualiter conſtat ex ſequentibus:

Sixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Præpoſito in Gars Salzburgenſis Diœceſis per Præpoſitum ſoliti gubernari ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Con-

Conquestus est nobis Paulus Hornonus Clericus Salzburgensis Diœcesis, quòd Joannes Nopel Laicus dictæ Diœcesis super quibusdam domibus & possessionibus in eadem Diœcesi consistentibus & rebus aliis convitiaretur eidem. Ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione remota decernas, faciens, quod decreveris, per censuram Ecclesiasticam firmirer observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odiô, vel timore subtraxerint, censura simili Appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo octuagesimo primo. Undecimo Calendas Aprilis Pontificatus nostri anno undecimo.

Sequitur modò Diploma Pontificium, quo conceditur usus Pontificalium ac jus præcedentiæ ab eodem Papa Sixto de anno 1484. paulò ante mortem suæ Sanctitatis emanatum, quod tale est:

„Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Joanni Stockhaimer Præposito „Monasterii in Gars per Præpositum soliti gubernari Ordinis S. Augustini Salzburgen„sis Diœcesis salutem & Apostolicam Benedictionem &c. Exposcit tuæ devotionis since„ceritas, & Religionis promeretur honestas, ut tam te, quem speciali dilectione pro„sequimur, quàm Monasterium tuum dignis honoribus attollamus. Sanè pro parte „Tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd licèt tam Tu, quàm pro tem„pore dicti Monasterii Præpositus existens hactenus semper consueveritis quoscunque „alios Præpositos aliorum Monasteriorum Regularium locorum convicinorum Diœ„cesis Salzburgensis in Choro, Processionibus, & aliis quibusvis actibus, in quibus „pro tempore convenitis, præcedere, quia tamen à parvo tempore citrà dictis Præ„positis seu eorum aliquibus per speciale Sedis Apostolicæ privilegium concessum fuit, „ut mitrâ, baculo pastorali, & aliis Insigniis Pontificalibus uti possint, tu propterea „prærogativâ præcedentiæ hujusmodi quoties contingit tecum eis convenire, uti non „potes in non modicum dignitatis tuæ præjudicium & detrimentum, quare pro parte „tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut Te, & Successores tuos Præpositos dicti Mo„nasterii, qui pro tempore fuerint, etiam privilegio hujusmodi decorare, aliasque in „præmissis oportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Te „à quibuscunque Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis „sententiis, censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si „quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium duntaxat consequen„dum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes hujuscemodi supplicationi„bus inclinati, ut Tu & Successores prædicti mitrâ, annulo, baculo pastorali, & aliis „Pontificalibus Insigniis uti, ac in dicto Monasterio vestro, & Prioratibus illi subjectis „ac Parochialibus, & aliis Ecclesiis ad Vos communiter vel divisim pertinentibus Be„nedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, & Matutinorum solemnia, dum„modo in Benedictione hujusmodi aliquis Antistes vel prædictæ Sedis Legatus præsens „non fuerit, elargiri, nec non Vestes, pallas, & alia ornamenta Ecclesiastica cultui „divino in Monasterio vestro, ac aliis Prioratibus & Ecclesiis hujusmodi pro tempore „deputata & necessaria benedicere libere ac licitè possitis, & valeatis, quibuscunque „constitutionibus Apostolicis in contrarium editis, nequaquam obstantibus, Vobis & „ejusdem Successoribus auctoritate Apostolica de speciali gratia tenore præsentium in„dulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis & „Indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præ„sumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus „se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domini„cæ Millesimo quadringentesimo octogesimo quarto. Sexto Calendas Augusti, Ponti„ficatus nostri annô decimo tertio.

Verùm ut ampliùs pateat, quanti apud Sedem Romanam respectus fuerit sæpedictus iste Joannes Præpositus, colligere juvat ex Commissione, quâ is authoritate Bartholomæi de Maraschis Episcopi Civitatis Castelli ad Alemanniam, ac universas & singulas Provincias & civitates, terras & loca Germaniæ, sacro Romano Imperio, illiusque Electoribus subjecta, cum potestate Legati de latere Nuntii Apostolici unà cum Udalrico Episcopo Adrymetano & Mathia Kynck Canonico Cathedralis Ecclesiæ Aystettensis perfunctus est in causa Ecclesiæ S. Wolfgangi in der Schwindau cognominatæ, Diœcesis Frisingensis in Præposituram (ad instantiam Nobilis viri Sigismundi de Fraunberg reditus liberalissimè conferentis) evehendæ, contrà ac Ordinarius loci multa licèt mo-

litus, sustinere tamen debuit realem Institutionem ad prædictos Commissarios devolutam, de quo videre est Metropol. Salisburgens. Tom. 3. fol. 217.

Cæterum tantus & talis Vir erat Joannes iste, cui & hoc laudis attribui debet, Archi-Diaconalis curæ vigilantissimum fuisse Præsidem, prout diversæ monstrant Synodi ab ipso habitæ, seu congregatæ, maximè de anno 1480. item de anno 1481. & 1482. quarum etiamnum vestigia adsunt. Obiit denique & occidit plenum hoc Religionis & Monasterii jubar, annis & meritis gravis, post exactos in Prælatura & Archi-Diaconali dignitate 34. annos, in Ecclesia sua Garsensi sepultus, cui monumentum erectum est ex Marmore pretiosi satis Operis, ubi in Pontificalibus ipse cernitur, unà cum suis gentilitiis Insigniis, lapidi incisis Latino carmine, ut ævi illius ferebat mos, simplici.

Ad ultimùm cùm Synodorum Archi-Diaconalium à Joanne isto Præposito celebratarum hìc meminerimus, haud omittendum videtur illud, quod Concilium Basileense de anno 1439. hac ipsa de re Joanni Archi-Episcopo Salisburgensi rescripserit, quodque fundat vel maximè ac solidat Jura Archi-Diaconalia cumprimis circa Synodos territoriales annuatim celebrandas. Tenor est.

„Sacrosancta Synodus Basileensis in Spiritu sancto legitimè congregata universalem „repræsentans Ecclesiam Venerabili Joanni Archi-Episcopo Salisburgensi salutem, & „Omnipotentis Dei Benedictionem. Dum ad illam fidei constantiam, devotionis quo„que sinceritatem, quibus ergà Nos & universalem Ecclesiam splendere dignosceris, „condignè attigimus nostræ considerationis intuitu. Inde ducimur non immeritò, ut per„sonam tuam sinceris prosequamur affectibus petitiones tuas, quantùm cum Domino „possumus, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Dudum siquidem ad ea, „quæ Agri Dominici culturam inferre debeant, solicitis studiis intendentes, inter alia „statuimus ac in negligentes & remissos certis tunc comminatis pœnis præcipimus Syno„dum Episcopalem in qualibet Diœcesi ad minus semel, ubi consuetudo illam annuatim „bis celebrandi non esset per Diœcesanum propria in persona, nisi canonico impe„dimento præpeditus foret, & tunc per Vicarium idoneum sub certis modis & formis „tunc expressis celebrari, prout in Decreto nostro desuper edito, & in Sessione nostra „quinta decima per nos solemniter celebrata publicato plenius continetur. Cùm autem „sicut Nobis nuper pro parte tua exhibita petitio continebat, tua Diœcesis adeò lata „sit, & longa, quòd illius Prælati & Personæ Ecclesiasticæ, qui hujusmodi Synodo in„teresse tenentur, & in diversis etiam temporalium Dominorum territoriis & districtibus „longè distantibus moram trahunt, ad tuam Civitatem Salzburgensem, aut alium vici„num locum per te ad id in ipsa Diœcesi deputandum commodè & nonnunquam etiam „propter viarum discrimina absque rerum & personarum suarum periculo accedere non „possunt, propter quod Prædecessores tui Archi-Episcopi Salzburgenses, qui fuerunt „pro tempore in nonnullis prædictis territoriis sive districtibus singulos Archi-Diaco„nos deputare & habere consuêrunt, qui pro se & in singulis iisdem districtibus pro sin„gulis ipsorum Archi-Diaconatibus discretis & distinctis Ordinariam Jurisdictionem exer„cuerunt, prout tu habere dignosceris pro se jurisdictionem exercentes memoratam. „Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut tuis & dicti Cleri status in„demnitatibus in præmissis oportunè providere dignaremur. Nos igitur præfatorum „Cleri periculis hujusmodi in hac parte obviare cupientes, prædictis supplicationibus „inclinati, ut Tu & Successores tui Archi-Episcopi Salzburgenses, qui erunt pro tem„pore, dumodò in civitate prædicta aut alio loco illi vicino ad hoc idoneo quoad Præ„latos & Personas illic circum morantes Tu & Successores ipsi per Vos ipsos, aut Vo„bis, ut præfertur, impeditis per hujusmodi Vicarium præfatam Synodum consuetis tem„poribus pro tempore celebraveritis illis eisdem aut aliis similibus statutis sive consue„tis temporibus in singulis Archi-Diaconatibus præfatis per singulos hujusmodi Archi„Dianonos præsentes in locis ad hoc congruis & accommodis ad id indicendis, cum sin„gulis illorum Prælatis & Personis Ecclesiasticis etiam ad id legitimè evocatis, hujusmo„di Synodum pariter celebrare, & quævis ibidem salutaria & ædificativa juxta prædicti „Decreti nostri tenorem peragi facere liberè & licitè valeatis, etiam absque hoc, quòd „Tu aut Successores prædicti ibidem Vos personaliter conferre debeatis, aut aliam hu„jusmodi pœnam incurretis, Tibi & dictis Successoribus auctoritate universalis Ecclesiæ „tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergò hominum liceat hanc „paginam nostræ concessionis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis au„tem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei & Universalis Ec„clesiæ se noverit incursurum. Datum Basileæ V. Calend. Maji anno à Nativitate Do„mini Millesimo quadringentesimo tricesimo nono.

Con-

Consona hæc sunt Decreto SS. Concilii Generalis Basileensis antedicti sess. 15. his verbis emanato: Verùm cum ad eandem culturam non dubium sit pertinere Synodos Episcopales & Concilia Provincialia, prout veteres Canones decreverunt frequentari: ideò S. Synodus antiquos & laudabiles mores nostris cupiens temporibus observari, statuit atque præcipit Synodum Episcopalem in qualibet Diœcesi post octavas Dominicæ Resurrectionis, vel alia die secundum consuetudinem Diœcesis ad minus semel in anno, ubi non est consuetudo bis annuatim celebrari per Diœcesanum propria in persona, nisi tamen Canonico Impedimento fuerit præpeditus, & tunc per vicarium ad hoc idoneum, quæ Synodus saltem biduo vel triduo duret, vel prout Episcopo visum fuerit. Primo autem die convenientibus Diœcesano & aliis omnibus, qui in hujusmodi Synodis interesse tenentur infrà Missarum solemnia, vel post, Diœcesanus vel alius ejus nomine verbum Dei proponat exhortando omnes ad bonos mores sectandum, abstinendum à vitiis, & ad ea, quæ pertinent ad Ecclesiasticam disciplinam & officia singulorum, & præsertim ut hi, quibus animarum cura commissa est, diebus Dominicis & aliis solemnitatibus plebem subjectam doctrinis & monitis salutaribus instruant.

Posteà legantur Statuta provincialia & Synodalia, & inter alia etiam aliquis compendiosus tractatus docens, quomodò Sacramenta administrari debeant, & alia utilia pro instructione Sacerdotum. Deinde ipse Diœcesanus de vita & moribus subditorum solerter inquirat, labem Simoniacæ pravitatis, contractus usurarios, concubinatum, fornicationem & alia quævis crimina & excessus debitâ correctione cohibeat, alienationes rerum Ecclesiasticarum à Jure prohibitas revocet, abusus Clericorum & aliorum subjectorum, qui circa divinum officium committuntur, delationem debiti habitûs, à qua defecerunt, in melius reformet, & emendet &c. &c. Atque hæc circa Joannis istius laudatissimi Præsulis regimen, qui (ut suprà dictum est) tandem terris defecit anno sui Regiminis 34. Christi verò 1494.

XXXIII. Jacobus V. Zollner, diutinâ corporis infirmitate confectus, anno suscepti Regiminis 14. gratiæ verò 1510. Capitulo suo plenissime resignat, superstes adhuc usque ad annum 1523. Hic Prælatus ut infirmus Synodos tamen celebravit ab anno 1499. & aliquot sequentibus, prout exhibet Liber Synodalis antiquus. Sub eodem porrò Prælato insignis illa Parochialis Ecclesiæ in *Stephans-Kirchen* pleno jure Garsensibus incorporatæ Confirmatio facta habetur à Julio Papa II. simul & concordia occasione ejusdem Ecclesiæ Garsenses inter & Avvenses Canonicos Authoritate Metropolitani stabilita. Non minus quoque sub felicissimis laudatissimi Jacobi hujus Præsulis auspiciis legitur, quòd Consistorio Garsensi datæ fuerint etiam Sæculares personæ, & ad illud admissæ; in cujus rei testimonium facit Inscriptio sepulchralis hodiedum in marmore legenda in hæc verba: *Anno ab Era Salvatoris* M.C.D.XCV. *decimo Cal. Decembris egregius Legum Licentiatus Dominus Joannes Birchmeir Monacensis Assessor in Gars mortem obiit hic humatus: cujus anima inter Electos Dei pro nobis jugiter oret, Amen.*

Cui inscriptioni simillima patent ex alio lapide marmoreo, qui sic habet: *Obiit bonus Vir Dominus Joannes Pader alias Puechler pro tunc Assessor in Gars, cujus anima requiescat in pace. Anno Domini* M.C.D.LXXXIV. *Dominica ante Simonis & Judæ.*

Hodiè verò & quidem ab integro unius Sæculi decursu, memoratum Consistorium Sæcularem nullum admittit, sed è proprio gremio suo Consistoriales doctos, suppeditat, præter Syndicum seu Notarium publicum, qui è Regularibus personis non assumitur, sed permittitur esse sæcularis.

Denique in ampliorem laudem sæpè nominati dignissimi Antistitis hujus Garsensis singulariter facit illud, quòd à Sede Romana præmultis aliis magni habitus constitutus fuerit Protector Monasterii (secundum fundationem suam historicè descripti apud Hundium in Metrop. Tom. 2. fol. 118. & sequent.) Attlensis Ordinis S. Benedicti Diœcesis Frisingensis, prout latiùs exhibet Diploma Pontificium in citata Metropoli Tom. 2. fol. 123. legendum:

„Alexander Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam &c. His, „quæ pro Ecclesiarum & Monasteriorum ac personarum quarumlibet indemnitatibus „& commoditatibus cum divini cultus augmento ac animarum salute provide facta dicun„tur, ut in sua firmitate persistant, cùm à nobis petitur libenter adjicimus Apostolici mu„niminis firmitatem. Sanè pro parte dilectorum filiorum moderni Abbatis & Conven„tus Monasterii Attlen Ord. S. Benedicti Frisingensis Diœcesis nuper nobis exhibita pe„titio continebat, quòd bonæ memoriæ Eberhardus Archi-Episcopus Salisburgensis

 „Apo-

„Apostolicæ Sedis Legatus natus Parochialem in Eiselfing & in Griesstetten cum sibi „subjectis Capellis & omnibus ejus attinentiis, & possessionibus in Spiritualibus ac temporalibus, ac cum omni suo jure Hochenalb dictæ Diœcesis Ecclesias de consensu dilectorum filiorum Capituli Ecclesiæ Salisburgensis, Monasterio prædicto in perpetuam „proprietatem tradidit, & firmitate perpetua stabilivit, ac Abbati dicti Monasterii Clericos & Vicarios dictarum Ecclesiarum immittendi potestatem concessit, & siquis Abbatem ejusdem Monasterii, & Conventum præfatos super hoc perturbaret, anathema „existeret, & successivè etiam bonæ memoriæ Conradus Episcopus Frisingensis considerans, quòd habitatores loci Wasserburg, qui apud Parochialem Ecclesiam in Attl dictæ Diœcesis, quæ etiam apud Monasterium in Spiritualibus & temporalibus pleno „jure attinet, ab antiquo sepulturam habuerant, & divina, ac alia Ecclesiastica Sacramenta in eâ receperant, quódque propter excrescentiam, & multitudinem populi, „quæ ibidem per Dei gratiam pullulaverat, & creverat, habitatoribus prædictis periculosum & difficile erat ad prædictam Parochialem Ecclesiam in Attl accedere, de consensu dilectorum filiorum Capituli Frisingensis, & ad petitionem tunc Abbatis dicti „Monasterii, & Conventus prædictorum, nec non dilectorum filiorum Incolarum dicti „loci de Wasserburg concessit, ut incolæ locorum Hochenalb & Wasserburg prædictorum apud Ecclesiam, quam ipsi Incolæ de Hochenalb ibidem ad divinum cultum ampliandum in honorem B. Jacobi Apostoli fundare & ædificare inceperant, divina officia audirent, & Ecclesiastica Sacramenta reciperent, & apud ipsam Ecclesiam illius in „illius Cæmeterio, qui vellent, Ecclesiasticam sepulturam haberent; salvis tamen omnibus, juribus, honoribus, & reverentiis, quæ ab ipsa Ecclesia tanquam à filiâ & habitatoribus ibidem Ecclesiæ Parochiali & Monasterio in Attl tanquam Matrici Ecclesiæ „jure filiali & subjectionis regulariter & canonicè impendi debebant, seu consueverant, „& mandarunt, quòd Parochiani & incolæ dictorum locorum ac Ecclesiæ intrà vel extrà sitæ in decimis, oblationibus, mortuariis, vel aliis juribus parochialibus filiali subjectione Ecclesiæ Parochiali vel Monasterio in Attl prædictis perpetuò essent subjecti, „& prædicta loca à Matrice Ecclesia nullo modo dividi, vel separari possent, & dictæ „Ecclesiæ à nullo officiari vel incolæ dictorum locorum ab aliquo audirent divina, aut „reciperent Ecclesiastica Sacramenta, nisi à Vicario, quem Abbas pro tempore & Conventus prædicti instituerent, & instituendo & destituendo Vicarium hujusmodi à nemine contradictionem seu impedimentum paterentur. Quódque incolæ dicti & habitatores præfatæ Ecclesiæ S. Jacobi divina officia audire & sepeliri, ac Sacramenta Ecclesiastica suscipere, ut præfertur, possent: & quòd in signum filialis subjectionis tenerentur annis singulis cum cruce & Processione in certis festivitatibus tunc expressis prædictum Monasterium tanquam Matricem Ecclesiam unanimiter devotè ac cum reverentia „visitare, ipsisque Abbas & Conventus tenerentur deputare unum ex Monachis dicti „Monasterii pro mortuis sepeliendis in Cæmiterio ipsius Capellæ seu Ecclesiæ S. Jacobi „& omnia occasione defunctorum obvenientia hujusmodi oblationibus, terris, sive aliis „quibuscunque in usum Monasterii & Monachorum prædictorum redigerentur, ac quod „salvum esset dicto Monasterio jus funerandi omnibus habitatoribus dictorum locorum, „qui apud ipsum sibi Sepulturam elegissent, prout in quibusdam litteris Archi-Episcopi „& Episcopi prædictorum desuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte „eorundem Abbatis & Conventus asserentium se in præmissorum possessione, vel quasi „jam longissimo tempore præterito extitisse & existere nobis fuit humiliter supplicatum, „ut eisdem præmissis pro illorum subsistentia firmiori Apostolicæ confirmationis adjicere, „aliásque in præmissis oportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos „igitur præfatum Abbatem & Conventum ac eorum singulos à quibuscunque excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, „& pœnis à jure vel ab homine quomodolibet innodati existunt ad effectum „præsentium duntaxat consequendum horum serie absolventes & absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati præmissa omnia & singula, & prout illa concernunt omnia & singula, in dictis litteris contenta auctoritate „Apostolica tenore præsentium approbamus, confirmamus, supplemúsque omnes „& singulos defectus, siqui forsan intervenerint in eisdem non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac Monasterii & Ordinis prædictorum juramento, „confirmatione Apostolicâ vel quovis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterísque contrariis quibuscunque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc „paginam nostræ absolutionis, confirmationis, & suppletionis infringere, vel ei ausu „temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nono Calendis Novembris Pontificatus nostri anno nono. Quocirca discretioni vestræ

„per

„per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum per vos „vel alium seu alios litteras prædictas ac omnia & singula in eis contenta, ubi & quan„do expedierit, ac quoties pro parte Abbatis & Conventus prædictorum fueritis super „hoc requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficaciæ, defensionis præsidio „assistentes faciatis authoritate nostrâ omnia & singula, ac prout illa concernunt omnia „& singula in dictis litteris contenta, juxtà earundem litterarum tenorem inviolabiliter „observari non permittentes Abbatem & Conventum ac Monasterium prædicta super præ„dictis, illorúmque possessione vel quasi, in qua Abbas & Conventus præfati, ut præ„fertur, existunt, per quoscunque videbitur, vel injustè quomodolibet molestari, con„tradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendo. Non „obstantibus felicis recordationis Bonifacii VIII. Prædecessoris nostri constitutione. &c. „Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo „nono Calendis Novembris. Pontificatus nostri annô nonô.

XXXIV. Joannes IV. Schampacher, electus anno 1510. post sexennium die 16. Augusti anno 1516. authoritate Metropolitani, sub localem Monasterii Visitationem, ob inutilem prorsus ac illaudabilem rerum administrationem loco & dignitate motus ampliùs præesse desiit anno 1516. die 6. Augusti.

XXXV. Joachimus post paucos solùm aliquot menses sponte, jure vel injuriâ depositus non constat.

XXXVI. Sebastianus Paltram suis in gubernando & virtutibus & sapientia omnem reduxit serenitatem horizonti Garsensi moderatissimus Rector, ab anno 1517. usque ad annum 1527. Synodos celebrasse reperitur, qui idem propter res præclarè gestas nomen suum Astris inseruit, testante Lapide sepulchrali taliter inscripto: *Rigida tenet hic Lapis ossa eximii Patris Domini Sebastiani Paltram, qui Ecclesiæ Garsensi ut moderatissimus Rector & Infulatus præfuit, Archi-Diaconatúsque insignitus titulo. Obiit anno* 1532. Quadriennio tamen anteà ob insolitos (uti colligere fas est) virium defectus utrique dignitati renuntians.

XXXVII. Casparus de Leüzenbrunn, sed non nisi Administratoris titulô præfuit: dictus est etiam Generalis Præceptor Ordinis Teutonici, & Rector Ecclesiæ Parochialis ad S. Martinum Memmingæ. Aggressus regimen anno 1528. spontè per resignationem deposuit anno 1533. anno sequenti mortuus.

XXXVIII. Valentinus Presbyter Sæcularis, Augustanæ Diœcesis, tum commorans Garsii Vir eruditione, & vitæ morúmque integritate, ac in Spiritualibus non minùs quàm in temporalibus apprimè circumspectus, ut Authographum postulationis exhibet, unanimi Capituli Garsensis consensu ac per viam compromissi electus est electione anno 1533. coram utriusque Sacri & profani Salisburgensis scilicet & Bavarici Magistratus Commissariis 17. Octobris celebrata, juxta simul conditione expressa & addita, ut ipse Dominus electus prius Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini profiteretur, quod & factum est, post duorum mensium intervallum die festo S. Thomæ Apostoli. Qualiter exhibet Instrumentum publicum in id apparatum sub sequentium tenore.

„In Nomine Domini Amen. Anno à Nativitate ejusdem millesimo quingentesimo tri„cesimo tertio Indictione sextâ, die verò decima septima Mensis Octobris manè horâ „septimâ vel quasi antequam ad electionis seu postulationis actum futuri Prælati Mona„sterio Garsensi præficiendi processum fuit, Pontificatus Sanctissimi D. N. in Christo Pa„tris Domini Clementis divinâ providentiâ Papæ VII. anno decimo coram venerabili„bus ac egregiis viris Dominis Magistris Udalrico Ehinger. Reverendissimi in Christo „Patris Principis & Domini Domini Mathæi Cardinalis & Archi-Episcopi Salzburgen„sis &c. ac Joanne Landsperger Plebano ad S Jodocum Landishuetæ Illustriss. Principis „& Domini Domini Ludovici Ducis Bavariæ. &c. Consiliariis & Commissariis ad dictam „electionem sive postulationis actum ab eisdem Reverendissimo & Illustrissimo Principi„bus specialiter deputatis & transmissis, nec non Venerabili Capitulo dictæ Ecclesiæ „Garsensis in mei Notarii Publici, testiúmque infrà scriptorum ad hoc specialiter voca„torum & rogatorum præsentiâ personaliter constitutus Venerabilis Vir Dominus Va„lentinus Rem Presbyter Augustensis Diœcesis, & ex certa scientia ejus animóque benè „deliberato omnibus melioribus modo & formâ, quibus jure validiùs potuit, secundùm „& postquam ipse per antenominatum Capitulum Garsense ad ipsius Monasterii Prælatu„ram, tunc per liberam resignationem & dimissionem Reverendi Domini Casparis de „Leüzebrunn illius imediati Commendatoris in manibus prælibati Domini Magistri Udal„rici Ehinger nomine & vice suprà dicti Domini Reverendissimi Cardinalis & Archi-Epi-

„ſcopi Salisburgenſis heri factam & admiſſam vacantem in Præpoſitum electus vel poſtulatus fuerit idem tunc Ordinem S. Auguſtini Canonicorum Regularium ejusdem Monaſterii & in eodem infrà hinc & feſtum S. Thomæ Apoſtoli proximè futurum profiteri, habitum, quem ipſe exigit ordo induere & publicè ſicut cæteri illius Monaſterii Profeſſi Canonici deferre, & ſe huic Ordini in omnibus conformem gerere velit, in manibus mei Notarii publici infrà ſcripti per manualem ſtipulationem ſub bonâ fide & creditu ſe obligandi duxit, & ſolemniter obligavit, alioquin omnia & ſingula inter eundem Dominum Valentinum ex una, & dictum D. Caſparum & Capitulum Garſenſe partibus ex altera cum conſilio & conſenſu ſupràdictorum Dominorum Commiſſariorum ratione prædictæ Præpoſituræ hactenus quomodolibet geſta, tractata, facta & concluſa, nec non ipſa electio vel poſtulatio de perſona ſua in Prælatum ipſius Monaſterii ut ſperatur facienda debeant & conſtanter eſſe caſſa invalida, irrita, ac penitus nullius valoris & momenti: juribúsque & privilegiis dicto Monaſterio quomodolibet conceſſis nullatenus præjudicare, ſed illis ſemper ſalvis & illæſis permanentibus: de quibus etiam ſupràdictum Capitulum publicè atque expreſſe tunc proteſtabatur. Volens obinde antedictus Dominus Valentinus atque conſentiens Decretum electionis ac illius evectionem intereà eſſe & manere debere in ſuſpenſo, quoad, ut præſcribitur, præſenti obligationi per eum fuerit effectualiter ſatisfactum. Super quibus omnibus & ſingulis præmiſſis antenominatus Dominus Valentinus & præfatum Capitulum Garſenſe conjunctim & diviſim ſibi à me Notario publico infrà ſcripto unum vel publicum ſeu publica fieri, confici petierunt Inſtrumentum & Inſtrumenta. Acta ſunt hæc in Sacriſtia prænominati Monaſterii ſub anno, Indictione, die, menſe, & Pontificatu, quibus ſuprà; præſentibus egregiis Viris Domino Joachimo Reuffer Jur. & Joanne Ungehor Medicinæ Doctoribus teſtibus ad præmiſſa vocatis, rogatis, & ſpecialiter requiſitis.

„Et ego Joannes Kalbſor Clericus conjugatus Salzeburgenſis Diœceſis publicus Imperiali auctoritate Notarius: quia ſupra dictæ obligationi & proteſtationi omnibúsque & ſingulis aliis præmiſſis, dum ſic ut præmittitur, fierent & agerentur, unà cum prænominatis teſtibus præſens interſui, eáque ſic fieri vidi & audivi, idcirco hoc præſens publicum Inſtrumentum manu alienâ ſcriptum exindè confeci, conſcripſi, publicavi, & in hanc formam publicam redegi, ſignóque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignavi in fidem præmiſſorum ad hoc vocatus & ſpecialiter requiſitus.

Atque hic optimus Præſul Valentinus rem Monaſterii gnaviter geſſit, cujus prudenti regimine hodiedum utitur & fruitur Monaſterium, nam & ejus dexteritati ſingulariter tribuendum, quòd temporibus noſtris ſæpedictum Garſenſe Cœnobium ſuo Principi terræ, ſeu Sereniſſimo Bojariæ Duci & Electori ſolvat exactiones, ſeu uti vocant Contributiones admodum tolerabiles. Obiit demùm anno Domini 1540.

XXXIX. Georgius I. Oedenhueber, ſingulari devotionis & pietatis virtute clarus, primam Synodum Mühldorffii (ut plerique alii Prædeceſſores ipſius Archi-Diaconi Garſenſes facere aſſolebant) celebravit anno 1540. & ſic etiam ſequentes. Obiit pientiſſime luſtris in regimine tribus laudabiliter exactis, anno 1556. die 17. Decembris.

XL. Georgius II. Haderſperger, Nobilis Bojus de proprio gremio delectus, pro tempore Vicarius in Stephans-Kirchen, primum Adminiſtratoris ſolum nomine, tum cum pleno titulo & poteſtate Præpoſiti clarus ædificia ſatis ſplendida fieri curavit, templum Altaribus & ornamentis pretioſis inſtruxit, Chorum organo pneumatico decoravit, annonæ Garſenſis ſeu collecturæ ſiliginis ſuper Archi-Diaconatum ſuum Confirmationem authoritate ordinaria ſtabilitam impetravit, fatis denique ceſſit luſtris in Regimine Prælaturæ tranſactis ſeptem, anno 1591. diem ſuum obiit, ſub hac Epigraphe reconditus. *Reverendus Dominus in Chriſto Pater & Dominus Dominus Georgius Præpoſitus atque Archi-Diaconus Eccleſiæ Garſenſis ex familia Haderſpergenſi hic quieſcit. Tu pie Lector ejus animæ requiem precare æternam, & te mortalem cogita. Obiit anno M. D. XCI. die 26. Decembr.*

Molliter in tumulo reſolutus membra quieſco
  Vita mihi Chriſtus: Mors mihi facta lucrum.
Dum vixi ſanctæ pietatis captus amore,
  De vera docui Religione gregem.
Hunc igitur donec renovabit corpora Chriſtus,
  Oſſa tenet tellus, Spiritus aſtra tenet.

Et

Et infrà.

Ceu glans vere novo floret, sic quando redibit.
Salvator Christus, florida membra geram.

XLI. Michael Wagnereck è comprovinciali Collegio Baumburgensi, id temporis Viris doctis ac piis florentissimo, postulatus anno 1592. statim post Confirmationem suam mense Martio ejusdem anni authoritate Ordinarii factam Vir, ut erat opere & sermone potens, apud Principes & Magnates facilè obtinuit, ut inter Status provinciales annummeraretur, ac demùm supremus inter Deputatos evaderet Commissarius, felicior tamen futurus, si perinde gnarus fuisset, rem domesticam ampliare, quàm Magnatum corda trahere, & sui apud eos respectum conservare. Celebravit diligenter Synodos annuas: cujus porrò sub Regimine Monasterio accessit utriusque Principis & Ecclesiastici & sæcularis consensu Parochia Puechbacensis, ad revocationem tamen, super qua collatione Litteræ è Cancellaria Salisburgensi in hanc formam emanarunt:

„Wolfgangus Theodericus D. G. Archi-Episcopus Salisburgensis Sanctæ Sedis Apo„stolicæ Legatus. &c. &c. Omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus, aliisque „Presbyteris per universam Diœcesin nostram constitutis salutem à Domino. Cùm non „ita pridem Ecclesia Parochialis S. Jacobi in Puechbach nostrarum collationis & Diœce„sis per obitum Joannis Haimoltingen Presbyteri tanquam ultimi & legitimi ejusdem pos„sessionis vacare cæperit, vacetque ad præsens. Idcircò ne dicta Ecclesia detrimentum „aliquod in Spiritualibus & vel temporalibus patiatur, eam cum omnibus pertinentiis „ac juribus suis quomodolibet ad ipsam spectantibus Dilecto nobis in Christo Præposito „& Archi-Diacono nostro Garfensi cum plena & omnimoda administratione tam Spiri„tualium quàm temporalium ad ulteriorem nostram dispositionem & revocationem au„thoritate ordinariâ committendam duximus, committimúsque per præsentes, ita ta„men, ut cum primis sæpè dictam Ecclesiam curatam S. Jacobi in Puechbach per Vica„rium idoneum & qualificatum qui non minus exemplo vitæ quàm prædicatione Verbi „Dei & sacrorum officiorum peractione ovibus sibi commissis præluceat, regi & admini„strari curet, tum etiam ædes Parochiales juxtà obligatorias litteras, quas nobis tradi„dit, restauret, atque in pristinum statum reponat. Mandantes desuper vobis omnibus „& singulis supradictis in virtute S. Obedientiæ, ut qui præsentibus fuerint requisiti, „præfatum Michaelem Præpositum & Archi-Diaconum nostrum Garfensem in corpo„ralem, realem, & actualem possessionem inducant, facientes sibi de sæpè memoratæ „Ecclesiæ proventibus, juribus, & obventionibus universis ab omnibus quorum interest, „integrè responderi. Contradictores & rebelles quoscunque debitis censuris Ecclesia„sticis compescendo, harum testimonio litterarum sigilli nostri appensione munitarum. „Datæ ex Metropoli nostra Salisburgensi die 1. Augusti anno reparatæ salutis millesi„mo sexcentesimo tertio.

Atque dein Parochia penes Garfenses mansit usque ad annum 1651. quo demum à Paride Archi-Episcopo fuit revocata, ac Clerico cuidam sæculari collata, de quo fusius in Actis.

Cæterum dignissimus Præpositus iste Michael admodum commendatur, disciplinam regularem iniquitate temporum aliquando labefactatam, magno studio ac labore plenissimè restituisse, atque in id plures ad professionem Canonicam admisisse. Vixit universim annis 58. præfuit verò 28. à proximo Successore suo tali Epigraphe donatus:

Michael Wagnereckius Præpositus & Archi-Diaconus Garsensis
Statuum Provincialium Deputatus.

Hic depositus sum
Quondam huic Ecclesiæ Præpositus
Corpore, inquam, hìc depositus,
Ubi animus versetur, fortè quæris?
Deus scit, ego sentio,
Deus illc Deus illic plerumque deprimit,
Quæ hìc sublime stant
Illic qui altum sedere vult
Hìc serviat
Et in ipsa sedis altæ potestate
O felix! O Cœlestis æternitas
quam desipit.

 Qui

Qui te amore breviſſimi honoris perdit
O inaniſſime Honoris honor!
Quid ex te lucratur,
Qui ſui ipſius peccatis onuſtus
Aliena plurima
Ad Tremendum illud Tribunal effert
De Omnibus
Heu quomodo!
Rationem redditurus.
Qui legis iſta, mecum ingemiſce
Ac pro me Juſtum & & Severum Judicem
Deprecare!
Obiit cIↃIↃCXX. IX. Maji.

XLII. Petrus Mittmann natione Sileſius, jam alter è celebri Baumburgenſium Collegio poſtulatus unanimi Garſenſium calculo atque conſenſu, tum quia non erat inventus ſimilis illi, nec quoad in agendo prudentiam, nec quoad virtutis odorem, ubique jam ſparſum; tum quia Garſenſes jam olim ſibi devinxerat, animoſa rerum gerendarum dexteritate & ſcientia, qua non longè antè in ſtudioſiſſima Theologiæ Moralis Profeſſura ſe illis probaverat. Quod ipſum æqui bonique conſulebant Commiſſarii Archi-Epiſcopales & Ducales. Unde ſtatim avocatoriæ & gratulatoriæ etiam à Garſenſibus avolarunt Baumburgum litteræ. Et quidem Salisburgenſis Commiſſarius Joannes Paulus Civilettus Vir præſtantiſſimus & ampliſſimus non ſine ominoſis indiciis hiſce ad Petrum utebatur.

„Admodum Reverende Pater plurimùm obſervande. Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet: & quis poteſt voluntati ac diſpoſitioni divinæ reſiſtere? omnium votis unanimi conſenſu & concorditer admodum R. P. T. electa eſt in hujus Monaſterii Præpoſitum: utrique gratulor, & ſi quid meæ poſſunt preces, precor, ut præhabita ſui D. Prælati licentia, ad quem propterea ſcribo, non modò electioni ejusmodi conſentiat: veriùs divinæ voluntati ſeſe accommodet, verùm illicò etiam huc ſe conferat: læto hilarique animo acceptet divinitus ſibi oblatum onus ac honorem? utrumque. Sed onus leve, ſed honorem Eccleſiaſticum, ut & ſibi & aliis inſervire poſſit ac prodeſſe. Deus, qui cæpit, cœptis aderit & progreſſibus larga ſua benedictione: à quo eidem omnia felicia ac divina precor, me meaque officia ex animo offero, ſciatque NB. mihi tum in ſacrificiis & precibus, tum aliàs ob oculos admodum R. P. T. Mitrâ inſignitam verſatam eſſe: non poſtremum forſan divinæ mentis argumentum. Expecto absque mora reſponſum. Gars 22. Junii 1620.

Admodum R. P. T.

uti Frater

Joannes Paulus Civilettus.

Quis non exiſtimet, Euro velociorem, pro more ſæculi extitiſſe, & advolâſſe Petrum? At longè aliter res accidit. Dum à Garſenſibus expectatur futurus eorum Antiſtes, ille honoris tanti fugaciſſimus nihil curans preces, conſilia, vota, præomina, celeri fugâ ſibi conſuluit, ad extremos ferè Superioris Bavariæ fines Damaſianos excurrens; ſed re intellecta, malè à Sapientiſſimo loci Prælato habitus, ad Garſenſes nolens volens remiſſus eſt; ibi Petrus ſuas prætendens animi viriumque impotentias, ſeniumque, cùm nihilo ſeciùs inſiſterent Garſenſes ſuæ electioni; altera vice Petrus fugam arripiens, vicinum Monaſterium Augienſe petiit. Non poterat res tam eſſe in abſcondito, quin ſtatim proderetur. Ergò ſub interminatione divinæ ultionis & pænarum Eccleſiaſticarum reductus, denique ceſſit invitus tantis fulminibus & armatis fulmine precibus. Tanti conſtitit, ut hæc Lucerna ſub modio latitans poneretur in ſublimi, unde totam illuſtraret domum Garſenſem. Atque hæc humillima erant Viri initia Oportebat namque magnam fabricam conſtruere celſitudinis in hac petrâ, unde monente S. P. N. Auguſtino cogitandum erat priùs de fundamento humilitatis. Enim verò ſicut eodem Sanctiſſimo Eccleſiæ Doctore Epiſt. 56. docente & dicente, nulla alia via eſt ad capiendam virtutem, quàm humilitas, & ea eſt prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem: ita humilitas ſola ſcalam applicat ad

cat ad

cat ad celsum veri ac Deo placiti honoris fastigium; sed quia de humilitate Petri initium sumpsimus, insistamus, & porrò hanc gemmam in mitrato vertice conspicemur: Gratulatorias quoque ad tantam Dignitatem Petro transmittebat Salisburgo Vir doctissimus D. Jacobus Grienörbelius J. U. D. & Metropolitici Consistorii juratus Notarius: legamus modò Petri humiles responsorias:

„Magnifice ac Clarissime Domine Domine, si quid in me quod inservire T. C. D. „possit, totum offero. Tuopte demonstras exemplo Vir Clarissime, quàm verum Lælius Ciceronis dixerit: nihil est, quòd magis alliciat ad diligendum, atque ipsa Vir„tus, quippe qui me vix semel visum amare cæperis propter nescio quas virtutes ac „dotes, quas tu mihi amore nimio, non malo tamen deceptus (is error est omnium „amantium penè communis) tribuis, ego tamen ne umbram quidem vel minimæ virtu„tis in me video. Hinc fit & hactenùs factum sæpiùs, quòd ad aliquod honoris fasti„gium unquam vel pedem levare ausus fuerim, quamvis non rarò invitatus. Ecce Vir Cordialissime putamus nos Religiosi aliquid esse, aliquid posse, sed eheu! illud ipsum „quod sumus, vel possumus, quàm est dubium, quàm incertum, quàm imperfectum, „si conferatur ad calculum strictissimæ Justitiæ Dei, cujus Judicia abyssus multa. Video, „scio, audio, quàm verò pauci, qui prosint notius est, quàm ut dici à me humili Re„ligioso debeat; hinc taceo, & cum Hieronymo finio. Si fuissem de numero Prælato„rum, fuissem de numero damnandorum. Vale Vir Mellitissime, & qui Te intimè & „animitùs amat, unà eodem affectu. Baumburgi die solemni Corporis Christi 1620.

T. C. D.

Servus in Christo

F. Petrus Mittmann Conventualis hic mppr·

Pari humilitate rescripsit Illustrissimo & Reverendissimo Domino Francisco Guilielmo Comiti à Wartenberg Præposito Cathedralis Ecclesiæ Ratisbonensis, & Collegiatarum Monacensis & Oettinganæ, deinde verò Episcopo Osnabrugensi & Ratisbonensi, ac demùm S. R. E. Cardinali, quibus litteris inter alia hanc etiam inseruit Parenthesin. *Subesse enim semper, præesse nunquam in votis me habuisse, necdum habere testem sisto Deum.* Dabat anno 1621. die S. Petro Martyri Sacra 29. Aprilis. His ergò gradibus Petrus Mittmannus honoris montem conscendit, adeptus mitram, & pedum Pastorale, simulque Archi Diaconatum Amplissimum.

Quid porrò rerum actum est, audiamus ipsummet in Collectaneis suis Domesticis ita scribentem. „Processus Electionis seu postulationis fuit variè turbatus, nam anno „1620. die 21. Junii Commissarii tam Salisburgenses quàm Monacenses ad electionem „novi Prælati huc in Gars convenerant. Ubi ad Capitulum seu actum Electionis, cui „Salisburgenses soli (exclusis Monacensibus præfuerant) deventum fuit, Monacenses „Commissarii hanc exclusionem indignè ferentes, è vestigio Monachium, undè vene„rant, redierunt. Secuta inde fuerunt multa absurda dissidia inter utrumque Principem.

„Recenter postulatus & electus per Bavaros fuit cohibitus à curâ & administratione „temporalium. Interim intrusi & constituti fuerunt plebei homines, qui rerum exter„narum custodes & inspectores agerent. De Conventu unus & alter pro formâ adhi„bitus fuerat Inspectorum Laicorum Socius.

„Durabat hoc dissidium inter utrumque Principem & protractum fuerat ultrà an„num non sine notabili rerum tam spiritualium quàm temporalium decremento. Factâ „compositione secuta fuit Electi confirmatio ac plena temporalium traditio. „Confirmatio quidem anno 1621. die 8. Augusti, traditio verò die 27. Septembris „ejusdem anni.

Rebus sic actis Petrus statim se bono publico & Monasterii, ceu Sponsæ suæ, applicuit, adeò, ut Reverendissimo ac Celsissimo Archi - Episcopo Salisburgensi Paridi visum fuerit super hanc Petram non domum duntaxat Garsensem inædificandi, sed & universam Religionem Canonicam per suam Archi - Diœcesin instaurandi & stabiliendi, undè mox anno 1622. Petrum posuit Speculatorem & Visitatorem generalem totius Ordinis Monasteriis per Bavariæ, Styriæ, & Carinthiæ ditiones Salisburgensi Metropoli immediatè subjectis: atque ad sustinendas Visitationis expensas redditus Parochiæ in Schnaidtsee Garsensi Collegio assignavit, dato desuper Episcopali Diplomate, cujus tenorem paulò infrà in terminis dabimus.

„Nos Paris D. G. Archi Episcopus & Princeps Salisburgensis Sedis Apostolicæ „Legatus &c. Devoto & Nobis in Christo sincerè dilecto Fratri Petro pro tempore „existenti Præposito & Archi - Diacono Monasterii in Gars Ordinis S. Augustini Cano„nicorum Regularium in Ducatu Bavariæ Diœcesis nostræ, & ad infrà scripta speciali De„putato Commissario nostro Salutem & gratiam nostram.

Inter cæteras Pontificales Officii nostri curas & solicitudines ea non postrema est, „ut curemus, quatenus laudabilia Monachorum, Regularium, ac Religiosorum instituta „sicubi forsan collapsa vel labefactata fuerint, in pristinum restituantur, & ubi hactenus „in viridi observantia fuerunt, diligenter imposterum quoque observentur. Id verò „non nisi frequentibus & oportunis visitationibus obtineri posse videtur. Quas etsi per „nos libenter personaliter susciperemus, cùm tamen ob Archi - Diœcesis nostræ ampli„tudinem, tum graves & continuas alias nostras occupationes prohibeamur., Personas „idoneas in ejus solicitudinis partem assumendas operæ pretium existimavimus. Quo„circa hisce nostris tibi præfato Fratri Petro Præposito & Archi - Diacono in Gars, de „cujus pietate, zelo, doctrina, vitæ integritate, industria & in rebus agendis pruden„tia & dexteritate plurimum in Deo confidimus authoritate nostra, qua hac in parte „fungimur, ordinaria committimus & mandamus, quatenus primo quoque tempore & „deinceps juxta SS. Canonum dispositionem, quæcunque Monasteria Ordinis S. Augu„stini Canonicorum Regularium in nostra Diœcesi consistentia & existentia, nec non eorum capita & membra tam circa Monasticam disciplinam & mores, quàm circà admini„tionem rerum aliarum Spiritualium & temporalium juxta normam ac præscriptum Re„gulæ, nec non secundùm statuta & ordinationes SS. Canonum Concilii Tridentini & „Constitutionum nostrarum Synodalium exactissimè & quam diligentissimè visites, eaque „omnia tam cum ipsis capitibus Præpositis, quàm aliis membris & Conventualibus in „Monasteriis S. Augustini Canonicorum Regularium per Diœcesin nostram existentibus, „tractes, facias & exequaris, prout tibi pro Monasticæ Disciplinæ promotione & con„servatione, nec non pro Monasteriorum utilitate & necessitate expediens esse, alias„que honestum, æquum, & rationi consonum visum fuerit, proviso tamen ut semper „& ubique Canonica procuratione contentus sis. Mandamus omnibus & singulis Præpo„sitis, Decanis, Senioribus, aliisque omnibus Conventualibus in Monasteriis supradicti „Ordinis existentibus, nec non quibuscunque Officialibus ad præfata Monasteria quovis „modo spectantibus in virtute S Obedientiæ firmiter præcipientes, ut præfato specia„liter nostro Deputato Commissario Fratri Petro Præposito & Archi - Diacono in Gars „vigore harum litterarum omnem debitam reverentiam & obedientiam exhibeant, ejus „admonitiones paternas cum humilitate admittant, dicta, jussa, ac mandata cum obe„dientia exequantur, & observent, nec in ullo sese inobedientes, rebelles, contuma„ces, aut jugum Ecclesiasticæ & Monasticæ disciplinæ detrectantes exhibeant, aut de„monstrent. Alioquin contradictores & rebelles quoscunque non solummodo per nos „ipsos, authoritate nostra debitis censuris Ecclesiasticis & aliis licitis pœnis & mediis „Juris compescemus; verùm etiam sententias, quas sæpius præfatus specialiter Deputa„tus noster Commissarius in Vos omnes, seu quemcunque Vestrum ritè ac legitimè tu„lerit, ratas habebimus, nec non Authore Domino usque ad condignam satisfactionem „contra Vos debitum ac licitum subsidium præstabimus. Præsentibus tamen ad bene„placitum & revocationem nostram duraturis. Harum testimonio litterarum sigilli nostri „appensione munitarum. Datæ è Metropoli nostra Salisburgo die 10. mensis Octobris „anno reparatæ Salutis humanæ 1622.

Paris Mppr.

His itaque litterarum ponderibus oneratus est & honoratus Petrus Mittmannus tanto cum totius Ordinis nostri incremento, ut non fuerit Monasterium in Bavaria, Styria & Carinthia seu cathedrale seu Collegiatum, seu quodcunque aliud, cui non disciplinæ accesserit incrementum vel per suasmet exhortationes & sana consilia, vel dando Prælatos ex Reformatissimis Religiosis, vel Decanos, aut quoscunque alios Superiores & Magistros Spirituales, Professores, Oeconomos &c. Fateri debent Cathedralis Chiemensis, Collegiatæ in Styria & Carinthia, Baumburgensis, Augiensis, S. Zenonis, Högelwerthana, aliæque in dicta Archi - Diœcesi Salisburgensi. Præ cæteris Garsense Cœnobium, ceu aliorum Seminarium, Sanctitatis & Religiosissimæ disciplinæ induit formam, ut nomen suum ad exteros quoque nationes extulerit, vel maximè in eo vigente paupertate & humilitate, obedientia & strictiori quàm unquam, eo usque observantia legum Augustinianarum, ac pietate erga Deum in psalmis & hymnis, nec non & assidua mortificatione in frænandis animi inordinationibus, ac corporis carnisque rebellis

mo-

motibus & moribus ſemper præeunte vivaciſſimo & validiſſimo exemplo Petro Præſule. Non per auxeſin ſed infrà meritum loquor; ſic enim ad omnem Religioſæ virtutis perfectionem compoſitus erat Petrus, ut ſi faciem intuitus eſſes, ſancti cujusdam Patris è priſco ſæculo formam te vidiſſe juraſſes. Pallor & macies in vultu, gravitas in geſtu, ſimplicitas in omni veſtitu, pondus in verbis, modeſtia in oculis, ſapientia in conſiliis, parcitas in ſermone, quibus omnibus incomparabilis humilitas, & continua ſui in omni actione admiranda mortificatio præter aſſiduas preces, vigilias, jejunia, corporis macerationes, contemplationes, ſuam aſpergebat cælicam pulchritudinem & ſanctitatis nomen. Unde factum, ut multi S. R. P. Principes ejus permoti virtute ſummis illum proſequerentur favoribus, gratiis, amoribus, adeò ut ipſi quoque arcaniſſima concrederent, conſilium expetentes, imò quàm frequentiſſimas propria etiam manu conſignarent litteras, cum primis Sereniſſimi Electores Colonienſis, & Bavarienſis, Reverendiſſimi Epiſcopi Friſingenſis, Oſnabrugenſis, Chiemenſis, juxta quod Salisburgenſi Archi-Epiſcopo, ſuo Ordinario, non tantùm fuerit oculus, quem Archi-Diaconi munus indigitat, ſed ferè delitium. Extant centena hujusmodi teſtimonia in Archivio Garſenſi. Sereniſſimo Electori Bavariæ Maximiliano, adeò erat in gratiis, ut & fusè dilaudaret, & ejus graviſſimis conſiliis uteretur; uſus eſt & Sereniſſimus ac Reverendiſſimus Elector Colonienſis Ferdinandus, atque ab eodem celeberrimis SS. Reliquiis Colonia donatus. De pluribus aliis minoris notæ Prælatis, Pro-Epiſcopis, Abbatibus, Vicariis Generalibus, & Ordinis noſtri Præpoſitis amiciſſimè Petrum Garſenſem devenerantibus, & eum ceu Oraculum quoddam adeuntibus, nil loquar. Talis erat tantusque Petrus. Ne verò ſollicitudinem ejus paſtoralem in Clero ſibi ſubjecto ſilentio ſepeliam: erat ille, cujus vel umbra regebat, & terrebat, ut non loqui eum diceres, ſed fulmina jacere in delinquentes, non ſcribere, ſed leges ferre, tam ſanctè ab ejus ore excipiebantur mandata & monita. Diu, noctuque vigil in Clerum, diſcolis ejectis, piis ſubſtitutis tantùm profecit, ut inolitum ex Lutheri reliquiis concubinatum Eccleſiaſticorum penitus ex Archi-Diaconatu ſuo Ampliſſimo eliminarit, eradicarit, extirparit. Pleniſſima ſolertiſſimæ vigilantiæ proſtant teſtimonia, plus ille ſolus præſtitit, quàm retrò omnes in gubernando Clero: plus ille ſuum Domeſticum Archivium illuſtravit Sanctionibus, Definitivis, Reſcriptis, Monitis, Inſtructionibus, Actionum forenſium Diſcuſſionibus, quàm legantur ab omnibus retrò actis ſæculis eſſe diſcuſſa, ſancita, definita. Unde meritiſſimas laudes nunquam non retulit â Celſiſſimo ſuo Ordinario Archi-Epiſcopo, cui plenariam præſtitit in functionibus ſatisfactionem, & quod mirere, præſtitit hæc omnia jam capularis ſenex, & plerumque infirmus, & fractis viribus. Atque quia Monaſterium par non erat tum temporis ſupportandis oneribus, viſitandi Monaſteria, & munera Archi-Diaconatus, ea qua par eſſet diligentia, obeundi, ſollicitavit, atque facilè obtinuit à Celſiſſimo Principe Ordinario Parochiam aliquam in congruam expenſarum eis de cauſis faciendarum compenſationem, hoc tenore ut ſequitur:

„Nos Paris Dei gratia Archi-Epiſcopus Salisburgenſis Sedis Apoſtolicæ Legatus „&c. Devoto nobis in Chriſto ſincerè dilecto Petro Præpoſito & Archi-Diacono Gar„ſenſi conſtituto noſtro Viſitatori Monaſteriorum Ordinis S. Auguſtini Canonicorum „Regularium per Diœceſin noſtram exiſtentium ſalutem & gratiam noſtram. Quia Mo„naſterium tuum eâ rerum omnium pecuniâ & paupertate laborare aſſeris, ut munia Ar„chi-Diaconatus & Viſitationis tibi à nobis concredita ad laudem Omnipotentis Dei & Diœceſis noſtræ ſalutem eâ qua par eſt, ac velles, diligentia adminiſtrare non poſſis. „Ideo nos precibus Tuis nobis humili inſtantia porrectis in Domino inclinati, Parochiam „Schnaitſee in Bavaria ſub Archi-Diaconatu noſtro Baumburgenſi ſitam, aliàs etiam noſtrarum collationis & Diœceſis vacantem per liberam reſignationem Caſpari Ziegleri ul„timi & immediati ejusdem Poſſeſſoris cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis authori„tate noſtra Ordinaria per præſentes eum tibi in finem concedimus & aſſignamus, ut offi„ciis ſuprà ſcriptis majori cum fructu præeſſe, & duos minimum Religioſos Conventua„les tuos, qui ſucceſſu temporis præfatis muneribus applicari poſſent in probata aliqua „univerſitate & ſtudio Juris Canonici alere valeas, volentes tamen, ut ad divinorum „officiorum peractionem ſufficientem numerum Sacerdotum, Laicorum, aſſignatâ illis „congrua portione, ibi habeas, & prædicta Parochia Conſiſtorio noſtro Salisburgenſi, „ut antea, quo ad antea maneat ſubjecta. Mandantes proin Devoto etiam nobis in „Chriſto ſincerè dilecto Joanni Henrico Præpoſito & Archi-Diacono noſtro Baumbur„genſi, ut Te in realem, & actualem poſſeſſionem ſæpè dictæ Parochiæ Schnaitſee in„ducat: faciendo Tibi de univerſis illius reditibus & proventibus, juribus ac obventio„nibus ab omnibus, quorum intereſt, integrè reſponderi, contradictores & rebelles „quoscunque debitis cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis compeſcendo: Harum teſtimonio „litterarum manus propriæ ſubſcriptione & ſigilli noſtri appreſſione &c.

 Ut

Ut modo videamus, quàm porrò Reverendissimus meritissimusque Præsul Petrus Oeconomiam tenuerit, inprimis non oportet tacere, quæ illius vivendi juxta corpus fuerit ratio. Ipse in suis (quæ tamen ob nimiam austeritatem Ordini parum convenientem, licèt optima & sancta mente conscripta & elaborata neque ab Ordinario loci, neque à Capitularibus aliquando probata aut recepta unquam fuerunt, saltem à potiori) statutis cap. 2. de Paupertate num. 25. sic sanxit: *cum eodem Sancto* (id est Carolo Borromæo) *in ædificiis extruendis magnificentiam, picturas, & supervacanea ornamenta, omnemque Domesticam Luxuriam excludimus, caverique volumus, ne quidquam sive in Domo Præpositura, sive in toto Monasterio appareat, quod non purum ac simplex sit, quodque non Dei Zelum, Religiosam humilitatem, modestiam, & contemptum vanitatum præseferat.* Aureum statutum! hoc ipse Præsul non pro Religiosis subditis tantùm sed pro semetipso etiam tam sanctè & severè constanter observavit, ut revera in tota habitationis ejus æde penitus exulaverit omnis mundanæ gloriæ apparatus. Siquidem illi non erant horologia viatoria, non imagines pretiosæ, non specula artificiosa, non aulæa, nil acu pictum, non sericum, aut serico distinctum, non colorum varietas in tapetibus, nil elaboratum pretiosius, sed omnia ad veram Sanctorum simplicitatem composita, & quæ postulabat rerum necessitas, certarat sane hac in parte cum severissimæ observantiæ Religiosis Capucinis, aut Carmelitis. Toga illi simplissima sine ulla elegantiola, calcei semper detriti, & communissimæ (nam & novos sinebat deteri non nihil à fratre converso, ne superbiola irreperet per calceos in animum continentem) structuræ; imò tota vestitus materia ex populari prorsus materie confecta, & his parcebat sancta Viri parsimonia, quæ & papyri, imò & ligneolorum fragmenta sustulit, ut essent usui, saltem alicujus sancti sententiâ inscribendi: non equos generosos alebat, non vehebatur rhedâ singulari pretio exornata. Pro famulitio habebat servum non nisi unicum, & plerumque Sartorem, quia aliàs rei domesticæ proficuum, sobria mensa, extra tempus nec bibens, nec comedens. Hospites etiam magnæ conditionis habebat peramanter, & satis frugaliter, sed non in multam usque noctem, absque compotationibus, & ludicris ineptiis: Sacerdotes quàm sæpissimè mensæ regulari adhibebat, & non nisi cum bonis sermocinatio ejus, quos semper ædificarat exemplo, vel sanâ doctrinâ. Aureos & argenteos calices ipse fregerat, ut debita inde à Prædecessoribus contracta dilueret. Jugiter secum viridi memoria recolebat utilissimum, ac saluberrimum illud Venerab. Thomæ Kempensis cælestis doctrinæ dictamen, Epistola 6. sic asserentis: *Placeat tibi propter Christum simplex vestitus, & sobria mensa, nec quæras pretiosa ornamenta: Christus amat cor purum, non cappam pulchram, neque casulam sericam, mirâ varietate contextam. Non optes, ut Monasterium tuum abundet divitiis, & altis ædificiis, sed ut floreant omnes fratres bonis moribus ac virtutibus sanctis, & si alicubi pulchra & sumptuosa videas & excusare potes, & tolerare pro honore Dei & reverentia loci, sed non debes similia affectare &c.*

Interim Venerabili Conventui suo nil deesse sinebat, quo alacrius Deo servirent & Ecclesiæ; vinum porrigebat ad mensam omninò sufficiens, & defæcatum ac vetus, cibos benè præparatos, vestimenta usualia pro necessitate condecentia; hæc tamen omnia nihil mundanæ elegantiæ habentia: abhorrebat interim ab extraordinariis conviviolorum aut Symposiorum irritamentis: ædificia nulla extruebat, nisi suam Prælaturam, quam tamen omninò simplicem esse volebat, metuens in sanctæ Paupertatis legem committere, si splendoris quidpiam adderet. Sic in omni sua sapientia simplicissimus erat, sed & in simplicitate sua semper sapientissimus. Itineraria voluptuaria conficiebat nulla, & si ex Officio peragebat necessaria, magna cum humilitate exsolvebat, vitæ testem semper secum habens, minimè tamen sordidus in parcitate victus. His Oeconomiæ per omnia sanctissimè deductæ modis, Monasterium penè depauperatum erexit, ad quam honestissimam vivendi rationem etiam reditus sat copiosos applicuit, sicque Granarium ampliavit, Cellam vinariam implevit, Vestiarium convenienter instruxit, Ecclesiam arnavit, ædificia sarta tecta conservavit, census annuos redemit, debita omnia tot grandia dissolvit: quibus diluendis commodissima se id temporis obtulit occasio, qua ex mandato Principis terræ Serenissimi Bojorum Ducis Maximiliani circa annum 1623. ob illius temporis necessitatem pecunia decuplo ferè aucta est, saltem sortis majoris monetæ, ut unicus Imperialis seu uti vocant, Talerus decem florenis constaret. Hac itaque occasione sapientissimè usus Præsul noster, æs alienum nullo incommodo diluit. Cæterum Monasterium septem insuper prædiis locupletavit, auxitque duabus opimis paræciis Schnaitseensi & Puechbachensi, ad dies vitæ concessis à Principe & Ordinario Salisburgensi. His passibus ad grande senium perrexit Petrus, donec viribus impar diu & multis votis exoptatam ab Ordinario obtinuerit Vacaturam à dignitatibus, quas biennió resignavit ante mortem.

Natus

Natus is erat in Silesia vili tugurio, atque studiis humanioribus haud sine difficultate completis, matura jam ætate Juvenis Apostolicum Canonicorum Regularium S. Augustini Institutum amplexus est; in vota Religiosa jurans anno 1595. die 28. Maji in celebri Baumburgensium Collegio. Ubi jam tum omnium bonorum tale se præbuit exemplum, ut & Senioribus esset admirationi, & ad omnem virtutem Junioribus incitamento, tam accuratus in minimis, quàm posteà magnus in maximis, tamdiu latens lucerna sub modio, quamdiu visum fuit Spiritui sancto, ut poneret eum in candelabro Ecclesiæ, ut luceret omnibus, qui in domo Garsensi essent, nunquam hâc dignior Cathedra, quàm dum eam sprevit, & fugit, eousque quoad propter Numinis iram licuit, cui denique susceptæ semper & sufficiebat & satisfaciebat, abundè potens opere & sermone, ac animi magnitudine, constantia, prudentia, consilio, rerumque usu, comite semper virtute, nulli secundus, donec post iteratas sæpè sæpiùs annis pluribus urgentissimas sollicitationes, emeritis veteranus stipendiis, à Pedo & Mitrâ dimissionem licèt ægrè, & magnis Viris vehementer obnitentibus obtinuit, & torquendam alteri stivam commisit, ipse intereà soli Deo vivens, ac exercitam per omnia virtutum stadia vitam ad apicem deducens, mortis quasi diem dicens, ad cujus ostium semper cogitatione stetit, quæ sic evenit. Alterâ jam vice hemiplexiâ tactus erat, nocte exinde subsequente solemnitatem S. P. N. Augustini horâ primâ & diem 29. Augusti inchoante, Divo Patri ætate non impar anno verò Christi 1645. omnibus jam Sacramentis ritè præmunitus, viribus cœpit deficere, quibus decrescens, campanulâ pro more pulsata, omnes accurrunt Canonici, in quorum ceu filiorum suorum corona inter brachia cujusdam Patris sibi præ cæteris dilecti Athanasii Glöggl, doloris quasi expers placidissimè sanctam suam Creatori reddidit animam, felix Augustini filius, qui Patrem æquavit ætate, æquavit obitus die, & imitatus est eum, quantùm potuit, virtute.

Ne autem solicitus Pastor desereret oves, ne suos Pater amantissimus desereret Filios Canonicos absque salutaribus monitis, ecce extremam pro innata sua humilitate & Charitate supplicationem ad suos Charissimos filios Garsenses exhibeo, quæ Cedro digna, & digna, quæ cordibus magis quàm æri incidatur. Ita ille:

F. Petri Præpositi ad Vos, quibus præfuit,
extrema Supplicatio.

Ille ego, qui olim inter Vos loco superiore in periculo majore versatus, substratus pedibus vestris ad Vos clamo: miseremini mei, miseremini mei saltem vos Fratres amici mei, qui vel audistis, vel vidistis, quàm velox fuerit depositio tabernaculi mei. De animæ habitatione dubia ac varia cogitabitis, ipso momento separationis cæpit habitare cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis, nunquam, eheu! nunquam finiendis, nisi fortè illo ipso momento Pater ille misericordiarum mirificavit erga me misericordias suas, nisi Mater Misericordiæ se Matrem Admirabilem tunc exhibuerit. Si quæritis, quid fieri petam tabernaculo huic putrido, ac polluto? indignum judico, cui aliqua particula terræ permittatur. Vix rogare audeo, glebæ illud in communi Cæmiterio, ad pedes Matris inviolatæ ibi deponatur prope refugium peccatorum. Nihil petitionis hujus novitas vos perturbet, non vos cohibeat humanus respectus, tantùm illud Vos rogo, ut ad Domini Altare citò ubi ubi fueritis mei peccatoris memores, magni Dei misericordiam piè imploretis. Est adhuc aliud, quos Vos Charissimos volo, id quod Vobis metuo futurum, nempè inimicos Crucis Christi, homines se ipsos amantes, speciem solùm Pietatis habentes, ab angusta Regularum & Statutorum viâ ad spatiosam & speciosam trahere vos laborantes, hos tanquam faciem Colubri devitate. Non attendatis sermonibus eorum aut rationibus. Contendite, peto, intrare per angustam portam. Ego nimiùm serò nunc doleo, quòd tam parum contendebam, quandò multùm poteram. Jam video, jam sentio, quàm sint pauci, quàm valdè pauci, heu! nimium pauci, qui intrant per eam, quia multi eheu! nimis multi, qui contendere nolunt! Vos meo exemplo Charissimi, discite sapere, dum lucem habetis, videte, & vigilate, quod facientes non dolebitis, sed ridebitis in die illo novissimo. Memores estote judicii mei, sic enim & vestrum. Mihi heri, & Vobis hodie. Obii ætatis 76. Christi 1645. die 29. Augusti & ingressus sum æternitatem momentò unò, ô quam brevis vita! quàm longa æternitas; Valete!

Emeritissimo Prælato pro Viribus parentatum est. Successor ejus Ubaldus in perpetuam rei memoriam honoris & amoris ergò monumentum erexit hoc cum Epitaphio:

Heus Viator! quis fuerim, quæris?
Fui, quod es, eris, quod sum.
Homo, pulvis, umbra!
Dum vixi, fuerunt mihi
Magna nomina, magna onera!
PETRUS MITTMANN Silesius
Præpositus Archi-Diaconus,
Et
Ordinis Visitator Generalis.
Loco Superiore, periculo majore steti
multa tuli, fecique,
Invitus his dignitatibus successi,
Lubens volens spontè mea cessi,
Biennio antequam è vita discessi,
Et Septuagenario major
Momento vixi, & momento uno
ingressus sum
ÆTERNITATEM,
Ut Beatam in Cælis, tu apprecare!
Anno Christi 1645. die 29. Augusti.

XLIII. Ubaldus Mayr Raistingensis Bojus pro tempore Decanus die 14. Aprilis anno 1643. (resignante per litteras Archi-Episcopo Salisburgensi & Capitulo Garsensi dignitatem suam Reverendissimo Domino Petro antedicto) præsentibus Commissariis tam Archi-Episcopalibus quàm Electoralibus omnium calculis meritissimè electus, Confirmationem more solito obtinuit ab Ordinario, seu Celsissimo Archi-Episcopo tam Prælaturæ, quàm Archi-Diaconatus anno & mense eodem. Hujus utriusque Confirmationis tenorem integrum hic accipe.

Confirmatio Pro Præposito Garsensi.

Nos Paris Dei gratia Archi-Episcopus & Princeps Salisburgensis sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus &c. Dilecto nobis in Christo Fratri Ubaldo Mayr Conventuali Sacerdoti Professo Monasterii Garsensis Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium nostræ Diœcesis salutem, gratiam, & regularis observantiæ Zelum. Inter reliquas curas & sollicitudines, quæ nobis ex debito Pastoralis officii nostri maximè cordi & curæ esse debet, illa sanè præcipua ac maxima est, ut Ecclesiæ & Monasteriis fidei ac vigilantiæ nostræ commissis & subjectis, dum ea vacare contingit, debitè & oportunè cum omni diligentia, cura & studio provideamus.

Vacante itaque Præpositura suprà dicti Monasterii S. Radegundis à Gars Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium nostræ Diœceseos per liberam cessionem & resignationem Petri Mittmann ejusdem Monasterii ultimi & immediati Præpositi die etiam seu termino providendi ad Electionem novi Præpositi adveniente, & à nobis Canonicè præfixo, omnes, qui de Jure interesse debuerant, legitimè citati, & capitulariter congregati in præsentia nostrorum Commissariorum ad actum Electionis specialiter deputatorum præmissis omnibus & singulis, quæ in hujusmodi actibus tam de Jure, quàm de approbata consuetudine adhiberi solent, & debent, Te Fratrem Ubaldum Mayr, divino Numine aspirantè in suum & Monasterii S. Radegundis in Gars Præpositum Conventuales prædicti Monasterii nominârunt, & elegerunt, prout ex publico & authentico Electionis Instrumento desuper confecto & Nobis exhibito pleniùs vidimus contineri. Rogantes Nos quàm humillimè quatenùs hujusmodi electionem Canonicè factam gratiosè approbare & confirmare dignaremur. Nos igitur per Commissarios nostros specialiter Deputatos super Personæ tuæ habilitate, sufficienti ætate, probitate, rerumque tam spiritualium quàm temporalium regendarum prudentia ac dexteritate satis informati, præfatam Electionem de tua Persona factam, authoritate nostra Ordinaria duximus approbandam & confirmandam, prout tenore præsentium omni meliore modo, ac forma, ac Jure, quo melius possumus & debemus, Te Fratrem Ubaldum Mayr in sæpius præfatæ Ecclesiæ S. Radegundis & Monasterii in Gars Caput, Pastorem, & Præpositum approbamus & confirmamus, Teque per annuli traditionem præmissa fidei Professione,

feſſione, & præſtitis ſolitis tam Simoniæ, fidelitatis, & obedientiæ homagiis ſeu juramentis in manus Venerabilis Fratris & amici noſtri Chariſſimi & intimi Conſiliarii Joannis Chriſtophori Epiſcopi Chiemenſis &c. de eâdem Monaſterii Garſenſis Præpoſiturâ providemus & inveſtimus adminiſtrationem & Regimen in Spiritualibus & temporalibus Monaſterii ejusdem Tibi plenariè committendo in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Mandantes inſuper Vobis Decano, Seniori, totique Conventui, Officiariis, aliisque omnibus & ſingulis quomodocunque ad ſæpedictum Monaſterium Garſenſe ſpectantibus perſonis in virtute S. Obedientiæ, quatenus memoratum Dilectum Nobis in Chriſto Fratrem Ubaldum Mayr, in veſtrum Præpoſitum, Caput, Rectorem, & Paſtorem recipiatis, eique debitum honorem, reverentiam & obedientiam præbeatis, præſtetis, & exhibeatis; contradictores, & rebelles quoscunque debitis cenſuris Eccleſiaſticis compeſcendo. Harum teſtimonio litterarum manus propriæ ſubſcriptione & ſigilli noſtri appenſione munitarum. Datæ in Metropoli noſtrâ Salisburgenſi die decima octava Menſis Aprilis anno reparatæ ſalutis milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio.

Paris.

(L. S.)

Chriſtophorus Udalricus am Pach
Dr. Cancellarius Conſiſtorialis.

Patentes Litteræ Officii Archi-Diaconalis in Gars.

Nos Paris Dei gratia Archi-Epiſcopus & Princeps Salisburgenſis S. Sedis Apoſtolicæ Legatus &c. Univerſis & ſingulis Eccleſiarum Parochialium Rectoribus loca tenentibus, earundem Vicariis, Capellanis, Clericis & Laicis quibuscunque ad Archi-Diaconatum noſtrum in Gars quovis modo ſpectantibus ſalutem & gratiam noſtram. Cùm ratio officii noſtri & Archi-Epiſcopalis dignitas, cura, atque ſollicitudo efflagitet, ut ea, quæ ad fidem Catholicam propagandam, Eccleſiaſticam diſciplinam conſervandam errorum correctionem & defectuum emendationem ſpectant, nobis maximè cordi ſint, & eſſe debeant. Idcircò ob noſtræ Eccleſiæ Metropolitanæ Salisburgenſis amplitudinem variis ac diverſis in locis à Prædeceſſoribus noſtris diverſi Archi-Diaconi per Archi-Diœceſin noſtram, ſunt conſtituti, qui officio Archi-Diaconali ex cauſis ad illud vel de Jure vel de conſuetudine antiquâ ſpectantibus ſervato Juris ordine debitè ac legitimè præſint. Quapropter vacante officio dicti noſtri Archi-Diaconatûs in Gars per liberam ceſſionem & reſignationem Petri Mittmann ultimi & immediati Præpoſiti & Archi-Diaconi dilecto nobis in Chriſto Fratri Ubaldo Mayr confirmato Præpoſito Monaſterii Garſenſis illud ipſum Archi-Diaconale munus & officium duximus eſſe committendum, prout committimus per præſentes. Mandantes igitur omnibus & ſingulis vobis ſupradictis, & cuilibet veſtrûm in virtute S. Obedientiæ firmiter & diſtrictè præcipientes, quatenus dicto Fratri Ubaldo Mayr Præpoſito in Gars tanquam Archi-Diacono noſtro in omnibus ad Officium ſuum de Jure ſeu antiquâ conſuetudine ſpectantibus debitam reverentiam & obedientiam exhibeatis. Contradictores & Rebelles verò quoscunque debitis cenſuris Eccleſiaſticis compeſcendo, admonentes intereà prædictum Archi-Diaconum noſtrum & in Domino hortantes, quatenus pro rectâ Officii ſui functione & adminiſtratione SS. Canones, SS. Concilii Tridentini Decreta, Conſtitutiones noſtras Synodales, & noſtræ Viſitationis generalis ſtatuta quàm ſtudioſiſſimè attendat, & obſervet, in rebus etiam gravibus nos aut Venerabile Conſiſtorium noſtrum Salisburgi ſemper conſulat. Harum teſtimonio litterarum manûs propriæ ſubſcriptione, & Sigilli noſtri appenſione munitarum. Datæ in Metropoli noſtrâ Salisburgenſi die vigeſima menſis Aprilis, anno reparatæ ſalutis milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimô tertio.

Paris.

(L.S.)

Chriſtophorus Udalricus am Pach
Dr. Cancellarius Conſiſtorialis.

His ita Electionis ac Juris ſemitis ad culmen honoris pervenit Reverendiſſimus D. Ubaldus. Natus is erat Raiſtingæ, in noto Superioris Bavariæ pago, anno 1609. decimo quarto Decembris: Profeſſionem Canonicam fecit anno 1626. 16. Maji. Obſcuros ſolùm licet natales illius jam tenera illuſtrabat ætas, mores ſupra ætatem præferens maturos, & docilitatem ad omnes exhibens liberales diſciplinas; inprimis autem gratus

 erat

erat innocentiâ morum, vitæ candore; unde quasi, vi raptus â ſtivâ ad ludum litterarium. Prima Grammatices rudimenta edoctus eſt in Benedictino S. Georgii Monaſterio in Alpibus Tyrolenſibus collato, tum ad Seminarium Garſenſe promotus, reliquis humanioribus ſtudiis imbutus eſt, ubi tam quoad ingenii bonitatem, quàm virtutum elegantiam ita ſe probatum reddidit, ut denique in ipſam ſacram Canonicorum familiam fuerit adlectus: in qua cùm Profeſſionem fecerat, mox Auguſtam Vindelicorum ad Philoſophiam auſcultandam miſſus, contubernio ipſi addicto in S. Crucis Canonicorum Regularium Monaſterio, deſcripto ſuprà, ubi omnium oculos miro modo in ſe converterat, ob innocentem & Angelicam vivendi conſuetudinem. Quo Philoſophiæ ſtudio abſoluto, in Univerſitatem Salisburgenſem ad Theologiam ſpeculativam audiendam eſt amandatus, intereáque Sacerdotio inauguratus. Indiguerat tum Garſenſe Monaſterium Decano & Magiſtro Spiritus. Nemo tum aptior videbatur quàm Ubaldus, non major 26. annorum juvenis: quia ex hoc tam Chriſti amore inflammato pectore clarè elucebat omnis virtus, & religioſæ Perfectionis, intus latentis, non unus erumpens radius. Denique anno 1636. Capitulariter in Decanum electus eſt, quod Officium cùm aliquamdiu magnâ cum laude peregiſſet, iterum Reverendiſſimo Domino Petro viſum eſt è re fore, ſi ſuum P. Ubaldum ad SS. Canones audiendos Salisburgum remitteret, quod ſanè factum benè. Eò redux ſecundò in Decanatus munus ſucceſſit, usque dum ad clavum Regiminis deductus eſt. Quis autem Religionis ſuæ tempore ad usque ſubſellia Prælaturæ fuerit, Laconicè ediſſero, talem ſe geſſit, qualem vel ſanctiſſimus optaret Prælatus, Subditum, Canonicum, Eccleſiaſten, Decanum. Verè implevit illud Regulæ noſtræ decretum in omnibus motibus veſtris nihil fiat, niſi quod veſtram deceat ſanctitatem. Hinc cùm ex habitu geſtúque corporis plerumque judicet mundus, ne ille offenderet intuentes, ſeſe ſemper intra Religioſiſſimæ modeſtiæ limites continebat, nil ſanè diſſoluti animi in eo apparebat: non manuum geſticulatio, non præproperus inceſſus, non riſus petulantior, non ſcurrilitas verborum, non vana compoſitarum veſtrum elegantia, non faſtidium contemptûs, ut impleviſſe crediderim Sapientum regulam, ne digitum quidem exerendum ſine rationis dictamine. Erat videlicet inſtar ordinatiſſimi horologii: oculorum inprimis caſtigavit licentiam, ſtans in Choro, in templo ſub divinis exoculato ſimilior, quàm oculato; nempe oculos habebat, & non videbat, temperans ſibi etiam in privato cubiculo, ne quidpiam in oculos incurreret, quod averteret mentem, ſemper in ſecretiora finaliter intentam. Eſt in animis etiam ſanctioribus quidam, ut ita dicere liceat, mollitudinis amor; quis enim Catonicam in omni congreſſu amet ſeveritatem? etiam inter altiſſimas virtutes leporis gratia quidpiam ſpirare videtur generoſitatis, quod ipſum videre fuit in Sanctiſſimo illo Genevenſium Antiſtite Franciſco Saleſio. Saleſius totus erat Ubaldus iſte noſter, comis eloquio, gratioſus in moribus, affabilis erga omnes; ut præter eximiam religioſi hominis modeſtiam luderet tamen in ore comitas, quam usque in finem ſervârat. Unde ſacrâ quadam violentiâ rapiebat animos ſecum converſantium. Sanè Perilluſtres Viri complures atteſtabantur, à nullo hominum potentiùs in ſacrum illectos eſſe amorem, quàm ab hoc Ubaldo. Mel erat in ore, & ſine felle columba. Quid de temperantiâ ejus loquar? hæc ſolam pro menſurâ habebat neceſſitatem, hanc ita Vir hic ſanctè obſervabat, ut moderatiſſimus ſemper eſſet in omni vitâ, etiam quam magnus degebat Antiſtes. Nemo eum vel ſemel viderit non quàm maximè ſobrium, addictus etiam in Prælaturâ jejuniis regularibus, quæ in imitationem ſui Patroni S. Caroli Borromæi ſuſceperat. Nullâ vi verborum exprimi poteſt humilis ſui æſtimatio & exiſtimatio, quâ omnem propè averſabatur honorem; hinc trahi ad officia, trahi ad Decanatus, trahi ad Prælaturæ ſubſellia debebat, cogi honeſta loca aſſumere, ut etiam Prælatus non aliter dormiret, non aliter Conclavi ſuo victitaret, non aliter iter ageret, quàm quilibet de communi grege Canonicus. Ad humilitatem ſic omnia in hoc magno & ſapientiſſimo Viro compoſita erant, ut verè dixerim, totus fuit humilitas. Inde velut ſurculus effronduit in omnes obſervantia. Habebat Collegium Garſenſe bonum civem: Superiorem optimum ac fideliſſimum ſubditum, ac poſteà ſubditi pacatiſſimum Præſidem. Sic ad nutum obediebat in omnibus, arduis & difficilibus æquè, ac facilibus, ut nunquam contumaciæ notatus fuerit. Suſcipiendum erat Superioris imperium? ſuſcipiebat illud velut emiſſam Cælo vocem nullâ quæſiti cauſa, præceptive ratione. Juſſus Prælati expediendus erat? expediebat ſimpliciter & velociter paratus ad excipienda omnia pari gaudio & promptitudine placita æquè ac dura. Ut in omnes facilis, ſic ſibi perquàm auſterus erat Ubaldus, flagellis, ciliciis, humicubationibus, ac aliis caſtigationibus, quibus quàm creberrimè in ſuum animadvertebat corpus, nec quicquam ab his in Præſulatu deſtitit. Habebat in ſuo cubili non tantùm ad omne pietatis obſequium talarem paratam togam ſetis hiſpidam & crudelem, quâ ad nudam carnem ſub togâ religioſa utebatur, ut vix tam clandeſtinè habuerit rem, quin ſæpiùs notatus fuerit ab aliis; verùm etiam ſub lecticâ occultam ſtoream, cui nemine

mine advertente, nisi ex piis insidiis, indormierat. Nec minimum sanè corporis tormentum reputari debet, quod sustinuit ex vilissimis morsiunculis corpus adorientibus vermiculis, ac prurigine, quæ tamen ad stuporem aliorum patiebatur pede manuque immota. Non erat corporis sensus, cui domando non suum adhibebat laborem & industriam hic Vir mortificatus carne & Spiritu. Quid de solitudinis memorem amore? eam sanè luculentum compositæ mentis & à pravis mundati cordis affectionibus esse argumentum omnes tenent Ascetici. Ubaldus nusquam lætior, quàm ubi solus, Cellam amabat ut Sponsam è millibus electam, præ omnibus dilectam: quà sanè nunquam pedem extulit, nisi necessitate urgente, aut charitate suadente, nunquam tamen in eâ otiosus, semper piè negotiosus. Inde magnam hausit omnis Asceticæ, & Theologicæ, aliarúmque disciplinarum copiam, ut abundanter inde habere posset, quæ depromeret vel erudiendis fidelibus ex cathedrâ, vel Canonicis Fratribus, & Novitiis in Palæstra religiosa. Utramque autem spartam sic gessit, ut optimus audiret & gratissimus Ecclesiastes, & nullis nec probatissimorum Ascetarum Magistris secundus. In hoc etiam vel maximè laudandus, quòd semper Deo unitus, sibíque præsens omnia sua gesserit ex amussi, & ad præscriptum agendi modum, maximè cum divinis laudibus persolvendis interesset, ubi inter primos & assiduè assistebat, homini similior Angelicum vultum præseferenti quàm humanum. Ne utriusque in Deum & Proximum amoris sacri taceamus actus & exercitium, in hoc si unquam se genuinum Seraphici Patris Nostri Augustini exhibuit filium & Sectatorem. Amoris ea est conditio, ut illuc tendat, ubi sumpsit originem, unde à se exit, ut nisi ab amato suscipiatur, quasi nullibi sit; cujus porrò vis tanta est, ut in rem amatam penè totum transformet amorem. Nemo qui unquam viderit & noverit Ubaldum, non statim deprehenderit Dei amore continuò flagrâsse. Animata erant hoc amoris sacri telo omnia illius opera, cogitata & verba, adeò hujus pectus divinus adussit subinde ardor, ut inter Divina colloquia velut vivus canduerit carbo, nec inter propria pectoris scrinia solùm hìc se continuit sacer ignis, in alios quoque derivavit hanc amoris flammam, ut quàm plurimi testatum fecerint, se ab ejus sacris colloquiis sic incaluisse, ut fornax ab igne; vel maximè flammas has concepit inter cogitata sacratissimæ (cui addictissimus erat) Passionis Mysteria, & ubi de Virgine Matre, quam unicè deamabat, contemplabatur, cujus cultum pro omnibus viribus promovere satagebat. Arte modicâ pingendi imbutus erat Ubaldus, ad nihil verò frequentius pingendum penicillum applicuit, quàm ad Divam Virginem ulnis suis Divinum Pusionem excipientem, coloribus adumbrandam, cujus etiamnum aliquot ejusmodi icones superstites videre est, vix olim erat Religiosum cubile, cui non erat Ubaldina ejuscemodi imago. Ex amore divino amor redundavit in proximos, quorum salutem tam ardenter sitivit, ut nunquam non paratus fuerit animam pro ovibus suis ponere, perdius & pernox in animabus curandis, etiam quà Decanus, etiam quâ Præpositus, quâ in mitratâ dignitate quàm laudatissimô exemplô omnibus Præsulibus, etiam Episcopis imitando, non infrequentes per annum conciones ad Populum habuit. Prorsùs æternâ dignum est memoriâ, quòd ubi pestifera lues Monasterium invasit, ipse tum Decani functus officio, statim sese exposuerit paratissimus inter mortuos quoque efferri, si Deo placuerit. At evidentis fuit miraculi & sanè extraordinariæ Dei Bonitatis exhibitæ, quòd zelosissimus hic Pastor à primo infectionis momento ad ultimum usque in continuo licèt periculo mortis deservierit moribundis, manserit incolumis: cùm tamen è solo Monasterio ad triginta usque homines morti in rapinam cesserint. Quod accidit sub annum 1636. à Mense Martio usque ad Junii Mensem, toto reliquo Conventu, ubi lues increvit, cum Revendissimo Præsule Petro ad tutiora loca citrà Oenum sese conferente; atque inter hæc funera nullum non SS. Sacramentis fuit expiatum, alii quoque defuncti verè morte Sanctorum. Ut resignatus Ubaldi animus in manus Dei, & confidentiâ tantò magis appareat, litteras, quas suapte manu Ubaldus ad Petrum tum Præpositum illis in mortis calamitatibus perscripsit, subjungam, sic ille scribit: „Certè plus ego per Dei gratiam animi in his „mediis procellis expertus sum, & experior, quàm à naturâ meâ, vel Admodum R. P. V. „credat, vel egomet exspectâssem. Gratia Dei non est alligata, quæ succurrere solet, „ubi auxilii humani nihil est super, nisi enim Divina me gratia confortâsset, citiùs inter „Charorum meorum Fratrum funera defecissem, aut ab iisdem refugissem, quod nun„quam feci, aut per Dei gratiam facturum me puto, quin potius præsentis infectionis „periculo absque ullo terrore & perturbatione me exposui, sciens, quòd Dominus Deus „esset Defensor ac Protector vitæ meæ, & salus mea, qui etiam potens est defendere, „quòd si noluerit facere, notum sit omnibus me à Monasterio non fugiturum. Quæ „ideò scribo, ne Admodum R. P. V. inutili tristitiâ, quæ exsiccat ossa, se, quemad„modum audio, consumat. Si pereunt temporalia, absque culpâ Admodum R. P. V. „pereunt, igitur dicendum, Dominus dedit, Dominus abstulit. &c. Ex Monasterio „Garf. 9. Junii 1636.

Ita in formalibus Ubaldus; ex quibus utique luculentum eſt, quàm paratus fuerit & reſignatus ire etiam in mortem pro ovibus ſuis, quem proinde, quia confidit in Deo, ſanè ſpes non confundebat; unde non ſine evidenti divinæ gratiæ auxilio pariter evidenti mortis peſtilentis periculo ſurreptus eſt, utique Deo providente, ut majoribus ſervaretur honoribus, oneribus, & ſimul meritis. Talem itaque vivendi modum tenebat Ubaldus in Religioſo Clauſtro adhuc ſub modio delitens, quem ad usque vitæ finem, etiam dum in candelabro Eccleſiæ poſitus perduxit, ut de eo vulgiverbium non parùm veritati injuriam fecerit: *Honores mutant mores, rarò in meliores.* Enim verò in dies ſe ipſum meliorem faciens & perficiens, meritò promeritus eſt, ut diceretur inter Prælatos Religioſiſſimus, inter Religioſos humillimus, inter humiles maximus.

Jam ſuprà dictum eſt, Reverendiſſimum Dominum Ubaldum anno 1643. die 14. Aprilis in Præpoſitum & Archi-Diaconum electum eſſe, à quo temporis momento nihil cordi magis habuit, quàm ut ſarta tecta Monaſterii conſervaretur Diſciplina, quam ita moderatus eſt, ut quemadmodum ſub Reverendiſſimo Prædeceſſore, ita & ſub hujus Succeſſore Ubaldo odorem ſuum longè latéque diſperſerit, non duntaxat per Boicam, ſed & extra Provinciam. Sed potiſſimas laudes ejus quoad virtutes & ſanctè vivendi rationem per compendium dedimus, oportet, quidpiam dicamus de ejus Regimine politico in ſtatu Abbatiali. Damnatum in Superiore vitium eſt ignava gubernatio, & tepiditas in moderandis rebus. Univerſa inde labaſcit Diſciplina Religioſa, quâ cadente neceſſarium eſt, ſubintrare omnis generis mala: cùm enim omnes ad libertatem proni ſimus, volupe eſt, ut quisquam vivat pro ſuo lubitu, cùm deſit ſpeculator, cenſor, & Monitor. Hanc beſtiam (ignaviam dicimus) averruncavit ſtirpitus Reverendiſſimus Dominus Ubaldus, unde nec rimam paſſus licentioſè vivendi, omnis laxitatis proſcriptus hoſtis, ad unguem omnia obſervari debebant à Religioſis ſubditis Exercitia regularia, Meditationis, Examinum, Lectionis ſacræ, Studii, Orationis. Cantum Choralem trahi volebat, non abrumpi, quem tamen feſtivis diebus figurali moderabatur, cui intereſſe & ipſe non rarò voluit, non inamænus cantor & organi pulſandi gnarus. Apoſtoli monitum eſt Heb. 13. v. 1. *Charitas fraternitatis maneat in vobis, hoſpitalitatem nolite oblivisci.* Præpoſitus iſte ſicut minimè erat prodigus, ſic non parce avarus, frugalis & perhoneſta ſemper illi & ſuis Fratribus erat menſa, victus, & veſtitus; quamvis nihil ſuprà decentiam & parſimoniam Religioſam. Hoſpitalitatem exhibebat omnibus, præſertim Viris, Religioſam aut Clericalem vitam profitentibus, peramicabilem, ſed abſque ſplendore & profuſione. Nôrat quàm optimè hac benevolentiæ oſtentatione, ſeſe pectoribus immittere, & flammas Religioſæ charitatis ſubmittere & fovere. Interim non negligebat rem Domeſticam ſummâ cum vigilantiâ, intentiſſimus ſanè in omnem occaſionem, promovendi bonum commune Monaſterii. Ac ſanè niſi tam breviculum extitiſſet ejus Imperium, & aſſiduè belli tempora & calamitates attriviſſent ærarium per continuas exactiones & ſubditorum depauperationes, magno incremento fuiſſet Monaſterio, utpotè prudentiſſimus & providentiſſimus. Quas tamen inter calamitates ſatis commodè adminiſtravit rem œconomicam, donec omninò patriis laribus exul Sueco-Gallo-Milite Waſſerburgum obſidente, denique miſeriis & fatis ceſſit. In adminiſtratione rerum Eccleſiaſticarum & Archi-Diaconatus ampli & perquàm populoſi, gubernati alterius inſtar Cardinalis Borromæi ſanctiſſimi & zeloſiſſimi ſe geſſit, diligens in viſitationibus, rigidus cum moderamine lenitatis in transgreſſores honeſtatis Clericalis. Quandoque in ædibus Parochialium Eccleſiarum ipſus ille Prælatus è Suggeſtu quemque Auditorum ferventiſſimâ oratione ſui officii admonens eſt concionatus: tanto cum majori fructu, quanto admirabiliori exemplo ac rariori. Clerum non tantum moleſtis expenſis non oneravit, ſed & infenſiſſimus fuit munerum unctionibus, non ignarus, quàm potentia illa ſint vincula, ut vel validiſſimas conſtringant mentes & abducant per fas & nefas in largitoris ſententiam. Hinc ubi Ubaldus firmatam habuit in Juris Orcheſtrâ ſententiam, nullis precibus, aut munerum ſponſionibus dimoveri poterat, æreferróque durior, Juris & æqui tenaciſſimus. Illius in definiendo prudentiam, in judicandô æquitatem, in arbitrando peritiam, in litibus decidendis dexteritatem in promovendo animarum bono zelum & fervorem oſtendunt copioſa in Archi Diaconali Archivio teſtimonia, quæ coram adducere nimis eſſet operoſum, paucis multa complector, Reverendiſſimus Ubaldus in Religioſis ſuæ Aſceſeos exercitiis omne id adimplevit, quod Princeps omnium Aſcetarum Thomas Kempenſis edocuit de Imitatione Chriſti, dixeris vivum fuiſſe Kempenſium doctrinarum compendium vel elenchum. In publicæ gubernationis theatro verò ſe alterum Paulum monſtravit, in omnibus ſe ipſum præbens exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate potens, exhortari in doctrinâ & eos, qui contradicere vellent, arguere, habensque verbum ſanum in ore & irreprehenſibile, ut is, qui ex adverſo eſſet, vereretur nihil habens malum dicere de illo; quibus omnibus virtutibus

dedit

dedit coronamentum decor ille, quo passim apud omnes audiebat. *Vir Virgineus*, ob notam scilicet castimoniæ & ab omni muliebri affectu alienam virtutem. Si à rerum gestarum magnitudine Imperator Carolus dictus *Magnus:* si à recta imperandi quàm optimè semitâ Trajanus *Optimus:* si à felicitate finiendi bella Sylla *Felix:* si à rectè sentiendi de rebus altissimis scientiâ Albertus *Sapiens:* si à morum gravitate & sanctitate Beda *Venerabilis:* certè Ubaldus Garsensis à vivendi ratione jure & antonomasticè dicendus inter & præ omnibus Prædecessoribus suis *Religiosus*, Antecessor verò ejus proximus Petrus *Sapiens.*

Quinquennium absolverat in Præsulatu Reverendissimus Ubaldus, agebatur tum annus 1648. Bavariæ cis-Oenanæ pœnè fatalis. Enim verò Galli, Suecique superato Lyco, nostrisque stationem suam deserentibus, apertum in Bavariæ sinum irrumpendi campum nacti, ad usque Oeni tractum omnia devastavêre igne, ferrô, prædationibus, captis quoque omnibus minoris notæ aut præsidii oppidis & civitatibus. Ergò & Garsensibus transmigrandum aut certè moriendum erat. Ecce pietatem Ubaldinam in pauperes & suos filios Canonicos; inprimis mandatum Principis terræ Maximiliani Electoris instabat; ne quà hosti pateretur transitus per Oenum ad Boicam trans Oenanam, quæ sola salva erat, omnia ad flumen navigia demi. Ingens pauperum confluxus cum suis reculis ac Suppellectili ad Oeni ripam, quibus ut transitus concederetur, eo usque Ubaldus obtinuit, & indulsit, ut transvehendi copia fieret, interea amore pauperum, quò citius salvarentur res illorum, suis rebus dilatis. Hæc dum aguntur, en capitale mandatum à Principe emanat sine omni respectu perdendi & tollendi omnia navigia; vinum, frumentum, & alia quæpiam, minoris tamen notæ bona Monasterii adhuc transvehenda erant, sed jam hærebant inter malleum & incudem, inter sacrum & saxum. Unde factum, ut Oeni copia denegaretur quantumvis supplicanti Prælato, ac omnia deprædanti militi cederent in spolia, maxima cum jactura Monasterii, vix ipsomet evadente Reverendissimo Ubaldo, qui paratus etiam inter medios bellorum turbines vigilem excubitorem agere sui Monasterii, & vitam pro eo relinquere, vi Capitularium compulsus est abscedere. Ægerrimè à se dimiserat charissimos suos Filios, debebat tamen, ingenti licèt cum tristitia & animi luctu. Neque enim necessitati leges indici possunt, cuicunque tamen varias in Provincias abeunti Canonico, prout quisque Saluti suæ consulere posset, florenos viginti dispersit pro viatico; plures dare non sinebant tum Monasterii facultates: ipse Prælatus uno alteróve socio comitatus, exilii locum elegit Castrum Wöldenwarth, tum à Baronibus Schurffianis inhabitatum, ubi in hospitio suum habebat hospitium: quem tamen ipsi Barones omni prosecuti sunt benevolentia, & velut Patrem diligebant. Hic aliquantum demorans Reverendissimus Præsul, rebúsque afflictis suorum ac Monasterii nimium indolens, morbum contraxit fatalem, ac dysenteriâ consumptus, ipso S. Dominici die, seu quartâ Mensis Augusti Sacramentis devotissimè perceptis obdormivit in Domino, pauculis è Suis præsentibus, & acerbissimo dolore optimum Parentem lugentibus. Funus, hostibus Garsensi tractu cedentibus, ad Basilicam Cœnobii deductum terræ mandatum est, justáque ex ordine ei persoluta. Ita meritissimus Præsul anchoram spei tranquillâ jam in statione composuit, & plenam cœlestibus divitiis & æternis mercibus navem optato in littore collocavit. Numquid dignè jam vertitur in memoriam hominum, qui ab hujus vitæ miseriis & mundi exilio ad gaudium, quod utique sperare licet, transiit Angelorum? Exinde parentatum est, & publicâ Panegyri per Provinciam ad Confœderatos mors ejus delata, quæ cum insignis sit, juvat hic subdere.

„Momento vivimus mortales; & humana cuncta fumus, umbra, nihil: quod vix „ullus est, qui recogitet corde, nisi cum vixit, & jam tota cervicibus incumbit æter„nitas. Cæca mortalitas! aperi oculos tuos, & vide, ne fascinatio nugacitatis trans„vertat sensum tuum, ut momentaneo, quod delectat, merceris æternum, quod cru„ciat. Sapiens tanti pœnitere non emit: sed cuncta terrena desideria, quæ per discipli„næ cœlestis custodiam calcat, ut quamvis corpore terram inhabitet, corde tamen fixus „in cœlo est. Quis est hic? ut laudemus eum, absit invidia, veritas triumphet. Reve„rendissimus noster P. Ubaldus Mayr Præpositus, hic fuit ille Vir, cujus merita jam in „tuto posita securi magnificemus post consummationem, quando nec laudantes adula„tio movet, nec laudatum tentat elatio. Semper is quidem optavit secretum, & soli „Deo placere quærens mundi gloriam fastidivit, dignè tamen in memoriam vertitur ho„minum, qui dum viveret, omnibus ubique fuit exemplum bonorum operum in doctri„na, in integritate, in gravitate. Venit is propè Puer ad Monasterium nostrum, sed „nihil tam puerile gessit in opere suprà ætatem maturus, & in virtute constans, vixit „inter nos viginti tribus annis ita laudabiliter, ut ei merita sua, vota nostra bis Decani

„Personam imposuerint, & Magistri Novitiorum, quam etiam cum favore, laude, „plausu sustinuit omnibus incutiens blandum per pectora amorem tantâ dexteritate con- „temperatum, ut nec amor venerationem, nec reverentia diminueret charitatem, ma- „ximóque de ipso sperantium vota superaret. Quibus aliisque virtutibus & religiosæ „prudentiæ documentis evidentibus, summum inter nos dignitatis fastigium meritò con- „secutus est Electus Præpositus & Archi-Diaconus Garsensis die 14. Aprilis anno 1643. „Dignissimus Successor Petri Mittmann secundi post Fundatorem primarium Restaurato- „ris Monasterii: cujus regiminis vitæ, & disciplinæ formam sic expressit, ut præter an- „nos Petri nihil ampliùs in ipso desideraremus. Sed placens Deo factus est Dilectus in „ætatis vigore anno trigesimo nono nondum completo, cum annis quinque, tribúsque „mensibus Archi-Diaconalis Præpositurae ministerio, pedo mitráque cum curâ functus „esset, vitâ defunctus est Gemma Prælatorum Garsensium Ubaldus noster die 4. Mensis „Augusti currentis anni peregrinus & exul in Wöldenwarth ob communem patriæ deva- „stationem. Sacramentis omnibus præmuniri ritè, devotè petiit, sanctéque usus est, „nisi quòd antequam vocatus ad extremam Unctionem Sacerdos adesset, mors evocave- „rit ad æternæ vitæ præmia largientem. Ex Gars anno Christiano 1648. die 20. Decembr. Ita Panegyricæ litteræ funebres ad Confœderatos emissæ.

Non est extra hominum memoriam ponendum, quod succedentibus annis, quibus proximus in Prælaturâ Successor antiquam Ecclesiam Garsensem destruxit, & novam Basilicam inædificavit, præter spem accidit. Eo ipso die, quo antè annos undecim morte defunctus est Ubaldus iste Præpositus, apertum fuit sepulchrum illius die 4. Augusti 1662. ut & simul unà conditoria RR. Præsulum Petri & Michaëlis suprà dictorum, dein solemni ritu translata sunt ad novam Cryptam sub summo Altari paratam. Licet verò reliquorum duorum corpora Petri & Michaëlis omninò exesa fuerint reperta, in Reverendissimi tamen Ubaldi tumba, tam paramenta Pontificia reperta sunt salva, & recentia, quàm barba pœnè integra ac sat copiosa, caro absque fœtore, quantumvis dum funus tumulo injectum copiosissimè fuerit calce vivâ oblitum, quod non immeritò sapientes prodigii instar habuêre.

XLIV. Athanasius Peutlhauser Landishutanus Bòjus, recens à studiis Theologicis feliciter absolutis Ingolstadio domum avocatus, vix unius anni Sacerdos, & agens annum duodetrigesimum per summa viarum, imò magis vitæ discrimina plerumque nocturnis cœli facibus hinc inde Sueco Milite plusquam hostiliter grassante, tandem ad Cathedrale Chiemense Cœnobium appulit, ubi exules Canonici Garsenses fraterno amore à Chiemensibus recepti comitia acturi de novo Prælato eligendo convenerant; tandem die 14. Septembris festo Exaltationis S. Crucis, Commissariis tum Salisburgensibus, tum Monacensibus omninò præsentibus sors cecidit super Athanasium Juvenem, sed spei maximæ Religiosum, nec spes fefellit.

Competiores plures habuit binâ votantium vice; denique conventum inter Capitulares est, ut is Prælatus fieret, qui plurium vota etsi non Canonica, id est duas tertias, aut majora haberet: ac inde partim viâ Electionis, partim viâ Compromissionis anni hujus 1648. die 14. præfata mensis Septembris memoratus Reverendissimus Dominus Athanasius est electus.

In summis tum vertebatur Angustiis Monasterium Garsense. Hostes depopulantes terribiliter universa, nil reliquerunt, nisi domum omnimodâ spoliatione plenissimam, rebus omnibus vacuam & desolatam; horrea nec frumentum, cellæ vinariæ nec vinum continebant, abliguriebant omnia milites; jacebant prata, jacebant agri, susque deque versa & eversa omnia: pecunia ita deficiebat, ut nisi succurrisset rebus afflictis pientissimus & de Garsensibus meritissimus Præsul Chiemensis Reverendissimus ac Amplissimus Dominus Dominus Arsenius, sanè recens electus Garsensis ne quidem habuisset, unde Investituram solveret. Quæ mens tum fuerit novo Prælato, quisque facilè cogitaverit; major tamen omni calamitate, sortes suas omnes in benignissimum projecerit Numinis æterni sinum, qui & sperantem in se non derelinquebat, aut confundebat. Confirmatus est in Prælatum & Archi-Diaconum sub die 17. Octobris currentis anni Litteris publicis desuper expeditis, quarum integrum tenorem exhibeo.

„Nos Paris Dei Gratiâ Archi-Episcopus & Princeps Salisburgensis Sanctæ Sedis Apo- „stolicæ Legatus. &c. &c. Dilecto nobis in Christo Fratri Athanasio Peütlhauser „Conventuali & Sacerdoti Professo Monasterii Garsensis Ordinis S. Augustini Canoni- „corum Regularium nostræ Diœcesis gratiam & regularis observantiæ zelum. Inter re- „liquas curas & solicitudines, quæ nobis ex debito Pastoralis officii nostri maximè cor- „di & curæ esse debent, illa sanè præcipua ac maxima est, ut Ecclesiis ac Monasteriis

fidei

„fidei ac vigilantiæ nostræ commissis & subjectis, dum ea vacare contingit, debitè & „oportunè cum omni diligentia, cura & studio provideamus.

„Vacante itaque Præpositura Monasterii S. Radegundis in Gars Ord. S. Augustini „Canonicorum Regularium nostræ Diœcesis per obitum Ubaldi Mayr ejusdem Mona„sterii ultimi & immediati Præpositi, die etiam seu termino procedendi ad electionem „novi Præpositi adveniente, & ea nobis præfixo, omnes, qui de Jure interesse debue„runt legitimè citati & capitulariter congregati in præsentia nostrorum Commissariorum „ad actum Electionis specialiter deputatorum, præmissis omnibus & singulis, quæ „in hujusmodi actibus tam de jure quàm de consuetudine approbata adhiberi solent, Te „Fratrem Athanasium Peutlhauser Divino Numine aspirante in suum & Monasterii S. Ra„degundis in Gars Præpositum unanimi voto Conventuales Monasterii prædicti nomina„runt & elegerunt, prout ex publico & Authentico Electionis Instrumento desuper con„fecto & nobis exhibito plenius vidimus contineri. Rogantes nos humillimè quatenus „hujusmodi electionem canonicè factam gratiosè approbare & confirmare dignoremur.

„Nos igitur per Commissarios nostros ad hoc specialiter deputatos de & super Per„sonæ tuæ habilitate, sufficienti ætate, probitate, rerumque etiam Spiritualium quàm „temporalium regendarum prudentia, ac dexteritate satis informati præfatam Electio„nem de tua Persona factam authoritate nostra Ordinaria duximus esse approbandam „& confirmandam, prout tenore præsentium omni meliore modo, viâ, formâ, ac Ju„re, quo melius possumus & debemus, Te Athanasium Peutlhauser in sæpius præfatæ „Ecclesiæ S Radegundis & Monasterii in Gars Caput, Pastorem & Præpositum appro„bamus, & confirmamus, Teque per annuli Traditionem præmissa fidei Professione & „solito homagio per honorabilem & illustrem nobis in Christo sincere dilectum & fide„lem Guidobaldum de Thun &c. Metropoliticæ Ecclesiæ nostræ Decanum, Consilia„rium, & Consistorii nostri Ecclesiastici Præsidem &c. de eadem Monasterii Garsensis „Præpositura providemus & investimus, administrationem & regimen in spiritualibus & „temporalibus Monasterii ejusdem tibi plenariè committendo in Nomine Patris, & Filii, „& Spiritus sancti, Amen. Mandantes insuper Vobis Sub-Decano, Seniori, totius„que Conventui Officiariis, aliisque omnibus & singulis quomodocunque ad sæpè di„ctum Monasterium Garsense spectantibus in virtute S. Obedientiæ, quatenus memo„ratum Dilectum nobis in Christo Fratrem Athanasium Peutlhauser in vestrum Præposi„tum, Caput, Rectorem, & Pastorem recipiatis, eique debitum honorem & amorem, „reverentiam atque obedientiam præbeatis, præstetis & exhibeatis. Contradictores & „Rebelles quoscunque debitis censuris Ecclesiasticis compescendo. Harum testimonio „litterarum manùs propriæ subscriptione & sigilli nostri appensione munitarum. Datæ „in Metropoli nostra Salisburgo die 17. Mensis Octobris 1648.

Paris.

(L. S.)

Hæc Præpositi Confirmatio distincta est ab ejusdem Institutione, ut Archi-Diaconus est, cujus dignitas à quingentis licèt annis inseparabilis semper fuerit, ac etiamnum sit, à pauculis tamen annis sub Paride Archi-Episcopo specialiter data est semper tamen reservato Garsensibus jure & antiquissima consuetudine, qua quilibet Præpositus Garsensis eo ipso simul est Archi-Diaconus, si est & in Præpositum electus vi privilegiorum Apostolicæ sedis & dictæ consuetudinis. Unde irrefragabiliter Præpositus Garsensis dicitur & scribitur semper eo ipso etiam *Archi-Diaconus natus*: hujus tamen Commissionis patentes litteras in apertum producere æqui bonique consulo:

„Nos Paris Dei gratia Archi-Episcopus & Princeps Salisburgensis sanctæ sedis Apo„stolicæ Legatus &c. Universis & singulis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus loca „tenentibus, eorundem Vicariis, Capellanis, Clericis & Laicis quibuscunque ad Archi„Diaconatum nostrum in Gars quovis modo spectantibus salutem & Gratiam nostram.

„Cùm ratio officii nostri & Archi-Episcopalis dignitatis cura atque solicitudo ef„flagitet, ut ea, quæ ad fidem Catholicam propagandam, Ecclesiasticam disciplinam „conservandam, errorum correctionem, & defectuum emendationem spectant, Nobis „cordi maximè sint, & esse debeant. Idcirco ob nostræ Ecclesiæ Metropolitanæ Salis„burgensis amplitudinem variis in locis à Prædecessoribus nostris diversi Archi Diaconi „per Archi-Diœcesin nostram sunt constituti, qui officio Archi-Diaconali ex causis „ad illud vel de Jure quàm antiqua consuetudine spectantibus servato juris ordine debitè „ac legitimè præsint. Quapropter vacante officio dicti nostri Archi-Diaconatus in Gars „per obitum Ubaldi Mayr ultimi & immediati Præpositi & Archi-Diaconi dilecto nobis

„in Christo Fratri Athanasio Peutlhauser confirmato Præposito in Gars, illud ipsum Ar-„chidiaconale munus & officium duximus esse committendum, prout committimus per „præsentes. Mandantes igitur omnibus & singulis Vobis supradictis & cuilibet vestrum „in virtute S. Obedientiæ firmiter & districtè præcipientes, quatenus dicto Fratri Atha-„nasio Peutlhauser Præposito in Gars tanquam Archi-Diacono nostro in omnibus ad „Officium suum de Jure seu consuetudine spectantibus debitam reverentiam & obedien-„tiam exhibeatis: Contradictores verò & rebelles quoscunque debitis censuris Eccle-„siasticis compescendo. Admonentes interea prædictum Archidiaconum nostrum, & in „Domino hortantes, quatenus pro recta officii sui functione & administratione SS. Ca-„nones, SS. Concilii Tridentini Decreta, Constitutiones nostras Synodales, & nostræ Visitationis generalia statuta noviter edita quàm studiosissimè attendat, & observet, in „rebus etiam gravioribus Nos aut Venerabile Consistorium nostrum Salisburgense sem-„per consulat. Harum testimonio litterarum manûs propriæ subscriptione & sigilli no-„stri appensione munitarum. Datæ in Metropoli nostra Salisburgo die septima mensis „Octobris anno Domini Millesimo Sexcentesimo quadragesimo octavo.

Paris.

Insigne me hercle Ordinis decoramentum est Garsensis hic Archi-Diaconatus, proprium suum habens Consistorium, à quo Appellationi locus est ad Consistorium Metropoliticum, prout ab inferioribus Episcopatibus primariæ Sedi Provinciali Salisburgensi subjectis, eò quoque appellatur, & in quo omnigenæ causæ Ecclesiasticæ ventilantur, deciduntur, definiuntur tam criminales quàm Ecclesiastico-civiles, amplissimumque habet Districtum. Quod ut magis pateat in medium proferam ejus amplitudinem ac subjecta loca.

Caput omnium Ecclesiarum subjectarum est ipsa Basilica Garsensis, quæ sibi annexas habet Ecclesiam S. Petri in Cœmiterio S. Udalrici sesqui quadrante distantem. S. Andreæ in Thal. S. Petri in Seon nullius Diœcesis, adeóque illam omninò exemptam tam à Metropolita Salisburgensi, quàm etiam ab Episcopo Frisingensi: in cujus agro aliàs hæc Ecclesia sita est: item Parochialis S. Georgii in Wang, & S. Ægydii in Reüth cum filiali S. Elisabethæ. Cæterum Prælatitia & Archidiaconalis Ecclesia Garsensis numerat communicantes tempore Paschali plus mille, Wangensis verò Parochialis antedicta circiter quingentos.

II. Ecclesia Parochialis Canonica Augiensis Ordinis nostri, in qua singulis annis numerantur communicantes plus minùs quadringenti. Habet sibi annexam Ecclesiam S. Nicolai in Cœmiterio S. Petri in Monte: S. Michaelis Archangeli in Mitterngars, quæ proprium habet Cœmiterium & numerat Communicantes circiter quadringentos, ac denique SS. Victoris & Coronæ in Zächenheim.

III. Parochialis ad S. Vitum in paris nominis seu tituli Monasterio Benedictino. Huic Ecclesiæ annexæ sunt S. Joannis Baptistæ in Oppido Neumarchkt appellato: S. Laurentii in prato Monasterii B. Mariæ Virginis in Elsenbach. B. Mariæ Virginis Einsidlensis Teisingæ. S. Georgii in Castro ibidem: B. Mariæ Virginis Inningensis: S. Lamperti Lamprechtingensis: S. Martini Gräffingensis: S. Martini Veichtensis: S. Jacobi Apostoli Hörberingensis numerat universim communicantes 2400.

IV. Parochialis SS. Apostolorum Philippi & Jacobi veteris Oettingæ Præposituræ incorporata, & vulgò *Dorff Pfarr* nuncupata, quæ sibi annexas habet notissimam B. Mariæ Virg. Capellam peregrinantium votis toto Orbe Christiano celeberrimam, sed exemptam ab omni jurisdictione Archidiaconali: item S. Joannis Evangelistæ Neu Kirchii, quæ Parochialia jura habet, diciturque vulgò *Wald Pfarr*, ac numerat communicantes supra mille ferè nongentos. S. Castuli: S. Georgii ad S. Spiritum in Hospitali: habet Oettingana Parochia Communicantes 800.

V. Parochialis S. Nicolai in civitate Neo-Oettingana, quæ numerat circiter 1300. Communicantes. Habet annexas sibi Ecclesias ad S. Spiritum in Hospitali. S. Annæ ad ædes pauperum dictas: S. Sebastiani in Cœmiterio novo. S. Michaëlis extra muros.

VI. Parochialis S. Nicolai in civitate Mühldorffensi, quæ sibi annexas habet Ecclesias ad S. Spiritum in Hospitali. B. Mariæ Virginis in plateâ vulgò *Auf dem Plaz*. S. Joannis Apostoli, S. Catharinæ. SS. Quatuordecim Auxiliatorum extra muros, atque hæc Parochialis centenis aliquot annis subjecta erat Juri Archi-Diaconali, sed postquam

ab

ab Archi-Episcopo Salisburgensi Wolgango Theoderico in Collegiatam fuit evecta proprio facto eam cum annexis omnibus Capellis & Ecclesiis à Jure Archidiaconali exemit quoad jus visitandi, & Synodalem Comparitionem, quoad forum autem contentiosum adhuc tota civitas subjecta manet Archi-Diacono Garsensi. Hic Archi-Episcopus Berchtoldsgadensis quoque Ducalis Canoniæ jura & immunitates armata manu diripere connitens, ob hæc & alia mala captus est Sede Apostolica specialiter concedente à Serenissimo Duce Bavariæ Maximiliano, & post quinquennium captivitatis fortiter exantlatum in custodia, quam in arce Salisburgensi sustinere coactus erat, terrestrem mortalitatem simul & miseriam exutus die 16. Jan. 1617.

VII. Parochialis S. Laurentii Martyris Alten-Mühldorff annexam habet filialem Ecclesiam S. Salvatoris in Eggsperg dictam ob incorporationem cum Collegiata Müldorffensi antedicta pariter via facti non juris ab Archidiaconi jure exempta est, cui tamen territorium quoad causas forenses etiamnum subjectum manet. Exemptiones hæ factæ sunt circa annum 1606. sub Reverendissimo Præposito & Archi-Diacono nato Michaële Wagnereckio. Eggerspergensis verò licèt multùm reluctando sub moderno Reverendissimo Præsule Athanasio anno 1656.

VIII. Parochialis Alzgernensis B. Mariæ Virginis, cujus Patronus est Præpositus Oettinganus, habet mille communicantes; subjiciuntur illi filiales in Obern-Eschlbach, & Nidern-Eschlbach. Item S. Petri in Mittershausen, & S. Nicolai in Mödling.

IX. Ampfingensis Parochialis S. Margarithæ Virginis & Martyris Augiensi Canoniæ incorporata habet Communicantes circiter 1500. plus minùs pro annorum diversitate. Hujus filiales sunt Sacellum B. Mariæ Virg. in Cæmiterio. S. Joannis Baptistæ in Wimpasing. S. Ruperti in Ober-Höldenstein. S. Petri in Weidenpach. S. N. In Kirchprunn. S. Joannis Evangelistæ Haigerlochii. SS. Petri & Pauli Palmbergæ.

X. Parochialis Burgkirchensis S. Ruperti habet Communicantes supra mille ferè nongentos. Hujus Patronus est Præpositus Oettinganus. Filiales habet Ecclesiam S. Stephani Maurbergæ. S. Petri in Obermosen, S. Petri in Undermosen. Cænæ Domini Heiligenstadii. S. Joannis Baptistæ Deiffingæ. S. Georgii Eharingæ. S. Joannis Baptistæ Tislingæ in castro.

XI. Parochialis S. Joannis Baptistæ Ensdorffensis habet Communicantes suprà sexcentos. Filiales illius sunt S. Michaëlis Frauendorffii. S. Viti Guettenbergii. Transfigurationis Domini in Castro Guettenburgico. S. Georgii in Monte.

XII. Parochialis SS. Petri & Pauli Erhardingensis habet Communicantes circiter 900. Filiales illius sunt S. Chiliani Tampersperga. S. Stephani in Friexing. S. Joannis Baptistæ in Deging. S. Udalrici Dornbergæ.

XIII. Parochialis S. Ruperti Eybergensis habet Communicantes ferè ducentos, nullam verò aliam Ecclesiam filialem sibi subditam aut annexam.

XIV. Parochialis Flossingensis S. Joannis Baptistæ habet Communicantes supra mille. Filiales annexas habet B. Mariæ Virginis Pollingæ. S. Leonardi Grienbachii. Crucifixi D. N. in Perckheimb. S. Margarithæ in Obernneukirchen. S. Annæ ad fontes salubribus aquis celebres.

XV. Parochialis S. Georgii in Gern habet Communicantes plùs minùs ducentos, & annexam sibi Ecclesiam S. Sebastiani extra muros oppidi Eggenfeldensis.

XVI. Parochialis Hirshornensis S. Ruperti habet Communicantes ferè duo mille, filiales verò Ecclesias S. Joannis Baptistæ in Mitterskirchen. S. Andreæ in Oppido Wurmansquik dicto, S. Udalrici Leitenbachii. S. Georgii Ærbingæ, S. Colomanni in Henthal. S. Annæ propè Matricem Ecclesiam.

XVII. Parochialis B. M. V. in Holzhausen habet Communicantes centum & ultrà, nullam verò sibi annexam Ecclesiam filialem.

XVIII. Parochialis Läferingensis aliàs S. Jacobi Apostoli Taufkirchensis in nemore, habet Communicantes ferè bis millenos, filiales verò annexas S. Bartholomæi in Crayburg Oppido. S. Catharinæ ibidem. S. Maximiliani in Nideren-Crayburg, alias Maxlon dicto. B. M. V. Piettenbergæ. S. Valentini Mart. Pöttenhaimii peregrinantium votis celeberrimi. S. Georgii Sonheimii. S. Ægydii in Kolbern.

XIX. Parochialis B. Virg. Mariæ Latterbacensis Monasterio Seonensi Ord. S. Benedicti incorporata habet Communicantes centum & ultrà, nullam filialem.

XX. Parochialis B. Mariæ Virg. Lockürchensis habet Communicantes plus mille. Filiales illius sunt S. Udalrici in Vocking: SS. Joannis Baptistæ & Evangelistæ in Salberskirchen: S. Erasmi in Zanberg. S. Georgii in Weykirchen. S. Nicolai in Eberharting.

XXI. Parochialis S. Martini in Fraheimb Canoniæ Augiensi incorporata. Habet Communicantes plus mille. Filiales illius sunt Aschav B. V. Mariæ. Ellach S. Viti. Neupam S. Erasmi. S. Petri in Valle. Sacellum in castro Haslacensi.

XXII. Parochialis S. Michaëlis in Metterheimb, habet Communicantes circiter nongentos. Hujus filiales sunt B. Mariæ Virg. in Mösling. S. Ruperti in Neufarn. S. Martini Ebingæ.

XXIII. Parochialis S. Blasii Ep. & Mart. Nidernbergkirchensis Benedictino Cœnobio Rotenhaslacensi incorporata, habet Communicantes suprà mille, & unam solùm filialem Ecclesiam S. Ruperti Gumandenkirchii.

XXIV. Parochialis Niderendietfurdensis habet Communicantes circiter mille ducentes. Filiales illius sunt Neukirchensis S. Laurentii: Neuaichensis S. Salvatoris Hoffacensis S. Jacobi: Hindern Aichensis B. Mariæ Virg. Geratskirchensis S. Martini. Zwetspergensis S. Joannis Evangelistæ. Matricis Ecclesiæ principalis Patrona est B. Virgo Maria Dei Genitrix.

XXV. Parochialis Nidern Tauffkirchensis divo Martino dicata habet Communicantes circiter nongentos. Filiales annexæ sunt B. M. Virginis in Haunertsholzen. S. Ægydii in Roslach. S. Michaëlis Heilspergæ. S. Leonardi in Leoprechting ad S. Spiritum.

XXVI. Parochialis Obernbergkirchensis ad SS. Bartholomæum & Martinum, habet Communicantes circiter mille quadringentos. Filiales annexæ sunt SS. Ruperti & Udalrici in Wurmsheimb: SS. Petri & Andreæ in Seifridswörth. S. Joannis Baptistæ in Aspertshaimb. SS Joannis & Pauli Martyrum in Cæmiterio.

XXVII. Parochialis Oberntauffkirchensis prope castrum Schwindegg habet Communicantes mille & ultrà. Filiales sunt Frauen Ornav B. Mariæ Virg. Stainkirchensis S. Udalrici. Pfaffenkirchensis S. Stephani. Kirchkagensis S. Petri. Reibelstorffensis S. Nicolai. S Joannis Baptistæ in Rottenbuech. S. Margarithæ in Griengiebing. Sacellum S. Cajetani in Cæmiterio Matricis.

XXVIII. Parochialis B. M. V. Peracensis Oetinganæ Præposituræ incorporata habet Communicantes circiter 200. & filialem S. Andreæ.

XXIX. Parochialis S. Nicolai Pleiskirchensis habet Communicantes mille & ultrà. Filiales illius sunt Nonberg B. M. V. Georgenberg S. M. V. Sarsbach SS. Philippi & Jacobi. Buechpach S. Joannis Bapt. Margstbuech S. Ruperti. S. Mariæ Magdalenæ in castro Clebing. Heibelberg S. Spiritus.

XXX. Parochialis Puechbachensis S. Jacobi Apostoli habet Communicantes circiter mille ducentos. Filiales verò annexas B, M. Virginis in Steeg. S. Joannis Baptistæ in Lizelkirchen. SS. Felicitatis Mart. & Leonardi Conf. in Felizenzell. S Georgii Mart. in Wörth. B. M. Virg. in Walckersaich. S. Martini in Zebnbruck. B. M. V. ad Fontem sacrum aquis salutiferis olim celebrem.

XXXI. Parochialis Rättenkirchensis B. M. V. habet Communicantes suprà quingentos. Filiales sunt S. Joan. Bapt. in Römering. S. Nicolai Geppinhaimii *am Wasen* dicta. S Floriani in nemore.

XXXII. Parochialis S. Martini Ep. in Reisach habet Communicantes suprà mille. Filiales ejus ejus sunt S. Leonardi in Steinhausen. S. Stephani in Eggin. S. Colomanni Haunbergæ. S. Viti in monte. S. Sebastiani Westendorffii. Capella S. Antonii de Padua extrà pagum votis peregrinantium celeberrima. S. Michaëlis in Endlkirchen.

XXXIII. Parochialis S. Stephani Reithensis habet Communicantes circiter 600. Filiales verò S. Joan. Bapt. Nöpplingæ. S. Salvatoris Edermaningæ.

XXXIV. Parochialis Rogglfingensis B. M. V. Præposituræ Oetinganæ incorporata habet Communicantes circiter 500. Filialem verò S. Martini in Martinskirchen.

XXXV. Parochialis Schönpergensis S. Michaëlis Archangeli, habet Communicantes circiter 800. Filiales S. Joan. Bapt. in Haunzenbergerzöll. S. Michaëlis in Sylva vulgò Hölzl: S. Stephani Weinbachii. S. Georgii in Elwichting.

XXXVI. Parochialis S. Laurentii M. in Stamhamb, habet Communicantes ferè 1200. Filiales sunt S. Oswaldi in oppido Märchtl dicto. S. Bartholomæi Julpachii. B. M. V. in Länhofen. S. Albani M. in Taubenpach votis peregrinantium celeberrima.

XXXVII. Parochialis Winhöringensis SS. Apostolorum Petri & Pauli habet Communicantes circiter 1200. Filiales annexæ sunt SS. Trium Regum in Castro. S. Bartholomæi in Burgfridt. B. Mariæ Virg. Feldskirchii. S. Colomanni in Singrien.

XXXVIII. Parochialis S. Stephani in Stephanskirchen incorporata Ecclesiæ ac Monasterio Garsensi, habetCommunicantes plùs minùs 400. Filialis hujus est Ecclesia B Mariæ Virg. in Ranoldzberg peregrinorum adventantium concursu in Festis Marianis satis celebris; habet insuper Filialis ista Jura Parochialia, & Communicantes circiter 600. est inter celeberrimas totius Archidaconatûs.

XXXIX. Parochialis Pürthensis ad B. Virginem olim Monasterio Garsensi propria, tum (ut suprà dictum est) cum Parochia Stephanskirchen antedicta de speciali indulto Summi Pontificis commutata. Est locus adventantium peregrinorum concursu celebris, præsertim ob librum Evangeliorum Quatuor Evangelistarum, & S. Altæ, quæ Regina fuisse perhibetur, sepulchro, habet Communicantes ultrà 100, & Sacellum S. Joannis Evangelistæ in Cæmeterio.

XL. Parochialis B. Mariæ Virg. Assumptæ in Reichersbaim Cœnobio Augiensi incorporata habet Communicantes circiter 800. Filiales unitas Kirchtambach S. Georgii M. Ornau S. Andreæ Apostoli. Riepach S. Ruperti. Hoffgiebing SS. Joannis Bapt. & Evangelistæ.

XLI. Parochialis S. Martini in Zeidlorn habet Communicantes circiter 1200. Filiales illius sunt S. Leonardi Conf. Liebenberg, aliis Leonberg, & Lemberg. Gersdorff S. Sebastiani. Gumperstorff S. Ruperti. Erlpach SS. Petri & Pauli. Pirnbach SS. Floriani & Nicolai. Schilthorn B. V. Mariæ & trium Virginum Ainbet Warbet, & Vilbet. Atque Ecclesia valdè celebris est peregrinorum adventu, ac cum primis puerperarum, unde multas ibi cernere cunas est, non solùm ex cera & ligno, sed & argento complures, quas inter eminent à Principe fæminâ oblatæ cum infante ex probato argento cunis usualibus secundum magnitudinem suam simillima.

XLII. Parochialis S. Michaëlis Archangeli habet Communicantes propè 1000. Filiales illius sunt SS. Petri & Pauli Apostolorum in Oppido Thon. S. Leonardi Conf. in Simhartsegg.

His adductis reperiuntur in Archi-Diaconatu Garsensi Parochiales Ecclesiæ minimùm 42. quæ unâ alterave demptâ omnes hodiedum Jurisdictioni Archidiaconali parent, Filiales verò 170. Summa ducentæ duodecim.

Præter recensitas paræciales Ecclesias sunt etiam aliæ quædam inter Filiales insignibus Beneficiis instructæ, quæ proprios habent Sacerdotes, qui cum Parochis suis quovis anno Synodum Archidiaconalem frequentare tenentur. Sunt autem hujusmodi Beneficia, quæ sequuntur.

I. Altersheimense B. M. V. & Frauen-Ornau.
II. Aspertsheimense S. Joan. Baptistæ.
III. Crayburgense S. Bartholomæi.
IV. Crayburgense S. Sebastiani.
V. Egspergense S. Salvatoris.
VI. Ellach S. Viti Martyris.
VII. Friexingense S. Stephani.
VIII. Heiligenstadt S. Salvatoris.
IX. Marchtl S. Oswaldi.
X. Mitterskirchen S. Joannis Baptistæ.
XI. Neoforense S. Joannis Baptistæ.
XII. Oberndauffkirchense S. Michaëlis Archangeli.

XIII. Oberntauffkirchense S. Catharinæ Virg. & Mart.
XIV. Pollingense Beatæ Mariæ Virg.
XV. Ranoldspergense B. Mariæ Virg.
XVI. Salbernkirchense B. Mariæ Virginis.
XVII. Schwindeggense B. Mariæ Vig. in castro.
XVIII. Steeg B. Mariæ Virginis.
XIX. Taubenbach S. Alani Martyris.
XX. Teissense B. Mariæ, Vulgo Einsidlen.

Et hæc quidem de Archi Diaconatu Garsensi juxta modernum statum constituto sufficiant.

Nunc ad Reverendissimum Præsulem Athanasium redeamus, & ad talem, qui omnes suas curas diurnas & nocturnas in sui (cujus clavum suscepit) Monasterii majus incrementum intendit cumprimis, ut redigeret in novam formam ædificia vetusta, & novis etiam juribus ac privilegiis ornaret ac communiret; quod utrumque suprà spem & fidem pænè perfecit, enimverò Monasterium antiquum satis angustum, ruinosum, & obsoletum in tantum evexit splendorem & majestatem, ut inter Nobilissima Bojariæ Collegia meritò connumeretur. Nova fecit omnia & antiqua eatenùs destruxit, ut nec lapis manserit super lapidem de prisco priori Monasterio. Sic loquuntur & suopte testimonio contestantur, ac demonstrant insigne Claustrum Canonicum, Musæum, Dormitorium, Refectorium, Officinæ, Bibliotheca, Infirmarium, Mansiones hospitum, Seminarium studentium Adolescentulorum ac cumprimis ipsa Archidiaconalis Basilica. His omnibus initium dedit anno 1657. 1. Aprilis die, tum D. Ruperto Bojorum Apostolo & primo Salisburgensium Archi-Episcopo Festiva, qua primum lapidem in Pontificalibus solemniter posuit formata priùs ponderosa satis exhortatione & explicata simul intentione in solius Dei Divûmque gloria & bono Monasterii fundata, præsentibus præter Canonicos Domesticos, spectatissimis Hospitibus quamplurimis. Tenues erant pecuniæ quibuscum rem tam operosam Præsul inchoârat, ut quasi desperarent omnes, metuerentque vulgatum illud dicterium, *cæpit ædificare & non potuit consummare.* Subvenit tamen egenti Benedictio Domini, cujus ope totum Monasterium è Fundamentis erectum tam est feliciter, ut nec victus eapropter fuerit imminutus interim, neque æs alienum ullo modo contractum, quæ quidem de multis, & quidem ditissimis speres Monasteriis. Anno 1659. mense Majo felici fato novam Clausuræ fabricam & Religiosa contubernia inhabitare cæperunt Canonici. Dignum sanè est admiratione & memoriâ perenni, nocturno tempore, dum prima quadri pars fuit extructa, clarissimè à pluribus Domicellis Religiosis animadversum esse quasi nescio quales adessent operarii, quorum strepitus manifestè fuerunt auditi, ceu lapides comportarent, & malleis conquadrarent.

Insuper in novis Canonicorum cubilibus suprema & tertia contignatione constructis, clara sunt visa lumina per cubicula hinc inde dispersa, cùm tamen nemo hominum adhuc inhabitaret, vel etiam inhabitare potuisset, quæ utique felicia satis fuerunt omina, & sic demonstravit eventus in omnibus aliis Garsensibus ædificiis brevi temporis spatio plenariè perfectis & absolutis.

Anno 1668. ad instantiam Reverendissimi ac Amplissimi Domini Domini Athanasii Præpositi Garsensis quævis jura ac privilegia Lateranensibus Canonicis concessa, Garsensibus etiam fuerunt concessa, bonorum operum participatione simul superaddita, sequentium tenore.

„Nos D. Joannes Franciscus Blavius Papiensis Abbas Generalis totius Ordinis Ca-„nonicorum Lateranensium Reverendissimo Præposito in Gars Diœcesis Salisburgensis, „ejusdemque Canonicis præsentibus & futuris dilectis salutem in Domino &c. Etsi uni-„versis Christi fidelibus à nobis sint spiritualia beneficia communicanda, in illos tamen „ex debito gratitudinis tenemur esse propensiores, qui Congregationem nostram præci-„puo devotionis studio prosequuntur, & quos Spiritualis dilectionis prærogativa, Pro-„fessionisque paritas meritis cumulat amplioribus &c. Propterea vestrum devotionis „affectum, animique pium studium in Congregationem nostram intuentes, Vos in Com-„munionem Indulgentiarum, Indultorum, Privilegiorum & Concessorum, quibus Ab-„bates & Cononici nostri utuntur, potiuntur, & gaudent, libenti animo admittimus, & „in Fratres nostros recipimus, Vobisque ex nunc Orationum, missarum, divinorum of-„ficiorum, jejuniorum, peregrinationum, spiritualium exercitiorum, bonorumque „omnium, quæ divina Clementia per nostras Congregationis utiusque sexus Religiosas „personas præsentes & futuras ubique terrarum dignabitur operari, participationem, ha-„rum serie gratiosè concedimus, & elargimur; Monasteriumque vestrum tanquam ipsius „Con-

„Congregationis noſtræ Germanum ac de gremio Vos tanquam Confratres agnoſcimus „& adoptamus. Vos verò, quò uberrioribus ejus noſtræ Congregationis meritis, fru„ctibúsque ſpiritualibus potiamini, hortamur in Domino, ut eadem ad ſui conſervatio„nem & incrementum apud Deum veſtris precibus adjuvetur. In quorum fidem præ„ſentes fieri, & ſigilli, quo in talibus utimur, juſſimus appenſione muniri. Datum in „Monaſterio noſtrò S. Petri in Cœlo aureo Papienſi, anno Domini milleſimo ſexcente„ſimo ſexageſimo octavo die 16. Octobris, Pontificatus verò Sanctiſſimi in Chriſto Pa„tris & Domini noſtri Clementis divinâ providentiâ Papæ IX. anno ejusdem ſecundo.

(L.S.)

D. Franciſcus Blavius Abbas generalis.
D. Carolus Leva Papienſis Secretarius.

Anno 1669. ad ulteriorem inſtantiam ejusdem Reverendiſſimi Domini Athanaſii Præpoſiti, & Venerabilis Capituli Garſenſis Clemens Papa IX. Communionem Privilegiorum, ac Indultorum Lateranenſium Garſenſibus factam pro majori pondere & confirmatione perenniter permanſurâ de novo ſtabilivit per proprium quoddam Breve Apoſtolicum, quod cum maximorum virium ſit, integrum illius Tenorem ex Authographo deſumptum hîc damus, ut ſequitur.

„Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. &c. Sedis „Apoſtolicæ circumſpecta benignitas piis Chriſti fidelium quorumlibet præſertim ſub „ſuavi Religionis jugo altiſſimo famulantium deſideriis conſuevit favorabiliter annuere, „ac illos in his potiſſimum, quæ Exemptiones privilegiorum, conceſſiones & indulta „concernunt libenter expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum modernorum Præ„poſiti Monaſterii S. Mariæ in Gars Congregationis Canonicorum Regularium Latera„nenſium Salisburgenſis Diœceſis, ejusque Canonicorum Regularium petitio contine„bat; quòd nuper dilectus filius Joannes Franciſcus Blavius modernus Abbas Generalis „totius prædictæ Congregationis, à quo licèt univerſis Chriſti fidelibus Spiritualia bene„ficia communicanda eſſent, in illos tamen ex debito gratitudinis, qui dictam congre„gationem præcipuo devotionis ſtudio proſequuntur, & quos Spiritualis dilectionis „prærogativa profeſſioniſque paritas meritis cumulat amplioribus propenſiorem ſe de„monſtrare volens pio devotionis & charitatis zelo ductus & devotionis affectum ani„míque pium ſtudium Præpoſiti & Canonicorum prædictorum intuens, prædictos Præpo„ſitum & Canonicos in communionem omnium Indulgentiarum, Indultorum, Privile„giorum, & Conceſſionum, quibus Abbates & Canonici dictæ Congregationis utuntur, „potiuntur, & gaudent, libenti animo vigore Indulti ſibi authoritate Apoſtolicâ con„ceſſi admiſit, & in ſuos fratres recepit, ipſisque ex nunc Orationum, Miſſarum, di„vinorum Officiorum, jejuniorum, peregrinationum, Spiritualium exercitiorum, bo„norúmque omnium, quæ Divina Clementia per ejus Congregationis hujusmodi utrius„que ſexus Religioſas Perſonas nunc & de præſenti exiſtentes, & futuras ubique terra„rum dignabitur operari, participationem per modum communicationis conceſſit, & „elargitus fuit, dictúmque Monaſterium tanquam dictæ Congregationis germanum ac „de gremio, dictósque Præpoſitum & Canonicos tanquam Confratres agnovit & adopta„vit, prout in litteris patentibus ſuper præmiſſis expeditis pleniùs dicitur contineri. „Cùm autem ſicut eadem petitio continebat, quæ Sedis Apoſtolicæ munimine roboran„tur firmiùs ſubſiſtere ſoleant, quare pro parte Præpoſiti & Canonicorum prædictorum „nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenùs eis præmiſſis oportunè providere, & ſpe„cialem gratiam facere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur, qui Mona„ſteriorum quorumlibet ac in eis Monaſticæ vitæ diſciplinam profitentium perſonarum „ſucceſſum, diviníque cultûs & Religionis cònſervationem ſinceris deſideramus affecti„bus dicti Monaſterii ſingulas perſonas à quibusvis Excommunicationis, ſuſpenſionis, „interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occa„ſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſen„tium tantùm conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, nec „non litterarum patentium hujusmodi tenores etiam veriores præmiſſis tamen minimè „contrarios, ac dotis præſentibus pro expreſſis habentes hujusmodi Supplicationibus in„clinati ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Ec„cleſiæ Cardinalium ſuper negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium Præ„poſitorum conceſſionem ac patentes litteras hujusmodi, & in eis contenta quæcunque, „dummodò tamen ſint in uſu, & non revocata, ſeu ſub aliquibus revocationibus com-

„prehensa à sacris Canonibus & Concilii Tridentini Decretis non adversantur Apostoli-„câ authoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus & approbamus, illísque per-„petuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam „Juris quàm facti etiam substantiales defectus, siqui quomodolibet intervenerint, in „eisdem dictâ authoritate supplemus, decernentes de subreptionis vel obreptionis vitio „notari non debere, dictósque Præpositum & Canonicos desuper contra præsentium „tenorem sub quovis prætextu & causa defectu intentionis nostræ per quoscunque quo-„modolibet indebitè molestari non posse, neque debere, sicque per quoscunque Judi-„ces, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores & Sedis Apostolicæ Legatos ac etiam „S. R. E. Cardinales judicari & definiri non debere irritum & inane quidquid secùs su-„per his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non „obstantibus constitutionibus Apostolicis, nec non Ordinis & Congregationis Monasterii „hujusmodi etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ robo-„ratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis & litteris Apostolicis, illi „illiusque Præsulibus & illarum Personis, quibus omnibus etiamsi de illis latissimè exten-„dendis hac vice duntaxat harum serie specialiter & expresse derogamus contrariis qui-„buscunque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis „confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, defectuum suppletionis, Decreti, „& Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hæc atten-„tare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apo-„stolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnatio-„nis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo nono. Quarto nonas Aprilis. Pon-„tificatus nostri anno secundo.

(L.S.)

Innocentius de Laurentiis.

Anno 1671. Idem Athanasius Præpositus ad magis illustrandam Ecclesiam suam Garsensem demississimè supplicavit Sanctæ Sedi Apostolicæ pro sacro quodam Corpore clementissimè donando, quale & impetravit, illúdque è Cœmiterio S. Priscillæ extractum gratiosissimè misit Reverendissimus ac Eminentissimus Princeps Dominus D. Pallutius Cardinalis Alterius cum publicis litteris taliter exaratis: Pallutius tit. SS. 12. Apostolorum S. R. E. Cardinalis de Alteriis S. D. N. Papæ (Clementis X.) Vicarius Generalis, & in almâ Urbe, ejúsque districtu Judex Ordinarius. &c. Universis & singulis præsentes nostras litteras inspecturis fidem facimus & attestamur, quòd Nos ad majorem Omnipotentis Dei gloriam suorúmque sanctorum venerationem dono dedimus Reverendissimo Patri Athanasio Præposito de Gars Ord. Can. Reg. S. Augustini corpus S. Christi Martyris FELICIS cum vase fracto sanguinis per Nos de mandato S. D. N. Papæ ex Cœmiterio Priscillæ extractum, quod in capsulâ ligneâ rubei coloris cum filo aureo depicta benè clausa, & funiculo serico coloris rubei colligata, & sigillo nostro signata supradicto Reverendissimo Patri Athanasio Præposito de Gars &c. consignavimus, eidémque ut prædictum sacrum Corpus apud se retinere, aliis donare, extrà Urbem transmittere & in quacunque Ecclesia, Oratorio, aut Capellâ publicæ fidelium Venerationi exponere & collocare valeat, in Domino facultatem concessimus. In quorum fidem has litteras testimoniales manu nostrâ subscriptas & nostro sigillo firmatas fieri mandavimus. Romæ ex ædibus Nostris die vigesima prima mensis Julii anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo.

(L.S.)

P. Cardinalis de Alteriis Vicarius.
Ludovicus Abbas Piccinus Secretarius.

Ab hoc proin tempore sanctus iste Christi Martyr & gloriosus Athleta FELIX quasi continuis inclarescit prodigiis in salutem populorum multifariam hactenus editis, quæ (unà cum solemnissima Translatione) peculiari cuidam libro prolixè satis inscripsit nobilissimus venerabilis memoriæ loci Decanus Plurimùm Reverendus Religiosissimus ac Clarissimus Dominus Joannes Chrysostomus Hager SS. Theologiæ ac J. U. Licentiatus, temporibus suis in Horizonte nostro Germano-Canonico-Augustiniano stella primæ magnitudinis, integerrimus Canonici Ordinis Zelotes, Questor animarum avidissimus, ob summam rerum gerendarum peritiam authoritate Ordinariâ cum Charactere Commissarii

sarii Archi-Episcopalis ad visitanda sequioris etiam sexûs Ordinis Monasteria destinatus, cui modò vel per exiles preces nostras & sacrificia quotidiana jugiter benè sit in felicitate & beatitudine æternâ.

Cæterùm jam sæpè laudatus Athanasius iste magni sanè nominis Præsul Garsensis, Patriâ Landishutanus à nativitate suâ Puer ingeniosus & optimam sortitus animam adhuc in Juvenili ætate constitutus inter Garsenses Ascetam Canonico-Augustinianum Professus exinde per omnes altiorum facultatum Classes tum Dilingæ Philosophiæ ac SS. Theologiæ, tum Ingolstadii Juris utriusque summâ cum laude sibi apparavit gradum ad Clavum & clavem Prælaturæ Garsensis, quod factum est anno Christiano 1648. ipso Dominicæ Crucis Exaltationis festo, qui idem Neo-Præsul mox altero à suscepto regimine anno in Cathedrali Chiemensi Ecclesia (Garsensi propriâ id temporis à Bellonâ Gallo-Sueciâ hostiliter infesâ) mitrâ Præsulari de more solemni decoratus seu juxtà simul in Cruce Prælaturæ taliter vel invitus exaltatus in eâ suspensus mansit integrô sæculi unius dimidio, ex eo factus non solùm Sacerdos Jubilæus, sed etiam memorando sanè de raris contingentibus exemplo Præsul & Archi-Diaconus Jubilæus; qui perdurante, tam longævo temporis tanti decursu inter tot rerum vicissitudines & plurimarum procellas adversitatum, laborésque penè immensos generoso animo suo tamdiu pervivere quasi ad ad immortalitatem natus *Athanasius* firmissimè constitit, quippe qui magna hercle, imò maxima nova fecit omnia, ut ne quidem lapis manserit super lapidem de priori & antiquo Garsensi ædificio tam felici sydere extruens novum, ut inter nobiliora Provinciæ Collegia meritò recenseatur istud, & si novo decore suo non primum, nulli tamen eorum postponendum, relictis inde debitis planè nullis. Plus ultrà Dignissimus Antistes Athanasius Basilicam suam Marianam sanè præstantissimam, ne quid splendoris deesset, sacris (uti jam supradictum) exuviis Felicis, qui de septem S. Felicitatis Martyris filiis sexto Idus Julii fastis Ecclesiasticis adscriptis unus est, integrô corpore ex Almâ Urbe haud sine maximis impendiis allato, atque isthic splendidius collocato, illustravit. Basilicæ antedictæ (quæ caput est ducentarum & triginta Ecclesiarum publicarum) alterum etiam adjunxit templum Principi Apostolorum Divo Petro primævo Garsensium Tutelari novum & opere venusto studiosè satis inædificatum. Et hæc ejus erant Molimina, ut si monumenta librorum tacerent, lapides non silerent ejus decora. Porrò Regularem Canonicam suam ut illustriorem redderet, Illustrissimæ Congregationis Lateranensis Unionem & privilegia à Clemente Papa IX. Clementissimè collata feliciter obtinuit. Ejus porrò prudentia promeruit, ut denique supremo Provinciæ Senatui præficeretur Deputatus & Commissarius verè Pater Patriæ, in quem omnia Reverendissimorum Illustrissimorum Prænobilium & Consultissimorum DD. Collegarum convertebantur ora & oculi. Explevit annum ætatis 79. Regiminis 50. pluribus titulis Jubilæus, cujus memoria apud Garsenses non intermorietur, inscripta Necrologio Domestico anno 1698. Calendis Junii.

Excelluit prætereà Ecclesia hæc Archi-Diaconalis Garsensis quamplurimis Canonicis singulari & admiranda doctrina conspicuis, qui suppresso tamen plerumque nomine præclaros typo pararunt ingenii partus, quorum compendiosum selectum hic subjungimus.

Anonymus Garsensis scripsit in Regulam S. P. N. Augustini in folio Subregali Commentarium præstantissimum.

Anonymus, alius, qui itidem concinnavit Commentariolum in Regulam historiis postmodum augmentatum à Joanne Chrysostomo Hagero, ibidem Decano, de quo paulò inferius dicetur.

Anonymus tertius reliquit linguâ vernacula tractatum planè utilissimum, qualiter Christum in nobis reviviscere, & Adamum in nobis oporteat mori.

Anonymus quartus prælo paravit linguâ itidem vernaculâ libellum, cui titulus *Gaistliche Lehrschuel*.

Anonymus quintus Matheseos universim apprimè peritus, cujus specimen eximium dedit in conscripto, quam etiamnum doctissimi Garsenses venerantur, Tractatu Mathematico.

Anianus Mareys composuit vitam Magni Augustini stylo elegiaco, & usque adeò arguto, ut nulli non periodo sua insit specialis elegantia Rhetorica. Item Elogia SS. Canonicorum Regularium. Obiit in Högelwerth die 1. Julii 1693.

Arsenius Glöggl Can. Regularis & Consistorialis ac Ecclesiastes Garsensis, pietate in Deum, Divam, & S. P. N. Augustinum, ac Religione præclarus, pluribus officiis

 functus,

functus, Decani, Magistri Spiritualis hic & alibi in Ducali Berchtolsgadensi, Cathedrali Chiemensi Ecclesiis, Seminarii proinde Garsensis aliquot annis Moderator scripsit typo dignas Conciones in singulas Dominicas & festa in plures annos suffecturas.

Ascetica. Poëtica. Obiit piè Garsii anno Christi 1674. ætatis 63. Professionis 44. Sacerdotii 37. Parochiæ 19. die 5. Novemb.

Augustinus Erz, hujus Collegii Canonicus, congessit græco Idiomate Dialogos duobus tomulis distinctos stylo satis eleganti & faceto. Item Comicorum libros duos. Transivit ab hoc Collegio ad Diessense, & ab hoc ad ClaustroNeoburgense. Peritissimus erat linguæ non tantùm Græcæ sed & Hebraicæ, excellens Rhetor, & Ecclesiastes. Obiit in Bohemia ejus tamen manuscripta Bibliothecam Garsensem etiamnum exornant.

Epiphanius Klebamer, dignissimus Cœnobii Garsensis Incola, plura perquàm utilia doctæ posteritati transmisit, & diem suum clausit anno 1681. 16. Decemb.

Gregorius Magius, Institutum Canonicum hic loci Professus, & Decanatus officio plurimis annis ibidem laudabilissimè perfunctus, extant de eo in Bibliotheca Garsensi.

Gratianus variarum rerum.

Item Exhortationes Capitulares.

Hieronymus Elsler, Monacensis Bojus, Archi-Diaconalis hujus Ecclesiæ Canonicus & Consistorialis summô studiô conscripsit.

Orationes Synodales.

Meditationes de Sanctis Ord. Cann. Regg.

Item Catechismum Novitiorum.

Joannes Chrysostomus Hagerus, dignissimus olim hujus Canoniæ Celeberrimæ Decanus, & Consistorii director, inter omnes Scriptores (ut ipse pro eximiâ suâ modestiâ de se fatetur) minimus, nostrâ tamen opinione facilè maximus, cum nulla penè sit facultas sive Scholastica, sive Moralis, quam non rarô ingenii sui acumine illustrarit, prout opere ipso nobis exhibent copiosa ingenii monumenta, quorum sequens est Catalogus.

Philosophia Tripartita. in folio

De Statu Canonico Apostolico. Tom. 1. continet originem & Progressum Ordinis Canonici. Tom. 2. Ascesin Canonicam cui insertus liber tertius Exhortationum de Mysteriis vitæ Christi. Tom. 3. agit de Ordinis Canonici qualitatibus Juribus, & Privilegiis.

De eodem Statu Canonico-Apostolico Commentarius Paræneticus in S. Regulam S. Augustini, continet centum Exhortationes. Est Tomus 4.

De Viris illustribus & Scriptoribus ordinis Canonici. Est Tomus 5.

Annus Canonicus de sanctis & piis in singulos anni dies distributus.

Hortus Sacer, duos partes habens.

Orationes Synodales. Lib. 1.

Pietas Christiana. Lib. 1. S. Conciones in Dominicas totius anni.

Sanctitas Christiana. Lib. 1. seu Conciones in festa SS. totius anni latino Idiomate, è quibus oratio de S. Georgio M. typo Augustano 1679. impressa est.

Collectanea Canonica. Lib. 1.

Poëmata centum. Lib. 1.

Conciones quadragesimales, festivales, funebres exquisito Stylo, veneraculâ linguâ concinnatas, in diversis libris contentæ.

Manuale Juridico-Canonicum. Lib. 1.

Manuale Juridicum in libros ff. Lib. 1.

Chronicon Garsense insertum Tomo 1. de statu Canonico-Apost.

Exercitia animæ peccatricis. Lib. 1.

Hortus Sylvester in 5. partes divisus.

Relationes Consistoriales, & Consultationes Juridicæ. Tom. 1.

De rebus memorabilibus, Gratiis, & Miraculis S. Felicis M. Tom. 1.

Allocutiones & Emblemata Celsissimo Principi & Archi-Episcopo Salisburgensi anno 1690. Ecclesiam Garsensem consecranti nuncupata.

Allocutiones XII. Natalitiæ Reverendissimo Præsuli Garsensi Athanasio dicatæ & in ejus Natali peroratæ.

Applausus honoris Eidem Reverendissimo Athanasio Jubilæum Sacerdotii celebranti & Jubilæum Prælaturæ inchoanti anno 1697. dicatus.

Plausus honoris Reverendissimo Bennoni Ranshoviensi Præposito dicatus.

Spolia

Spolia Musarum, & plurima alia diversis libris contenta, tum Ascetica, tum Comica, tum Poëtica, tum Rhetorica, Historica, humanis, & sacris scientiis comparandis utilia.

Auxit Regulam S. P. N. Religiosis Fratribus Monasterii Garsensis ruditer explicatam anno 1630. multis historiis, & exemplis.

Ejus Tyrocinium Canonicum insertum est Tomo 2. ascesis Canonicæ.

Supplementum Illustrissimæ hujus Canoniæ equidem privatis Litteris fuit petitum, sed non impetratum, nec mihi nec Musis succensebunt benevoli Lectores.

GARSTENSE

Præstantissimum in Norico Ripensi supra Anasum fluvium Benedictinæ hodiè, primitùs verò Canonico-Augustinianæ Regulæ Cœnobium est, quod olim quidem ad fundum Bojariæ pertractum, nunc autem Serenissimis Austriæ Principibus, & Augustissimis de eâdem stirpe Romanorum Imperatoribus paret, uti etiam jam pridem paruit; idem quoque Cœnobium de primâ fundatione seu Origine suâ descriptum à Bruschio de Monast. German. cent. 2. fol. 128. in hæc verba relatum: Garsense Monasterium Benedictinæ Professionis magnificum ac perelegans in suprà Anasiana Provinciâ ad dextram Anasi paululùm supra Styrensem Civitatem (ubi Anasus & Styrus celebria Austriæ flumina, infrà ipsam Civitatem & arcem Styrensem concurrunt) amœnissimo loco situm: fundatum legitur in honorem Principis Apostolorum & B. Virginis Mariæ anno Christi 1082. à Nobilissimo Duce & Marchione Styrensi Ottocaro, qui sacram ædem Garstensem à Reverendo Domino Episcopo Pataviensi permutatione quadam seu concambio, ut vocant, pro Ecclesia in Pehamberg impetravit. Condidit verò primùm pro Canonicis Regularibus, qui sub Præposito Eberhardo 28. annis eundem locum tenuerunt, ad annum nempe 1110. usque, quo prædictus Marchio Ottocarus Benedictini Instituti Monachis habitationem mancipavit. Fundator ad terram sanctam profectus, cum inde reversus Romam venisset, ubi obiit ac humatus est. In Garstensis verò templi Choro ad Septentrionalem parietem est elegans ac insigne Mausolæum prope Dominici Corporis ædiculam, in quo Domina Elisabetha Fundatoris Ottocari conjux cum duobus filiis Ottocaro & Leopoldo Marchionibus cubare dicitur. Habent in hoc Cœnobio celebrem sepulturam Barones à Losenstain, & Nobiles Scheckii. In choro cubat Imperatoris Maximiliani Præceptor quidam sine Epigraphe, cujus etiam nomen expiscari non potui. Ita Bruschius loco citato; Raderus verò in *suâ Bavariâ piâ fol. 66.* de primis Garstensium initiis ita scribit: Garstense Cœnobium condidit Regulus Tauriscorum Ottocarus (quem Styriæ Marchionem appellabant) heros inclytus & Catholicæ Religionis cultor & acerimus propugnator sectatórque veræ pietatis. Sed in eo Domicilio primùm Clericos duntaxat collocavit, nullis votorum vinculis, & legibus Religiosorum adstrictos, quibus præfectus est quidam Eberhardus: quo è vivis sublato, cum illius Domestici turba Clericorum solutior sub æstatem ludibunda in vicino flumine innataret, & se vorticibus omnes incauti committerent, nonnulli ex eo Cætu fluctibus hausti interierunt. Et sic ille primam Garstensem fundationem sæcularibus solum Clericis (ut audivimus) attribuens; quos tamen Religiosos apertè docet Nebridius noster in suo *Antiquario Monastico* Epist. 21. fol. 90. ubi sic habet: Dominus Odaker Marchio Styriæ fundavit Monasterium Garsense, illúdque dedit Regularibus Canonicis sub Eberhardo Præposito. Quo mortuo cum ejus Clerici quodam die in præterlabente flumine lavarent, aliqui submersi sunt. Qua re ita commotus fuit Marchio, ut Canonicis illicò substitueret Monachos, quasi verò Ordine servato levitas fuisset incorrigibilis &c. Cæterùm plura de Garstensi immutatione hac vide, si placet apud eundem Raderum loco citato.

GERENRODENSIS

Abbatia Diœcesis Halberstadiensis hodiè post editam pacificationem Westphalicam ab Electore Brandenburgico detenta usque hactenus inter Ecclesiasticos (fæminini sexus) Imperii status Principes connumerata sub annum 1521. sacrilego fastu & ausu Elisabethæ è stirpe Comitum de Wied progenitæ id temporis Abbatissæ tota quanta fuit Lutheranizata. Primus autem Illustrissimi ac Principalis Collegii hujus pro Virginibus sacris seu primùm quidem Regularibus, subinde verò lapsu temporis omninò sæcularisatis instituti pius Author seu fundator fuisse recensetur Gero quidam magni nominis Princeps à Ditmaro in Chron. lib. 2. pag. 28. in hæc verba commendatus: *Gero Defensor Patriæ, dum unici morte turbaretur filii suimet Illustris Sigfridi, Romam pergens emeritus jam senex coram Altari Principis Apostolorum Divi Petri arma victricia deposuit, & apud Dominum Apostolicum impetravit brachium S. Cyriaci Martyris, ad Dominum cum omni suimet hæreditate confugit, patriámque revisens nati suimet viduam priùs velatam in Monasterio in saltu, qui suo signatur nomine Gernrod* (antehac Rode dicto) *constructo Hadvig statuit Abbatissam à*

Bernardo (Pontifice Halberstadiensi successionis ordine quarto) *consecratam Christo. Factum hoc est anno* 960. *&* 961. *&c.*

GLACENSE.

Seu communiore gentis vocabulo *Glazense* dictum in famosa cognominis civitate & Comitatu Glazensi (cujus utriusque prolixam adeò descriptionem affert Martinus Zeillerus in suo Itinerario Germaniæ cap. 23. fol. m. 496. & seqq.) magnificentissimum olim Sacri Ordinis nostri Collegium, atque unum de quatuor illis in favorem Canonicorum Augustinianorum ab Arnesto sanctæ memoriæ primo Pragensium Archi-Episcopo in Patrio solo Boëmis contermino fundatis, perinclytum adstitit; cujus uberiorem explicationem habemus in vitâ ejusdem Arnesti Archi - Episcopi antedicti Authore R. P. Bohuslao Aloysio Balbino Societ. Jesu Presbytero anno 1664.

Magnam semper in Glacenses benevolentiam, magnúmque amorem præfetulit Ven. Arnestus, multísque argumentis testatum ad Posteros relinquere voluit, quantùm eam Civitatem amaret, in qua educatus, à Dei Matre inter Clientes receptus litteris operam dedisset, domumque haberet ut Civis. Dedit id quoque Patris sui memoriæ, quem Glacensis districtûs Capitaneum appellant historici. sed neque curam è cœlo Urbis hujus omisit, quandoquidem ad imminentes calamitates ut posteà dicam, oleum ex tumulo sudavit, nullum tamen argumentum potentius quàm excitatum in eâ Urbe pulcherrimum Canonicorum Cœnobium, quod Divæ Virgini dedicatum Religioni præsidio, & ornamento diu fuit. Dividam in certa capita omnem hanc tam egregii operis descriptonem; nam hac una fundatione (quam inter manus habemus) reliquarum gloriam, quarum monimenta perierunt, licebit cognoscere, simul jam hinc veniam à Lectoribus peto, si brevitatem mihi ante propositam, hoc uno capite non nihil excessero. Rerum varietas id à me poscit, tum veneratio tot litterarum S. Præsulis ac vernaculæ antiquitatis amor, cujus abhinc annis trecentis quasi sepultus honor revocatur in lucem, & à tinearum avaritia, voracissimisque blattarum dentibus inter tot bella sanguine Religiosorum extincta, & incendia terrarum & lapidum vindicatur. Illud etiam Lectores ignoscent, si quando ejus sæculi verbis utar, cujus acta describo non in Barbariei sed in claritatis gratiam ita sum locutus.

§. I.

Apparatus ad fundationem Cœnobii Glacensis ab Arnesto Archi - Episcopo factus.

Cùm pridem statuisset Arnestus Canonicis S. Augustini omnium eorum, quæ condidisset antè, pulcherrimum Cœnobium fundare; ante omnia ut Opus æternitatem haberet, vicinas quasdam Glacio ditiones, dissimulato consilio, cum fratribus suis Smilone & Wilhelmo maximo pretio comparare cæpit. Id factum longè antè annum 1350. Carolus Rex Romanorum significat litteris anno 1349. Pragæ ultima Martii datis, quibus, eam emptionem confirmat: quarum initium est hujusmodi. Carolus Dei gratia Romanorum & Boëmiæ Rex &c. Pridem Venerabilis Arnestus sanctæ Pragensis Ecclesiæ Archi-Episcopus Princeps, & devotus noster Dilectissimus, & sui fratres quædam bona, agros, possessiones, & prædia in Villâ Schweydlerdorff ex suo pretio compararunt, nobisque demùm consideratis multipicibus mentis probitate & constantis fidei puritate, quibus idem Archi-Episcopus & sui dicti Fratres nostræ Majestatis Oculis multimodè placuerunt &c. Empta verò sunt à fratribus de Glubocz Ottone Rentzkone & Nicolao pagus Sweydeldorff, cum allodio Ymsichsdorff & curiâ in Glaz emerite, ut ajunt, Arnesto divinâ magnificentia sanctæ Pragensis Ecclesiæ Archi-Episcopo pro 718. marcis argenteis. id pretium aliquot ante annis solvere Arnestus cæperat anno demum 1350. totum exsolvit, suntque de eâ re duplices litteræ ab iisdem Glubocziis fratribus fer. 5. post Dominicam Invocavit datæ, quibus omnem se pecuniam recepisse fatentur. Altera in Vigilia Pentecostes hoc anno 1350. In iis litteris Smilo & Wilhelmus de Pardubiez uterini fratres Ven. Arnesti vocantur. Comparatis hisce ditionibus ad ædificationem processum est: magnificum Beatissimæ Virgini Mariæ (annuntiationis Filii Dei titulo) in monte Glacensi templum extruxit Ven. Arnestus; quod templum, qui viderunt (stetit enim, ut post dicam ad annum 1621.) commendare satìs non possunt, deinde aggressus ædificationem Cœnobii, locum totius Urbis altissimum ob Aëris libertatem saluberrimum, ob camporum fluvii Nissæ, & totius Urbis vicinorumque ac remotorum montium aspectum lectissimum elegit, omnia eleganter & animo regio, ut solebat, adornavit:

vit: Laudat Glacensis Historicus Furius eam descriptionem, miratur aulas, ambitus, cameras, aliaque ad æternitatem parata. Hujus quoque Cœnobii venustatem, formam, arcus, columnas, & fornicum protensiones & projecturas Seniores nostræ Societatis Patres, à quibus id audivi, mirè deprædicare solebant, ajebantque, nullum id temporis in totâ Boëmia & Moravia Collegium huic comparari potuisse.

Wenceslaus Hagecius Canonicus Ecclesiæ Boleslaviensis in brevi illo de Arnesto elogio rem tantam non tacuit, appellat ædificium Regium, ac præstans imaginibus ac tabulis pretiosis plurimum ornatum, quæ hominum mentes in pietatis amorem raperent, parietes omnes imaginibus ab arte commendatis coopertos, fenestras vitreas coloratas ad gratiam oculorum luxisse, atque etiam ipsis imaginibus spectabiles fuisse. In hoc eodem Cœnobio imitatus illos, qui, ut ait S. Job, ædificant sibi solitudines, cellam quandam, ut vocant, pro se ac famulo unico jusserat Arnestus extrui, tam occulto tam difficili ad aditum loco, ut penè ab ipsis Canonicis ignoraretur. In eâ quot annis delitescebat, qui in gravi quopiam negotio citatis equis Archi-Episcopum Romam aut Avenionem abiisse credebant, at Arnestus interim aulæ fastidia ponebat, & in eâ solitudine, ut loquitur Hagecius, Beatissimæ Dei Matri serviebat. Sed hæc postea in Arnesti virtutibus extremo libro commodiùs narrabuntur. Emit præterea Arnestus ab iisdem Fratribus Gluboczìis hortum sub S. Wenceslai Boëmico templo situm, quem animi causâ velut optimum vicinum invisere Canonici, quoties vellent, possent. Et paulò post

§. 2.

Inductio Canonicorum in Montem Beatissimæ Virginis, & fundatio Cœnobii Glacensis.

Jam ad inductionem veniamus, in qua describenda placet sua manu scriptis Codicibus verba relinquere. Anno Domini 1349. Reverendus in Christo Pater Arnestus inchoavit, fundavit, erexit, instituit, & in propria Persona consecravit 25. die Martii, hoc est, in die Annuntiationis S. Mariæ Monasterium Canonicorum Regularium Montis S. Mariæ de Glaz Pragensis Diœcesis. Constructo igitur, ut præmittitur Monasteriò, ac dotato primùm Schweideldorff inferiori & Bertholdi villâ & aliquot laneis in Superiori Schweideldorff, nec non & allodio in Hisenrichdorff & horto sito penes castrum Glacense pariterque cum quadam Curia munita in eodem Castro Glacensi, quæ omnia continentur in aurea Bulla sive Typario D. Caroli IV. tunc Regis Romanorum & Bohemiæ &c. Anno 1350. Jubilæo recepti sunt Fratres de Raudnicz, & introducti in pacificam possessionem, qui sibi elegerunt Præpositum primum Joannem, aut fortè idem præsentatus fuit D. Archi-Episcopo per D. Nicolaum tunc Præpositum in Raudnicz, nam utrumque potuit esse, licèt certitudinem investigare non potuerim. Hoc ergò pro præsenti sufficiat, quod Joannes & nomen ejus scilicet Primi Præpositi Glacensis, & ipse rexit usque ad 33. annum, A. D. 1382. viam universæ carnis ingressus est, fuit Vir litteraturæ magnæ &c.

Ego ipsas fundationis ab Arnesto litteras ex Originalibus à memetipso exscriptas hic recitabo, ut Arnesti magnifica, regia, & pia voluntas ac intimus animi sensus posset intelligi. Sed notanda est ante omnia ingens Optimi Præsulis de hujus Monasterii perennitate cura & solicitudo, nullam rem unis litteris satis confirmatam & stabilitam esse putabat; itaque & fundationis litteras, non, ut vocant, fidimatas, sed Originales suo sigillo, ac insuper plures Caroli Regis ac Imperatoris litteras, quibus hæc fundatio comprobatur, Canonicis munitas reliquit Syngraphas, item à Gluboczìis fratribus plures: neque hac securitate contentus Clementem Papam VI. appellavit. Vidi Clementis litteras Avenione 8. Calend. Maji Pontificatus sui anno decimo datas: in quibus adductum se Arnesti precibus, confirmare ejus acta Glacensia, & fundationem Canonicorum Apostolica authoritate approbare declarat.

Litteræ fundatoriæ Cœnobii Glacensis Can. Reg. S. Augustini in Monte B. Mariæ.

In nomine Domini, Amen. Arnestus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ sanctæ Pragensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Smilo, & Wilhelmus fratres ejusdem Domini Archi-Episcopi, dicti de Pordubitz universis præsentium inspectoribus salutem in Domino sempiternam. In præsenti sæculo scimus, sive consiliis invicem nos posse adjuvari. Cùm

autem ante Tribunal Christi venerimus, nec Job, nec Danielem, nec Noë rogare posse pro quoque, sed unumquemque portare onus suum. Et ideo quisque mortalium in humanis agit, in operibus Sanctis & eleemosynarum largitione se talem exhibere & exercere tenetur, ut pro iis, quæ hîc misericorditer elargitur, præsentis vitæ subsidia, & æternæ claritatis præmia à Domino, qui multipliciter & in perpetuum mansura tribuit, recipere mereatur. Cupientes igitur transitoria & terrena pro cœlestibus & perpetuis felici commercio commutare, vitamque consequi sempiternam: Ecclesiam ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, ejusque Genitricis Virginis Mariæ semper gloriosæ, ac in divini cultus augmentum pro Præposito & Canonicis Regularibus per nos constituendis & ponendis, ac perpetuò inibi permansuris in Oppido Glaz nostræ Pragensis Diœcesis, jam construere cœpimus, & fundare, ipsamque adjuvante Domino perficere laudabiliter intendimus & complere. Quam quidem Ecclesiam in honore sanctæ Mariæ Virginis, ut præfertur, intitulari volumus & etiam insigniri.

Et quia Spiritualia sine temporalibus non subsistunt, idcirco ut memorati, videlicet Præpositus & Canonici Regulares, qui nunc erunt, & pro tempore seu perpetuis temporibus fuerint, & esse debent eidem Ecclesiæ in divinis officiis, diurnis scilicet & nocturnis devotè & laudabiliter servientes, congruè & decenter valeant sustentari, & alia necessaria exinde percipere & habere. Bona & redditus, ac proventus infrà scriptos, quæ & quos à Nobilibus Viris Renczone videlicet & Nicolao fratribus de Glo·ucz accedente ad hoc Serenissimi Principis & Domini nostri D. Caroli Romanorum Regis speciali licentia & consensu pro nostris pecuniis communibus emimus, sive emptionis titulo & jure hæreditario duximus comparanda prælibatæ Ecclesiæ, nec non Præposito, & Canonicis Regularibus supradictis, ac pro sustentatione eorum, pro nostrorum ac Parentum nostrorum Redemptione & remedio peccatorum.

Et ut orationum ac suffragiorum, quæ in dicta Ecclesia fient, participes existere valeamus, ex mera liberalitate donavimus & donamus, concessimus & concedimus, conferimus, & contulimus, ac donationis titulo assignavimus omne jus proprietatis, & directi ac utilis Dominii prædictorum redituum & bonorum in prædictos, scilicet Præpositum & Canonicos Regulares, successoresque eorum liberaliter transferentes, proprietatis jure per ipsos procul dubio possidenda & possidendos. Nomina autem bonorum & reddituum per nos emptorum & donatorum sunt hæc: Imprimis in Sweidlerdorff inferiori triginta septem laneos censuales cum prato, & quibusdam agris superfluis, qui propriè & vulgariter Zbizkove nuncupantur, quorum, prati videlicet & agrorum redditus annuatim ad duorum laneorum sufficientiam se extendunt. In Superiori Sweidlerdorff, unum cum dimidio laneum sub aratro, & unum laneum censualem. Sex quoque laneos censuales minùs dimidia tertia virga in Bertholdorf; ac in Insen - Henrichsdorf allodium de duobus laneis cum dimidio, & hortum unum ante castrum Glacense situm cum Curia, sive Domo in castro Glacensi sitâ cum censibus, fructibus, obventionibus, honoribus, libertatibus, juribus, judicibus, frutetis, pascuis, Sylvis, aquis, aquarumvè decursibus, fluminibus, rivis, piscationibus, piscatoribus, vineis, pomeriis, hortis, & cum omnibus utilitatibus ad bona prædicta pertinentibus, in quibuscunque rebus consistant, quæ tenuimus & possedimus pacificè & quietè, renuntiantes expressè pro nobis, & Successoribus nostris omnis juris auxilio vel actioni, quod & quæ nobis competere possent circa bona prædicta qualibet in futurum. Præterea dicit Canon: Valdè est iniquum & ingens sacrilegium, ut, quæcunque pro remedio peccatorum, vel pro salute ac requie animarum suarum unusquisque Venerabili Ecclesiæ contulerit, aut verè reliquerit, ab his quibus maximè servari convenit, id est, Christianis & Deum timentibus hominibus, in aliud transferri vel converti, vel quomodolibet usurpari. Quare nos Arnestus Archi - Episcopus supradictus omnes & singulos Christi fideles, cujuscunque status, ac præeminentiæ existant, authoritate Omnipotentis Dei, qua fungimur in hac parte, exhortando requirimus, & monemus, & remissionem ipsis injungimus peccatorum, ut nullus bona, & redditus supradictos prædictæ Ecclesiæ, in honore B. Mariæ Virginis, ut prædicitur, dedicandæ, collata, & collatas invadere, vel spoliare, aut quamvis molestiam irrogare audeat, & præsumat, alioquin contrarium faciens, nisi sibi & loci restitutione & satisfactione prospexerit, indignationem Omnipotentis Dei, qui iratus animas percutit, ipsiusque Genitricis, cujus factum agitur, ipso facto incurrat, & maledictione perpetua feriatur; quos quidem invasores bonorum Ecclesiasticorum constat à Patre, & Filio, & Spiritu sancto condemnatos esse, deputabuntur, ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extinquetur; quia Deo adversantes. In cujus donationis nostræ testimonium, & robur perpetuò valiturum præsentes litteras fieri voluimus, sigillorum nostrorum appensione & munimine roboratas. Datum Pragæ Anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo Jubileo X. Calend. Novemb.

(L.S.) (L.S.) (L.S.)

Et

Et infrà loco citato pag. 269.

§. 3.

Cœnobium Glacenſe multis oppidis augetur ab Arneſto, ſingularibusque privilegiis exornatur.

Jam ſæpè dixi, Arneſtum plus ferè in conſervandis, quàm inchoandis rebus operæ, ac diligentiæ adhibere ſolitum. Itaque etſi jam numeris ſuis omnibus abſoluta fundatio videbatur, inductique Canonici, non ceſſabat tamen Optimus Præſul majora ac majora opum & potentiæ prædia Cœnobio adjungere: Inprimis Parochiam in Koſtomlat in perpetuum à Præpoſito regendam, attribuit. Datæ ſunt litteræ Anno 1352. 21. Martii in Refectorio apud Eccleſiam noſtram Pragenſem, annexo ipſi Pragenſi Eccleſiæ. Addidit eodem anno Cœnobio ipſam villam ſuam egregiam, Koſtomlat appellatam, quam poſteà pro Wilmsdorf, ob vicinitatem, Canonici commutârunt. Sed jam ante Jus Patronatus in Schwedldorff, & Paczdorff anno 1350. Cœnobio donaverat Arneſtus, priusque (erat Princeps liberaliſſimus) Eccleſiam eo in loco extruxit, quæ etiamnum in aditu ipſo templi, Arneſti præfert inſignia, & dimidiatum Equellum è lapide exciſum oſtentat. Villæ deinde pulcherrimæ additæ Cœnobio: Luka, Sluppno, Chodun, Weſtud, Duſsnik &c. Sed etiam pecuniam grandem, ut neceſſitatibus futuris conſuleret, Ven. Arneſtum Canonicis Regularibus reliquiſſe, vel ex eo patet: quòd adhuc vivente Arneſto Anno 1363. Præpoſitus, maximâ pecuniâ Domum & Braxatorium liberum ab omnibus exactionibus, vigiliis, ſteuris &c. cum omni jure Glacii emerit in ipſa civitate, ut litteræ civitatis indicant. Deinde brevi tempore interjecto poſt Arneſti mortem, eidem Civitati 100. marcas argenti graves, idem Præpoſitus mutuas dedit; unde grata Civitas omnia prædia, ac prata Cœnobii ab omni civili onere in perpetuum liberavit. Et ſic hactenus loco citato, ubi poſtmodum infrà agitur de translatione Glacenſis Monaſterii ad alium Religioſum Ordinem factâ, nempè ad Societatem Jeſu, quod ſic habetur fol. 275. Succeſſere deinde calamitoſiſſima Religioni ſæcula, & Glacii Enthuſiasmus, & ſomnia Caſparis Schwenckfeldii regnare cœperunt: magnum quoque Catholicis, & templis Glacenſibus, vulnus Lutherus inflixit.

Ex illo fluere, & retro collapſa referri
Res Danaûm.

Occupatur ab heterodoxis templum B. Virginis apud Melitenſes, Catholici cives oppreſſi, in odio omnium ſuorum (ut eos ſuæ paucitatis puderet) vivebant. Religioſi ad paucos, aut potiùs ad nullos redacti, in medio nationis pravæ, non Religionem, ſed ægrè vitam, ac ſua tuebantur. Anno jam 1593. unus in Cœnobio erat reliquus, & ſeniô confectus Chriſtophorus Præpoſitus; is cùm ſe imparem ſenio rebus gerendis, & Novatorum quotidianis conatibus videret, Præpoſituram in manus Nuntii Apoſtolici Cæſaris Speciani, Epiſcopi Cremonenſis, confectis ritè tabulis, quas vidi, reſignavit. Poſt annos ab hac Reſignatione duos, jacentem & vacantem Præpoſituram Clemens VIII. Pont. Max. adductus Rudolfi Cæſaris piiſſimâ voluntate, tum etiam Novatorum in ſe olim Glacii contumeliis, Societati Jeſu cum omni jure confirmavit; datis litteris Apoſtolicis Romæ anno 1597. 7. Idus Martii. Ea res, etſi Pontifex & Cæſar (qui ſe pro fundatore Collegii hujus ſemper geſſit) maximè cuperent, objicientibus ſeſe iis (quos hic nominare nihil attinet) ſuis impedimentis non caruit, quibus iterùm Cæſaris invictâ voluntate, Nuntii Apoſtolici Joannis Franciſci Aldobrandini Summi Pontificis Neapolis, dexteritate dejectis, miſſi Glacium à Cæſare & Archi-Epiſcopo Pragenſi publicè legati ſunt: Illuſtriſſimus Baro Leopoldus Popel de Lobkowiz tum Præpoſitus Eccleſiæ Metropolitanæ, amantiſſimus Nominis noſtri Pontanus à Breitenberg, ac Juris-Conſultus quidam Cremer nomine, qui Præpoſituram Societati traderent. Accepêre poſſeſſionem ſolennibus ceremoniis P. Joannes Vivarius, & P. Andreas Neupauer Soc. Jeſu Sacerdotes anno 1597. in fine Septembris. Annuæ noſtri Ordinis litteræ rem totam breviſſimè explicant: Collegium Glacenſe, ante Canonicorum Regularium Sedes, Authore Chriſtophoro Kermiſero ejus Ordinis Præpoſito, Societati acceſſit, videns namque D. Præpoſitus ſe, in medio Acatholicorum, ad ſuſtinendum adverſariorum impetum imparem, ut Præpoſituram conſervaret, & Novatores, quibus hæc ſcatet Provincia, errore liberaret, bona Societati coram Archi-Epiſcopo Pragenſi, Cænobii Protectore, decernit, &c. Quod ipſum Clemens VIII. Pont. per litteras agit, quibus Archi-Epiſcopus permotus, præſente Nuntio Apoſtolico, & Præpoſito, Collegii inſtitutionem, ſcripto dato, comprobavit. Acceſſit Imperatoriæ Majeſtatis conſenſus, cujus voluntate tres

dati Commissarii, qui Monasterium Beatissimæ Virginis in Monte Glacii cum bonis omnibus, Societati tradiderunt. Hæc ibi.

Denique pro pleniori rei gestæ notitia juvat hic subdere etiam R. P. Guilielmum Gumpenberger Soc. Jesu in suo Atlante Mariano Triad. 1. Imag. 76. fol 182. de recensitâ Translatione seu Religiosi Ordinis immutatione vel paucis ita scribentem: Virtutis eximiæ fuisse (Ernestum) ex Sepulchro ejus habemus, tum quòd sæpiùs liquorem oleo simillimum sudaverit, qui sic jubente Nuntio Apostolico inter Sanctorum Reliquias asservatur, tum quòd sepulchro suo à constructo more veteri statuam suam opere perfecto imponi è lapide jusserit, non parùm miraculosam; quando illa, ut prædixerat, pro incremento hæreseos in partes rumpitur, quas lapicidæ in scalpris suis sic divellere non possent. Accedit futurorum prædictio; nam præter hoc, quod dixi de hæresi futurum, noluit post mortem suam in templo, quod ipsis Canonicis Regularibus construxit, recondi; futurum namque ajebat, ut olim in eo equi stabularentur, quod Fridericus paucorum mensium Pseudo-Rex nostro sæculo fecit. Quin ipsum etiam templum dirutum iis in turbis est. Sed templum elegit, quod hodie Societatis Jesu habet. Hic hodieque Ernestus, de quo loquor, situs est.

GOSLARIA

Civitas Imperialis Inferioris Saxoniæ seu Westphaliæ intra limites Diœcesis Hildesheimensis collocata, atque eadem hæc jam ab immemoriali tempore Lutheri assecla, Regularium quoddam Canonicorum magni nominis Collegium habuit, de cujus exordio Historia S. Bennonis Episcopi Mysenensis in Proprio Lateranensi die 16. Junii allata sic habet: Cum speraret (idem S. Benno) reliquum vitæ privatim in Oratione transigere, Henricus Imperator III. hujus nominis, cupiens in Ecclesia Goslariensi nuper à se absolutâ, Congregationem Canonicorum regulariter viventium ex probatissimis & doctissimis quibusque Germanorum constituere, Bennonem magnis precibus â Pontifice Leone IX. impetratum, & illius authoritate ab Ordine Monastico ad Canonicum translatum, eidem novellæ Congregationi Magistrum dedit, ut illi Spiritualis armaturæ Dux esset, eamque Ecclesiasticæ disciplinæ tyrociniis informaret: cùm autem annos decem & septem in Canonica Congregatione sanctissimè vixisset, & Monasterium Goslariense multorum prædiorum, domorum & censuum paternæ hæreditatis attributione ditavisset, suadente Beato Annone Coloniensi Archi-Episcopo Ecclesiæ Misnensi, tunc vacanti præfectus, Episcopatum ne acciperet, omnibus, quibus potuit, modis restitit: sed tandem Beati Annonis acri objurgatione compulsus potiùs, quàm suasus illum suscepit. &c. Et hæc ibi. Item loco citato seu in eodem Proprio Lateranensi mense Junio notatione 45. ad eandem S. Bennonis historiam leguntur sequentia: Fuisse novellam istam Congregationem Canonicorum Regulariter viventium, indicio sunt primò, quia probabile non est, Romanum Pontificem voluisse hominem regulariter viventem ad Sæcularitatem transferre; secundò; quia Collegium Goslariense vocatur novella Congregatio Canonicorum sæculariter viventium, quòd magis apertè innuit Münsterus in Cosmographiâ in descriptione Saxoniæ lib. 3. dicens: Henricum tertium, cùm Goslariam ex Molendino civitatem effecisset, duas in eo Congregationes Religiosorum, alteram Monachorum, alteram Canonicorum constituisse, quod eisdem planè verbis testatur Albertus Cranzius lib. 3. Saxoniæ cap. 43. sed quod omnem prorsus tollit dubitationem cap. 18. Author ejusdem vitæ S. Bennonis vocat Goslariense Collegium Monasterium, sic enim ait: Invaluit inde rumor apud Posteros, ut suprà monuimus; B. Bennonem nostrum in Goslar fuisse natum &c. &c. Verùm falsam hanc imperitæ plebis opinionem explodit tum nomen ipsius Benno à Bennopoli Patriâ ei inditum, tum antiquissima Hildesimensis & Goslariensis Monasteriorum monimenta suprà per Nos exhibita. Veteres quoque illius Imagines, quas vidi Romæ typis æneis cusas S. Bennonem cum habitu Canonicorum Regularium Germanorum referunt, scilicet cum Rocheto sine Manicis, quanquam Imagines quædam parvæ recens editæ illum absque Rocheto cum solâ tunicâ & mitrâ repræsentent. Quàm laudabilem verò sanctam olim vitam duxerit prima ea Goslariensium Canonicorum Congregatio, documento esse potest, quòd plures ex ea Sanctorum numero sint adscripti, plurimi etiam apud Cathedrales & Metropolitanas per Germaniam & etiam per Italiam sunt evecti, quorum 48. recensentur in vitâ ejusdem S. Bennonis cap. 12. ex quibus unus fuit S. Anno Coloniensis Episcopus anteà Goslariensis Præpositus, & S. Bennoni arctissima vita junctus, ut & ex ejus vita cap. 13. & 14. patet.

GOTTESCELLENSE.

Monasterium Bavariæ inferioris in Diœcesi Ratisbonensi haud procul ab Oppido *Regen* appellato situatum; de cujus initio non benè constare ex Hundio refert Adlzreitterus in annalibus Bavariæ part. 1. lib. 25. num. 9. qui & idem nobilissimus author juxtà quoque scribit, ipsum hoc Cœnobium ab Henrico Comite de Rotteneck sanctæ memoriæ Episcopo Ratisbonensi singulari Ordinis Canonico-Augustiniani fautore sub annum gratiæ 1286. septimo Calendas Augusti fuisse dedicatum seu consecratum. Aubertus Miræus de Can. Reg. cap. 77. fol. 184. nobilem quendam de Peting unà cum Mechtilde Conthorali sua Gottescellense Monasterium hoc pro Religiosis novæ familiæ Cisterciensis alumnis condidisse quidem scribit, at perperàm solùm; nam ut passim liquet, jam pridem ante Monachos primitùs isthìc substiterunt Regulares Canonici, qui postmodum locum cesserunt Benedictinis, atque isti pariter Cisterciensibus, quod tamen quonam tempore & authore primitus factum fuerit, nondum nobis investigare licuit.

GOTTWICENSE.

Potentissimum hodie Regulæ Benedictinæ Cænobium, Teutonicè *Köttwein* nuncupatum, Pataviensis Diœceseos in inferiori Austria primum Fundatorem suum laudat S. Altmannum Episcopum Pataviensem, qui anno 1091. sexto Idus Augusti ad sydereas axes emigrans, idem Religiosum Claustrum pia liberalitate sua à fundamentis eductum, & legibus optimis ad normam Ordinis Canonicorum Augustinianorum exactè reformatum moriens pulcherrima virtutum amœnitate florens reliquit; sed quod in rebus humanis pronum est fieri, sublata ex oculis ejus censura & Inspectoris accuratione, languescens sensim Collegarum ardor descivit ad peregrinos usus, unde mores illaudabiles, quos ipse Fundator S. Altmannus nequaquam tolerasset; quare postmodùm cum alia strictiore Regula alius etiam Ordo hìc loci fuit introductus, Benedictinensium nempe Monachorum colonia è Divi Blasii Cœnobio Admontensi in Styria isthuc adducta. Et sic Adlzreitterus in Annalibus Boicis part. 1. lib. 18. num. 81. Zeillerus in Descriptiòne Austriæ fol. 18. & plures apud ipsum citati: præter quos Nebridius noster in suo Antiquario Monastico recensitam dicti Ordinis Canonico-Augustiniani immutationem describit in hæc verba legendam: *Cùm defunctó S. Altmanno Episcopo illuc venissent quidam profugi, contigit, ut horum depravatis moribus inficerentur Inquilini Clerici, & brevi corrumperetur disciplina: quocirca S. Altmannus apparuit cuidam Presbytero Joanni Viro bonæ conversationis in cella secùs Cœnobium recluso, consulens si placeret professionem cum habitu mutaret, sic enim maculam ex disciplinæ corruptione contractam deletam iri. Non displicuit consilium, proinde res ad Romanum Pontificem simul ac ad Udalricum Altmanni* (in Episcopatu Pataviensi) *Successorem refertur; quo utroque annuente postulatur ex S. Blasii Admontensi Cœnobio Hartmannus Prior Vir eruditus, discretus, & pius in Abbatem, quo præsente Canonici & habitum & regulam mutàrunt suscepto Ordine S. Benedicti &c.*

GRANARIENSE.

Quoddam hujus nominis Canonicorum Regularium Monasterium, vel olim in districtu vastissimæ Diœcesis Leodiensis constitisse refert quidem expressis verbis Gabriel Bucelinus in Germania Sacra part. 3. fol. 157. *istud ipsum* (quod tamen quoad primam Originem prorsùs incognitum) *Clericalis Ordinis Augustiniani Monasterium amodò spectare ad Ordinem Scholarium.* Verùm ætate nostrâ in toto tractu Leodiensi nullam prorsùs Cœnobii hujus Granariensis superesse memoriam ab amicâ manu novissimè rescriptum est ad nos Leodio.

GRANDICURTIUM,

Taliter suo nomine dictus & intulatus in Comitatu (qui certa Germaniæ nostræ pars est) Burgundiæ in Archi-Diœcesi Bisuntina Prioratus quidam Regularis seu Canonico-Augustinianus est, etsi de tempore & Authore primæ fundationis nondum per nos constet; quem eundem ipsum cum duobus aliis talibus seu statu & conditione paribus videlicet *de Valle*, & *de Villobio* nuncupatis Comprovinciali Abbatiæ Montis Benedicti infrà itidem recensendæ subditum manere & incorporatum, Cætera de Grandicurtio isto nec quicquam ampliùs refert Gabriel Pennottus in Histor. tripartit. lib. 2. cap. 33. num. 10.

GRAUENHOFIENSE,

Seu Mons S. Georgii taliter intitulatum, communiter verò patria lingua *Gravenhoff* nuncupari solitum, insigne prorsùs Congregationis Windesimensis Monasterium propè Goslariam notam Inferioris Saxoniæ civitatem Imperialem, in Ducatu Brunsuicensi, sub limite Diœcesis Hildesheimensis, loco peramœno situatum, hodiè plurimùm efflorescit, & succinctam illius historiam ex residuis, quæ hodiè supersunt, ruderibus litterariis vel ardue collectam, in id devotissimè requisitus modernus loci Præpositus Reverendissimus Prænobilis ac Amplissimus Dominus D. Bernardus Grauenhofiensis Præpositus, Dominus ac Patronus mihi perquàm gratiosus nuper ad me remisit, taliter exaratam.

Canonia S. Georgii Martyris Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium extra & propè muros Goslariæ Civitatis Imperialis, ad partem Aquilonarem, in gratissima vicini montis planitie, loco amæniore magnificè extructa, à Conrado Secundo Romanorum Imperatore traxit Originem, anno Incarnationis Dominicæ 1025. atque eandem hanc Canoniam suam recens fundatam plurimis gratiis, & ædificiis insignivit, ac clementissimè condecoravit idem ipse fundator; post quem, opere nondùm ad optatissimum finem deducto, Henricus ejus nominis quartus itidem Romanorum Imperator *divinæ inspirationis admonitu* (verba sunt ejusdem Imperatoris) provocatus simul, ac pio Principum Romani Imperii consilio potenter inductus, Monasterium in Monte S. Georgii, Canonicis Augustinianis eò collocatis, claustrali ambitu statuit adornare, ejusque facultates ac possessiones rebus admodum necessariis clementissimè decrevit ampliare, idque effecit, ut Sylva *Al* suo nomine dicta, eáque prædicto monti adsita, ex communi Clericorum ibidem commanentium consensu, strenuo in id deputatorum labore funditùs extirpata redigeretur in agros, ac proin novo hujuscemodi Collegio fructus aliquis proveniret, & redderetur utilior, atque hujus Ordinationis Regiæ seu Cæsareæ testes adhibiti fuerunt Conradus Osnabrugensis, Geraldus Merseburgensis Episcopi, aliique insuper Principes ut putà Lotharius Dux, Rudolphus Marchio, Fridericus Palatinus, Wibertus Comes, & sic in reali Mathildis reginæ præsentia anno 1099. 12. Calendas Februarii.

Post factam sylvestrem extirpationem antedictam pars fundi nomen Ruris Georgiani, pars verò altera, quæ dumetis & arboribus consita remansit. Al sive Oel usque hodiè nuncupari consuevit.

Anno 1108. Henricus V. Imperator fundationem Montis S. Georgii authoritate Banni Regalis corroboravit sequenti Diplomate:

„In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis &c. Henricus divinâ favente clementia „V. Romanorum Rex &c. Quia regni nostri administrationem divina gubernatione di„spensari cupimus, dignum est, ut ejus munificentiam, qui humillimos exaltavit, sum„tis ab ejus largitate muneribus honoremus, sic enim humilitatem nostram scuto suæ „protectionis speramus obumbrari; si & ex eo regnare, & regiminis nostri successum „ejus gratiæ satagamus adscribere. Unde tam præsentibus quàm futuris notum esse vo„lumus, quia Monasterium propriè Goslariam situatum ab Abavo meo fundatum qui„dem, sed imperfectum pro animæ nostræ remedio cum omnibus ad id pertinentibus vi„neis scilicet, villis, mancipiis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mo„lendinis acquisitis & acquirendis in proprium tradidimus. Præterea ex Regali nostra „munificentia Comitatum situm in Hertega, terram quoque cum Sylvula circumiacen„tem, quæ *Al* dicitur, & quidquid inter duas publicas vias, unam, quæ Benniggne„rathe, alteram quæ Immerathe ducit ad utilitatem hominum inibi Deo servientium ad„dimus. Quam traditionem, ne ab illo futurorum Regum irritetur, & sigilli nostri im„pressione & Regalis Banni authoritate communimus. Signum Domini Henrici Roma„norum Regis invictissimi. Albertus Cancellarius vice Richardi Moguntini Archi-Epi„scopi & Archicancellarii recognovit datas mense Januarii Indictione prima anno Domi„nicæ Incarnationis millesimo centesimo octavo regnante Henrico Quinto Rege Roma„norum anno tertio. Ordinationis ejus nono. Actum est Aquisgrani in Christi nomine, „feliciter, Amen.

Anno 1152. Fridericus II. Romanorum Imperator ad instantiam Bernardi Episcopi Hildesiani, & Bennonis Præpositi Montis S. Georgii, nec non Ducis Saxoniæ atque Bavariæ, aliorumque Principum & Nobilium regali libertate pluribus donis Ecclesiam Georgio-Montanam adornavit, postquam enim fundationem à Prædecessoribus factam videlicet Silvam, quæ *Oel* vel *Al*, dicitur, cum universis agris (uti sonant verba Diplomatis) cultis & incultis inter duas publicas vias & antiquas, unam quæ Bennignerath, alteram quæ Immerath ducit, & alia olim collata gratiosis litteris inseruisset, plurima bona in Schwanebeck oppido Diœcesis Halberstadiensis regia authoritate irrefragabiliter in per-

in perpetuam proprietatem conftabiliendo donavit, ac præterea Regalia Epifcopaliáque dona cum fidelium oblationibus tam collatis quàm impofterùm conferendis feu Canonicorum inibi commorantium induftriâ vel labore conquifitis, conquirendísque Regalis banni firmitate & privilegii confcriptione, figillíque impreffione, ne ab ullo Regum cæterorumque mortalium impofterùm irritetur, prædictæ Ecclefiæ communivit. Nomina verò teftium, in quorum præfentiâ hæc facta funt, fubfcribi juffit, funtque *Bernardus Hildesheimenfis Epifcopus*, *Wichmannus Citienfis Epifcopus*, *Wibaldus Corbeienfis Abbas*, *Reinaldus Hildefimenfis Præpofitus*, *Henricus Dux Saxoniæ*, *Marchio Albertus*, *Luitolfus Comes de Waltingen*, & plures alii.

Anno 1360. Carolus IV. Romanorum Imperator, Rex Boëmiæ &c. Henrici & Friderici Romanorum Regum antedictorum privilegia Cæfareâ authoritate clementiffimè innovavit, Cæfareáque authoritate confirmavit, iis verò quomodolibet contraire præfumentibus pœnam centum Marcarum auri puri dictavit, quarum medietatem Imperiali ærario, alteram verò partem Canoniæ Georgio-Montanæ ufibus irremifibiliter toties quoties contrà factum exstiterit, applicari ftatuit. Teftes hujus rei fuère Illuftriffimus Dux Saxoniæ S. R. I. Archi-Marefchallus, Erneftus S. Pragenfis Ecclefiæ Archi-Epifcopus, Joannes Olomucenfis, Theodoricus Mindenfis Ecclefiarum Epifcopi, aliique quàm plures Duces & Comites, prout Archivium Georgio-Montanum fufiùs in fuis Originalibus teftatur.

Anno 1446. Canonia Montis S. Georgii à Friderico Auguftiffimo Romanorum Imperatore fequentes impetravit litteras:

„Fridericus Dei gratia Romanorum Rex femper Auguftus, Auftriæ, Styriæ, Carin„thiæ, & Carniolæ Dux, Comes in Habfpurg, Tyrolis, Pheretis, & Kyburg, Burg„gravius Burgoviæ, & Landgravius Alfatiæ ad perpetuam rei memoriam. &c. Ad So„lii noftri ftabilimentum pertinere nequaquam ambigimus; fi perfonas Religiofas, quæ „affiduè pro Nobis & Imperio facro devotas effundunt preces, & gratum Deo exhi„bent famulatum, cum eorum locis, rebus, & bonis univerfis benigno favore comple„ctimur, ac prædiis & tuitionibus munimus oportunis. Sanè ex parte honorabilium „ac Religioforum Præpofiti & Conventus Monafterii S. Georgii propè Goslariam Ca„nonicorum Regularium Ordinis S. Auguftini Hildefimenfis Diœcefis devotorum noftro„rum Dilectorum nobis humiliter fuit fupplicatum, quatenùs nonnullas litteras Confir„mationum, privilegiorum, & libertatum divinæ memoriæ Caroli IV. Romanorum „Imperatoris; item alias quoque litteras Divorum Henrici & Friderici Romanorum Re„gum Prædecefforum noftrorum in fe continentes & confirmantes approbare, confirma„re, innovare, de novo concedere, & authoritate Romano-Regiâ roborare dignare„mur. Nos igitur ad omnia pia loca & præfertim ad Monafterium S. Georgii præfatum, „nec non ad Præpofitum & Conventum ac in obfequio Deo ibidem mancipatos fingula„ri devotione affecti, eorúmque commoditatibus, profectibus & honoribus falubriter „providere cupientes, Antecefforúmque noftrorum veftigiis inhærentes, nec non pro „noftræ & ipforum animarum falute & remedio rationabilibus dictorum Præpofiti & Con„ventûs, eorúmque Succefforibus fupplicationibus inclinati eisdem Præpofito & Con„ventui, eorúmque Succefforibus in perpetuum litteras Caroli IV. cum infertionibus „Henrici & Friderici Antecefforum noftrorum prædictorum, & contenta in eis cum „omnibus eorum punctis, articulis, claufulis, & fententiis, ficut exprimuntur, appro„bamus, ratificamus, innovamus, de novo concedimus, ac benignitate folita & ex in„nata Nobis pietatis Clementia nec per errorem aut improvidè, fed ex certâ noftrâ „fcientiâ authoritate Romanâ Regia gratiofiùs confirmamus. Nulli ergò omninò homi„num liceat hanc noftræ approbationis, ratificationis, innovationis, conceffionis & con„firmationis paginam infringere. Siquis autem hoc attentare præfumpferit, pœnas in „dictis Caroli IV. litteris contentas fe noverit incurfurum. Datum Viennæ fub noftræ „Majeftatis figilli appenfione feptimâ die Aprilis anno Domini millefimo quadringentefi„mo quadragefimo fexto. Ad mandatum Domini Regis Cafpar Cancell. Referend.

Porrò in Canoniâ noftrâ Georgio-Montanâ etiamnum clarè fervantur plures aliquot Summorum Pontificum Bullæ.

Bulla Cæleftini Papæ.

Cæleftinus Epifcopus Servus Servorum Dilectis Filiis Præpofito S. Georgii propè Goslariam, ejusque Fratribus tam præfentibus quàm futuris Canonicè fubftituendis in per-

perpetuum &c. Religiosam eligentibus vitam Apostolicam convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus eos aut ex proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Eapropter Dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam Montis S. Georgii propè Goslariam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum & B. Augustini regulam in eo loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Prætereà quascunque possessiones, quæcunque bona in præsentiarum justè & Canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, aut aliis justis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrísque Successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est cum pertinentiis suis, Sylvam, quæ dicitur Al Goslariæ contiguam cum universis agris cultis & incultis, quidquid est inter duas publicas & antiquas vias, unam quæ Immenerath, & alteram quæ Benignerath ducit (hìc Monasterii bona ulteriùs inseruit Summus Pontifex, & tandem ita concludit) Decernimus ergò, ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integrè conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Siquæ igitur in futurum Ecclesiastica seu sæcularis Persona hanc nostræ constitutionis paginam violaverit, aut sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertióve commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorísque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & â sacratissimo Corpore & sanguine Dei & Domini Nostri Redemptoris aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat: cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit Pax Domini Nostri JEsu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Eandem Bullam manu propria subscripsit Summus Pontifex cum viginti Cardinalibus.

Bulla Joannis Papæ XXII.

Joannes Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Præposito & Conventui Monasterii Montis S. Georgii prope Goslariam per Præpositum soliti gubernari Ord. S. Augustini Hildesimensis Diœcesis Salutem & Apostolicam Benedictionem. Solet annuere Sedes Apostôlica piis votis & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter Dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia, vel alias indulgentias Vobis & Monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus & Principibus & aliis Christi fidelibus rationabiliter Vobis & Monasterio prædicto indultas, sicut eas in præsentiarum obtinetis, Vobis & per Vos Monasterio prædicto authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenione Calendis Aprilis Pontificatus nostri anno tertio.

Bulla Bonifacii Papæ IX.

Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Præposito & Conventui Monasterii Montis S. Georgii extrà muros Oppidi Goslariensis per Præpositum soliti gubernari Ordinis S. Augustini Diœcesis Hildesemensis Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum à Nobis petitur, quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quàm Ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem Officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter Dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras & Locum, in quo divino mancipati estis obsequio cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futuris justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub Beati Petri protectione suscipimus, atque jura, omnésque libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus sive per privilegia vel alias Indulgentias Vobis & Monasterio Vestro concessas, nec non libertates omnes sæcularium exactionum à Regibus, Principibus, & aliis Christi fidelibus vobis & eidem Monasterio vestro concessas, specialiter autem Decimas, terras, possessiones

ſiones Parochialem Eccleſiam in Suanebeke Halbeſtadienſis Diœceſis, quam in proprios uſus canonicè poſſidetis, & alia bona veſtra Vobis & per Vos eidem Monaſterio veſtro authoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, Nulli ergò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis & communitionis infringere vel ei auſu temerario contraire, Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum pridie nonas Junii Pontificatus noſtri anno decimo.

Bulla Clementis Papæ V.

Cùm à nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effeĉtum. Eapropter Dileĉti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu omnes libertates & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſive per privilegia vel alias Indulgentias Vobis & Monaſterio veſtro prædiĉto conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſæcularium exaĉtionum à Regibus & Principibus ac aliis Chriſti fidelibus Vobis & Monaſterio prædiĉto indultas, ſicut ea omnia in præſentiarum obtinetis, Vobis & per Vos eidem Monaſterio authoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenione nonis Junii Pontificatus noſtri anno quarto.

Continentur itidem in Archivio Georgio-Montano etiam Litteræ Confraternitatis ab Epiſcopo & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Mindenſis cum Præpoſito & Canonicis Montis S. Georgii initæ, quas ſervamus usque modò cum ſigillo ſuo adhuc integro & incorrupto munitas, eásque ſub hujuſcemodi tenore conſcriptas: Annò per miſericordiam Dei Epiſcopus in Eccleſia Mindenſi, & Thettmarus Præpoſitus, Conradus Decanus, cæteríque Fratres Eccleſiæ B. Petri in Minda Reverendo & in Chriſto ſemper ampleĉtendo Henrico Præpoſito in monte S. Georgii propè Goslariam, cæteríſque ejusdem Eccleſiæ Dileĉtis Fratribus cum aſſiduis orationibus intimum fraternæ dileĉtionis obſequium.

Conſtat omnium Catholicæ Eccleſiæ Filiorum pietatem & induſtriam non latere, quàm pium ſit & ſanĉtum, Spirituales Viros & Canonicos Fraternitatis conſortia ad Deum ſibi invicem adjuvantia conquirere, & cum diligentia retinere. Idcircò Frater noſter Dileĉtus ſupra memoratus Præpoſitus Henricus ad locum noſtrum veniens diverſis circumſpeĉtis in noſtrâ diſciplinâ & in divinis cultibus agitatis animo ſuo complacuit, & inſedit, noſtram Eccleſiam & nos frequentare, noſtrámque notitiam & amicitiam quærere ſuâ intereſſe judicavit. Quibus habitis quodam adhuc arĉtiori ſemperque manſuro charitatis nexu Nobis adſtringi cupiens, non ſibi tantùm & duobus fratribus, qui ſecum venerant, Azzo Presbyter & alter Theodoricus Diaconus appellati, ſed & noſtræ Congregationis Univerſitati cum magnæ devotionis ſtudio fraternitatis & Societatis noſtræ conſortium poſtulavit, & Nos nihilominùs cum magnâ omnium Fratrum noſtrorum benevolentiâ, tam pro veſtræ religionis & diſciplinæ, quam in ipſo cognovimus, reverentia, tum pro ipſius, quæ intimè diligimus, intuitu conceſſimus, ut eadem de ipſius manu nihil de veſtræ voluntatis identitate diffidentes recepimus. Certam itaque fiduciam Orationum, & aliorum, quæ ſunt Fratrum participationes, præſentibus ſcriptis per manus Dileĉti Præpoſiti Vobis porrigimus, & litterarum veſtrarum viciſſitudinem, cùm tempus juverit, expeĉtamus. Si verò Præpoſitus illius loci, vel aliquis veſtrûm ad noſtras feſtivitates ad Deo ſerviendum, & nos videndum ad Nos intrare voluerit, juxta debitum fraternitatis officium eum ſuſcipiemus, & hoſpitalitatis gratiam cum omnibus ſibi neceſſariis adjunĉtis illi præſtare curabimus. Si verò de Collegio veſtro aliquem Goslariam intrare contigerit, eandem gratiam & fraternam curam cum fraterna dileĉtione recipere non recuſamus. Hanc igitur præſentem paginam ad firmamentum ſanĉtæ devotionis, & ob immortalem memoriam hujus rei conſcribi voluimus, & ad notitiam futuram in perpetuum valituram apud nos cuſtodiri mandavimus. De cætero Societatem veſtram incolumem cuſtodiat, qui ſuum Iſrael in cuſtodiendo non dormit, neque dormitat.

Inter Benefaĉtores primarios enumerat noſtra Montis S. Georgii Canonia Bertholdum & Bernardum ambos Epiſcopos Hildeſianos, quorum ille in conſecratione Monaſterii Altare S. Georgii, hic in conſecratione Chori Altare B. Mariæ Virginis & S. Georgii liberaliſſimè dotavit.

Annô 1527. Cùm Monasterium in Monte S. Georgii per tot centenos annos à Canonicis Regularibus Ord. S. Augustini honorificè ac laudabiliter secundùm Deum Catholicè, Religiosè, justéque possessum & obtentum, ne in servitio divino diurno paritérque nocturno sub regula ejusdem S. P. Aurelii Augustini strenuè incolatum; hoc, inquam, insigne ac Imperiale templum instar Ecclesiæ Imperialis Aquisgrani duplici testudine extructum, temporibus illis omni malitiâ refertis à filiis iniquitatis, & à Senatu ac Civibus Goslariensibus nullâ prorsùs causâ, nec ullis Canonicorum inibi inhabitantium culpis quoad eos (salvo judicio Dei occulto) instigante Diabolo, armatâ manu spoliatum, ac tandem miserabiliter igne exustum fuit, quando nimirùm eodem anno, ipso die festo S. Mariæ Magdalenæ, Religiosis Canonicis divina peragentibus, Goslariensium Consul Joannes Widenmann cum tribus aliis de Senatu Politico delectis, ac multis aliis Civibus, ac cohorte Militum suorum armis instructa, sine ullâ prævià monitione sæpefatam Canoniam occupantes, deprædantes, & spoliantes, omnésque arbores duorum egregiorum hortorum succidentes, tandem igne concremantes omnia ædificia, unà cum elegantissimâ illa Imperiali duplicis testudinis Ecclesiâ prô dolor! penitùs incinerârunt, campanas residuas ac fragmenta campanarum quarundam in turribus vi caloris conflagratarum unà cum plumbo tectorum, reliquisque spoliis in Civitatem in publicam Senatûs habitationem vulgò Domum Cæsaris, cum curru Senatûs abduxerunt. Tumbas quoque sive receptacula Reliquiarum ab Altaribus recipientes in terram pedibus conculcandas abjecerunt, in injuriam Dei & Divorum ejus. Sequentibus autem diebus & annis Ecclesiæ ac cæterorum ædificiorum muros cum Turribus ad fundamentum usque jussu Senatûs vicinatim Cives demolientes lapides pro suo libitu ad usus profanos publicos & privatos deportârunt.

Absolutâ igitur malitiosa ac sacrilega demolitione, Nobilissimæ hujus Canoniæ tam munificè à Regibus, Imperatoribus, & aliis Magnatibus dotatæ tam liberaliter ab iis in omnibus bonis, Privilegiis, gratiis, libertatibus & Juribus approbatæ, innovatæ & confirmatæ meritissimus tunc temporis Præpositus Cosmas Hartmann unà cum Canonicis suis ad Curiam quandam, sive allodium ad dimidium circiter milliare ad partem aquilonarem Goslariâ sejunctam nomine Thetwardigerode communius hodiè *Grawhoff* nuncupatum ad habitandum, & in sacello ad hoc constructo pro modulo loci divina continuanda summâ necessitate compulsus commigravit. Non dubitavit autem Vigilantissimus Præpositus & Capitulum Georgio-Montanum pro hujusmodi violentia damnis & spoliis contra Deum & justitiam, contráque omnia Pontificia & Imperialia privilegia & immunitates à Goslariensibus attentatis, eosdem coram Judicio Cameræ Imperialis juridicè convenire. Processu juris legitimo per quatuordecim penè annos contrà eos habito, tandem sententiam definitivam: non modicum allaborante Henrico Juniore Brunsuicensium ac Lüneburgensium Duce eo tempore Diœcesin Hildesiensem occupante, adeóque ex hoc capite ruinam Canoniæ prædictæ vindicante) anno 1540. die Mercurii 27. Octobris contrà præfatos sæpè Goslarienses pro omnimodâ ac plenaria restitutione omnium illatorum damnorum ac refusione expensarum juridicè ac publicè obtinuerunt. Cúmque post obtentam hujusmodi sententiam restitutionis pro executorialibus ac taxatione expensarum ad Summam centum duo millia aureorum, & ultrà ascendentium (non computatis expensis à Principe Brunsuicensi in hac causa pro parte Præpositi & Capituli facti) prædicti Præpositus & Conventus coram eodem supradicto Imperiali judicio instarent, ac restitutionem realem & quidem cum effectu in dies sperarent, ecce subitò iidem Goslarienses malum malo cumulantes aliam violentiam & spolium contra eosdem Præpositum & suos, & sine eorum causâ & occasione, solâ odii libidine, in ultionem obtentæ sententiæ, ac proprii commodi intuitu, de facto attentârunt. Anno enim 1542. post Recessum Ratisbonensem nocte S. Panthaleonis (27. Julii) cùm Canonici Georgio Montani unà cum totâ familiâ in Curiâ suâ Grauenhofiensi, unico post incendium S. Georgii montis refugio, commorarentur, nihil minùs quàm Goslariensium irruptionem metuentes, jamjam iidem Cives, eorum filii, servi, equites & pedites tympano præeunte, in prænominatam Curiam armatâ manu magnisque clamoribus per diversa loca infringentes irruperunt, ac Religiosos, familiámque omnem subito timore perculsam è Curia fugârunt, quosdam de servis in piscinas cum manifesto submersionis periculo impulerunt. Sequenti autem mane longè major & copiosior multitudo Civium è Civitate ad dictam Curiam advolans, quidquid inibi de frumentis, pecudibus, utensilibus, vasisque & suppellectili omnium officinarum, uti & de lignis ædificatoriis trabibúsque quercinis, & abjegnis asseribus invenerant (adductis ad hoc ultrà quadraginta curribus) totum in Civitatem Goslariensem vehendo, & portando humeris & manibus, velut publicum spolium & rapinam per aliquot dies abduxerunt. Et quædam quidem ex his in publicam Senatûs Custodiam vulgò *Marstall* appellatam, quædam verò promiscui Cives & aspernabile vulgus inter se dividentes, quisque quod rapuerat, in domos suas, propriúmque commodum invexerunt.

Inter

Inter hæc Cives aliquot in ædibus Grauenhofianis ædificia tria vel quatuor ſuperiùs aſcendentes, tecta demoliebantur, dejiciebántque, intùs autem temerario auſu confregerunt januas omnes, feneſtras, cameras, & habitacula, & hæc quidem fecerunt feneſcente Menſe Julio die 28. 29. & 30. ejusdem. Poſt hæc Curiam antedictam vi & facto cœpit occupare Chriſtianus Balder Conſul Goslarienſis, certos quosdam inibi ſubſtituens Officiales, & Præfectum ſpecialiter in id deputatum, qui piſcinas omnes ad Religioſum Conventum adſpectantes, evacuari fecit, frumenta omnia ſacrilegè rapuit & abduxit, fruges ad meſſem maturas demeſſuit, ligneta devaſtavit, Decimas violenter ſibi appropriavit, cenſus ac reditus Monaſterii tam extrà quàm intrà Goslariam ſolvendos, ſui juris fecit: item alios hujuscemodi cenſus ſeu proventus unà cum Decimis apud Officiales Wolfenbütelanos Præpoſito & Conventui debitos impedivit, ſicque ea res pro parte Goslarienſium magnam patiebatur difficultatem, ſiquidem Dux Saxoniæ, & Landgravius Haſſiæ unionis Smalcaldicæ illius famoſæ primarii Conditores (quibus in hac parte addictiſſimi fuerunt etiam Goslarienſes) plusquàm hoſtiliter invaſerunt etiam Diœceſin Hildesheimenſem, Henrico Juniore Duce Brunſuicenſi ſupradicto id temporis itidem in exilium abire coacto; quo triſti fato Grauenhofienſes à Domino rurſùm in arcto poſiti, vitam vixerunt planè miſeram, videlicet omnibus vitæ temporalis neceſſitatibus omnimodè deſtituti. Taceo hic, quòd iidem ſæpè nominati Goslarienſes eâdem temeritate, quaſi pejores ſeu fortiores redditi, Monaſterii hujus noſtri Arcam cum litterariis Documentis, ut putà litteris, privilegiis, & ſigillis jam ante plures annos in primariâ Goslarienſi Eccleſia reconditis, violenter effractam fœdè diripuerint, ac ſui Juris fecerint, quam omnem hujuscemodi Cataſtrophen prolixo quidem ſed ſimplici ſolùm Stylo deſcripſit Anonymus Religioſus Domicellus, ſeu Regularis quidam Canonicus Grauenhofienſis, vel ille ipſe, qui calamitoſis temporibus iſtis præfuit Venerabilis Dominus Coſmas Præpoſitus ſupradictus.

Reſtituto tandem in plenam ditionis ſuæ poſſeſſionem Henrico Duce Brunſuicenſi, ſæpè hactenùs memorato, idem ipſe Sereniſſimus Princeps fortiter auſus intolerabiles Goslarienſium inſolentias prout potuit omninò compeſcuit, conſtanter inhærendo ſententiæ Banni Imperialis contra Goslarienſes, adeò tumultuantes, proclamatæ, eóque tandem res devenit, ut anno 1552. ad debitiſſimam tot injuriarum, illatorúmque damnorum recompenſationem Henrico Duci ſæpedicto ſeſe ſubmiſerint rebelles. Compoſitionis locus conſtituebatur Canonia Richenbergenſis, ad quam ex Civitate ſæpèdicta primarii Civium Plenipotentes confluebant, ubi quas ſcelerum ſuorum pænas dederint, teſtantur deſuper erecti articuli, feróque lugent, dum hodiedum ingentibus privilegiis & bonis irreparabili, ſed benè promerito damno ſeſe exutos conſpiciunt. Duce itaque ratione violati territorii Hildeſienſis, aliarúmque injuriarum & expenſarum ſatisfactione in quatuor primis articulo quinto præcipuè Domino Præpoſito Montis S. Georgii, ejúsque Capitulo pro illato damno ſe ſatisfacturos firmiſſimè obligârunt. Verùm Henrico Juniore Duce viam univerſæ carnis jam ingreſſo, res in terminis ſolummodò puræ obligationis permanſit, Succeſſor Filius (ſi Letznero fidem habeas) Lutheraniſmo in hiſce partibus prædominante Eccleſiarum & Monaſteriorum Reformationem (veriùs deformationem dixeris) meditari incæpit. Itaque Canonici Regulares migrare compulſi ad tempora Belli Suecici, exules fuêre, alternante verò triumpho Tillii, & Regis Sueciæ, alterna fuit reductio & ejectio, usque dum ope Sereniſſimi Archi-Epiſcopi ac Electoris Colonienſis Ducis Bavariæ ac Epiſcopi Hildeſienſis, & Ferdinandi, Anno 1643. Diœceſi Hildeſienſi recuperata, Monaſteriorúmque facta reſtitutione, plena Pax, uti deſuper Receſſus Brunſuicenſis erectus teſtatur, in memoratam Diœceſin inveheretur.

Igitur authoritate Capituli Windeſemenſis hiſce partibus ad quietem ſeſe componentibus, Canonia Montis S. Georgii nunc *Grauenhoff*, Curæ ac præſidio Reverendiſſimi Ampliſſimíque Domini Conradi Götten Canoniæ Bodecenſis Profeſſi eſt demandata, qui, ſufficiente Sacerdotum numero ſecum adducto, extemplo cæpit divinum promovere cultum, eóque intra 16. annos, quibus laudatiſſimè præfuit Canoniæ Georgio-Montanæ, res tam in Spiritualibus quàm temporalibus perduxit, ut Religioſiſſimi atque Optimi Prælati nomen apud Poſteros ſibi conciliarit, Succeſſorem in Præpoſiturali Dignitate habuit Reverendiſſimum Ampliſſimúmque Dominum Liborium Hennepöel Canoniæ Georgio-Montanæ Primum à reſtitutâ Diœceſi Profeſſum, primum, qui ſingulari prudentia non ſine labore, ac ſumptibus Archivum Georgio-Montanum ex occultis detentorum manibus (in quibus jam diu latitârat) redimendo eripuit. Primum, inquam, qui Canoniam Georgio-Montanam ad hanc Religioſæ Domûs formam cum ædificiis reliquis hortísque circumiacentibus è fundamento excitavit, Profeſſorúmque Canonicorum numerum ad decimum octavum perduxit. Cui demum anno 1690. ſucceſſit modernus Reve-

 ren-

rendissimus & Amplissimus D. D. Præpositus Bernardus Goëken totius inclytæ Congregationis Windelemensis Generalis, vir æternâ sui memoriâ nunquam satis commendandus, & verè è cœlo tanquam novus Fundator missus: qui Canoniam hanc raris suis virtutibus ac dotibus adeò illustravit, atque ad eam dignitatem, gloriam, & splendorem tum in spiritualibus, tum in temporalibus evexit, ut quidquid præteritorum temporum injuria perierat, in hoc uno jam longè gloriosius reflorescat. Cæterùm totam, quam recensui alternantis fortunæ historiam grato compendio exhibet sequens *Echo Reciproca*, in solennibus novæ Ecclesiæ Encæniis ab Admodum Reverendo & Clarissimo D. Henrico Eickendorf hujus Collegii Canonico, & SS. Theologiæ Professore, præter alia raram artis Poëticæ peritiam commendantia typis vulgata annô 1717. die & Dominica 1. Augusti, quam in gratiam curiosi Lectoris & laudem ingeniosi Auctoris hîc subjicio.

Echo Reciproca
super hac materia:
sive vox *Religionis*,
Statum, & Causas feralis exustionis
Montis S. Georgii,
inquirentis & deplorantis,
& vox *Spei* respondentis & consolantis.

Religio. O intra Hercyniæ montes resonabilis Echo!
Nunc responsa mihi, nunc mihi verba refer.
O Dea plangenti plangens, flens flentibus Echo!
Flenti, plangenti nunc mihi verba refer.
Altius ingemino, mea vox, resonabilis Echo!
Veris vera loqui conscia, verba refer!
Usque taces? loquere, ô mea vox, mea nænia, *plangor!*
Echo. Angor. (*Religio*) nostra tibi nænia *grata*? (*Echo*) *rata.*
R. Te juvat ergo mihi fera fata *revolvere*? E. *verè.*
R. An tua vox aderit, dum mea *quærit*? E. *erit.*
R. Dic, quibus usta jacet Georgî Curia *turbis*?
E. *Urbis.* R. An à Gosa quæ sibi *nomen habet*?
E. *Omen habet.* R. Potuit scelus hoc quis in Urbe *tumultus*?
E. *Multus.* R. Busta sacris ædibus ille *dedit*?
E. *Edit.* R. Tecta Dei? Geticus fuit ille *tumultus*.
E *Ultus.* R. Hic ô pœnas criminis ergo *luit*?
E. O *luit.* R. An montes & Sylvæ vos mihi *testis*?
E. *Estis.* R. An amissa hinc, dic mea *Nais*? E. *ais.*
R. Non fuit ergo Domus jacturis hisce *novata*?
E. *Fata!* R O fata nimis barbara, dura *nimis!*
E. *Imis.* R. Heu! imis: nescit sors tangere *primos*?
E. *Imos.* R. Ah ædes, ima *domûsque jacent.*
E. *Usque jacent.* R. Diris eheu! tumulata *favillis*?
E. *Illis.* R. Nympha mihi *collacrymare.* E. *mare.*
R. Ut mare fletus eat; sint *flumina.* E. *Lumina.* R. Vultus
Biblidos in fontem se *variabit.* E. *Abit.*
R. Ah ubi nunc templum quintuplice turre *venustum*?
E. *Ustum.* R. Herostra — quis hoc urere *pravus*? E. *Avus.*
R. Digna Diana tuo fuit ista tragœdia *fano*:
E. *Vano.* R. Sed sacrum sic quoque *lædit*? E. *Edit.*
R. Quid tenuêre isti tumuli, nunc diruta *fossa*?
E. *Ossa.* R. Scelus quodnam diruit ossa *Patrum*?
E. *Atrum.* R. Vah! atrum, duce te Plutone *peractum.*
E. *Actum.* R. Ceu fuerint os *animale*? E. *malè.*
R. O ubi campanæ festo clangore *sonantes*?
E. *Nantes.* R. Vulcanus sic liquefecit *atrox*?
E. *Fecit atrox* R Calles an fluminis instar *inibant*?
E. *Ibant.* R. Nil eheu! nunc nisi *fumus*? E. *humus.*
R. Ah super hoc busto tu conscia Magdala *Plora.*
E. *Ora.* R. num precibus *restitueris*? E. *eris.*

R. In

R. In cinere usque tuo tamen, ô Mons ſancte, *ſeneſcis!*
E. *Neſcis.* R. An Phœnix fors redi*vivus eris?*
E. *Vivus eris.* R. Num Sors ſuccedet *proſpera?* E. *ſpera.*
R. Et nova conſurget fabrica cond*ita?* E. *ita.*
R. Ploratum ſatis eſt: tuus abſit nænia *fletus.*
E. *Lætus.* R. Ohe lætam me fore *reris?* E. *eris.*
R. Ergo valete graves leſſus, fer jubila *Clio.*
E. *Jo.* R. Sis nobis lux per*amica.* E. *mica.*
R. Vos quoque vos Charites ad gaudia tanta *venite.*
E. *Ite.* R. Sonet felix undique *clamor.* E. *Amor.*
R. En nova conſurgit, melior quàm perdita, *ſedes.*
E. *Ædes.* R. Fatorum dulce le*vamen.* E. *Amen.*

Continuationem aut completum Præpoſitorum Catalogum forſan hic exſpectâſſet Lector? Adibam quidem Litteris Reverendiſſimum Celeberrimæ hujus Canoniæ Antiſtitem DD. Henricum Eickendorfium, ex doctiſſimis ejus Operibus & Concertationibus Polemicis adverſus Bertlingium mihi notiſſimum, verùm, quod meo infortunio factum, adibam jam ante menſem, quod neſciebam, mortuum. Requieſcat Ille à Laboribus ſuis nunc Coronatus in cœlis! cur verò hoc mortuo nemo ex viventibus reſpondit? An cum doctiſſimo Præſule etiam tumulo illata ſunt Grauhofienſes Muſæ? quid ad hoc Echo? quid Religio?

R. Obtigit Henrici meritis dic quale *ſepulchrum!*
E. *Pulchrum*, nam Muſas intulit ille ſimul.

GRETTENTHAL,

Seu ab aliis rectiùs Greiffenthal dicendum, item alicubi etiam Marienthal appellari ſolitum, Venerabile quondam Ordinis Canonico-Auguſtiniani Parthenæum, in inferiori Alſatia & Vicinia Imperialis Civitatis Hagenoënſis ſuperiori ætate conſpicuum, inde tamen ſub decurſum ſæculi decimi ſexti temporum pravitate meriſſimè laceſſitam, imò & penitùs extinctum; de quo proin haud ampliùs inveſtigare licuit, præterquàm quòd Emicho Comes quidam de Leiningen memoratæ civitatis Hagenoënſis Præfectus circa annum 1532. authoritate Cæſareâ conſtitutus, unà cum Illuſtriſſimâ Domina Clara de Vinſtingen Conjuge ſuâ in remedium animæ ſuæ pro Anniverſario perpetim celebrando legarit quinque medimnos tritici, & ſic quidem atteſtante Bernardo Hörzog in Chronico Alſatiæ. Lib. 3. cap. 15. fol. 49.

GREVENRATENSE,

Prænobile quondam & perantiquum Windeſemenſis Congregationis Parthenium, ſuperiori ætate intra fines Metropolitanæ Diœceſis Colonienſis inclytum, refertur inter ea Religioſarum Virginum Contubernia, quæ per Venerab. Patrem ac Dominum Joannem de Puteo Priorem Noveſianum & Succeſſores illius poſt annum 1417. fuerunt vel de novo reformata, vel ad meliorem obſervantiam redacta, ac dein Correctioni ac Viſitationi Prioris Noveſiani pro tempore exiſtentis perpetuis futuris temporibus ſubjecta.

GRIESENSE,

Seu taliter uſitato nomine, vulgò *Grieſ* nuncupari ſolitum, antiquitus verò *Augienſe* dictum, quod ætate noſtra perinclytum apprimè floret Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini de Congregatione Lateranenſi Monaſterium in Archi-Ducali Comitatu Tyrolenſi ſub Diœceſano Limite Tridentino comprehenſum; de quo ſive de primævo ortu & progreſſu illius hiſtoricam Deſcriptionem obtinere licuit ſequentem:

Anno Chriſtiano 1160. Illuſtriſſimus ac Generoſiſſimus Dominus Dominus Arnoldus Comes de Morith & Greiffenſtein &c. ſtatu & ordine militari præclarus cum Conthorali ſua, itidem Illuſtriſſima Domina Mechtilde nata Comitiſſa de Valaji in Bavaria, in honorem Intemeratæ Virginis Deiparæ, & Præcurſoris Domini S. Joannis Baptiſtæ., & alterius S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, pro Canonicis Regularibus Inſtitutum habitum & Ordinem S. P. Aurelii Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi & Eccleſiæ Doctoris legitimè profeſſis propriis ſumptibus ſuis novam ex fundamento inædificarunt Eccleſiam, & adjunctum ei Cœnobium, & quidem in fundo communiter in Augia ſeu *in der Awe* locatum; cui poſtmodum anno 1167. de prævio, quorum intereſſe potuit, aſſenſu gratioſè in id con-

condonato lætus immigravit Henricus quidam de gremio seu Choro Claustro-Neoburgensi in inferiori Austriâ cum honoratissima Religiosorum Virorum Colonia isthuc adductus, quod potissimum factum est Authoritate Apostolica clementissimè comprobante Alexandro Papa IV. nec non plurimum inde sibi congratulante loci Ordinario Salomone S.R. J. Principe & Episcopo Tridentino, Provinciam seu Comitatum Tyrolensem id temporis gubernante Henrico II. Henrici I. Filio, qui Dux Bavariæ, Saxoniæ, Brunswici &c. cognomento *Leo* dictus, multam laudem habet apud Scriptores Chronographos & alios, nominatim etiam apud Adamum Comitem à Brandis in Chron. Tyrol. part. I. fol. 105.

Anno 1189. Idem Augiense Cænobium recens (ut dictum est) pientissimè fundatum Augustissimus Princeps Fridericus I. cognomento Barbarossa dictus è Ducibus Sueviæ Romanorum Imperator secundùm omnem fundationem suam clementissimè confirmavit, sed & in specialem suam ac Imperii tuitionem recepit; quod idem præstitit etiam Fridericus II. itidem Imperator & Sueviæ Dux, ac demùm etiam Fridericus III. (aliis IV.) Imperator Archi Dux Austriæ Comes Tyrolis &c.

Eidem novæ fundationi Augiensi, paulò post cujuscunque demum pia liberalitate superaddita fuit foranea quædam Capella, Christi Martyribus SS. Cosmæ & Damiano Germanis fratribus dicata, continens insignes aliquot ipsorummet Martyrum reliquias, quas prisca ætate populo terræ fortè parùm notas, nostris tamen temporibus celebres admodum reddunt Convenæ & Advenæ, qui devotionis causa numero plures quàm plures sæpiùs illthuc affluunt, sed vel maximè crebra miracula singulari ope Divinâ & glorioso eorundem Martyrum patrocinio isthic impetrata.

Anno 1321. Auctorante Hermanno S. R. J. Principe & Episcopo Tridentino sæcularis quidam Prioratus, tempore & authore non notato, in vicina quadam Capella Mariana fundatus & institutus, antedicto Cænobio Augiensi Religiosis Canonicis, pro augmentando congruæ sustentationis subsidio, cum queisvis juribus, & attinentiis suis fuit additus, ubi etiam in eâdem Capellâ antedictâ sat magnam habet venerationem Venerabilis quædam Statua Divæ Virginis, Deiparæ inibi supra altare conspicua.

Anno 1328. Parochialis Ecclesia S. Genesii Martyris Romani (cujus memoria Martyrologio Romano inscripta notatur die 25. Augusti) ab eodem Altefato Principe & Episcopo Henrico Augiensi huic Cænobio pariter piâ donatione in perpetuam ac plenam possessionem tradita fuit cum Jure Patronatus & reliquis Juribus attinentibus perpetuo tenendâ.

Anno 1394. Episcopale Solium Tridentinum tenente Gregorio Antistite dignissimo, Regulari Canoniæ huic Augiensi itidem gratioso piæ donationis titulo collata fuit, eidemque simul pleno jure combinata & incorporata (uti vocant) Parochialis quædam Ecclesia suo nomine *Mörlingen* appellari solita.

Anno 1413. ad instantiam Principis terræ (qui pro tempore fuit Albertus II. Romanorum Imperator Rex Boëmiæ & Archi-Dux Austriæ & Comes Tyrolis &c. &c. anno Christi 1439. ætatis 45. die 27. Octobris Albæ Regali in Pannonia mortuus & sepultus) satagente plerumque loci Ordinario Gregorio Liechtensteinio S. R. J. Principe & Episcopo Tridentino, sed vel maximè cooperante Ven. Domino Jacobo Monasterii Canonicorum Regularium ad S. Michaëlem cis Athesin Præposito, Commissario Authoritate Apostolica specialiter in id delegato; Parochialis Ecclesia (quæ hodie Collegiata regularis est) in Gries pleno jure sæpedicto Cœnobio in propriam possessionem fuit addita & incorporata, ac proin talis perpetuis futuris temporibus (faxint Superi!) constantissimè permansura; de qua eadem donatione seu incorporatione unicè sibi congratulantur & in Domino congaudent Canonici Griesenses.

Anno 1415. Joannes Papa XXIII. perdurante etiamnum Generali Concilio Constantiensi, Venerabili Domino Christophoro Præposito Augiensi motu proprio clementissimè contulit usum Mitræ Præsularis & reliquorum Ornamentorum Pontificalium, perpetuis futuris temporibus de more tenendum & usurpandum, hujuscemodi privilegio ad quosvis etiam in Prælatura Augiensi (hodie Griesensi) Successores devoluto. Martinus V. Successor in Solio Papali proximus primo statim sui Pontificatus anno robur Confirmationis addidit per propriam Bullam de dato Constantiæ 1417. quarto Calendas Decembris.

Anno

Anno 1699. satagente Reverendissimo Prænobili ac Amplissimo Domino Domino Francisco Josepho hujus Griesensis Canoniæ Præposito eadem ipsa Inclytæ Congregationi Lateranensi de more solemni fuit addita, combinata, & incorporata, queisvis Lateranensium Canonicorum Juribus ac privilegiis simul additis honorificata & donata.

Nomina Præpositorum Regularis Canoniæ primùm Augiensis, hodiè Griesensis suo loco descripta habentur sequentia.

I. Heinricus I. Præpositus in Augia institutus ab Alexandro tertio Pontifice Maximo anno 1167.
II. Joannes Præpositus in Augia.
III. Dythmarus.
IV. Udalricus, qui anno 1204. resignavit Prælaturam. Isti quatuor rexerunt ab anno Domini 1167.
V. Conradus electus anno 1204. obiit anno 1222.
VI. Gotschalcus obiit anno 1234.
VII. Octagrus obiit anno 1245.
VIII. Bernherus obiit anno 1264.
IX. Henricus II. Mulser cognominatus obiit die 1. Junii anno 1292.
X. Anglmarus obiit anno 1295.
XI. Leopoldus obiit anno 1299.
XII. Henricus III. obiit anno 1302.
XIII. Dyetricus I. obiit anno 1305.
XIV. Berchtoldus obiit anno 1329.
XV. Henricus IV. obiit anno 1341.
XVI. Joannes II. de Suneburg obiit anno 1354.
XVII. Dyetricus II. obiit anno 1361.
XVIII. Joannes III. obiit anno 1385.
XIX. Joannes IV. ultimus Præpositus in Augia obiit anno 1408.
XX. Christophorus Primus Infulatus ad Portam clausam B. M. V. in Gries obiit anno 1417.
XXI. Jacobus I. Præpositus in Gries. obiit anno 1433.
XXII. Joannes V. obiit anno 1438.
XXIII. Joannes VI. obiit anno 1439.
XXIV. Hartungus obiit anno 1455.
XXV. Conradus II. obiit anno 1461.
XXVI. Wilhelmus obiit anno 1462.
XXVII. Joannes VII. Saler dictus obiit anno 1467.
XXVIII. Joannes VIII. obiit anno 1491.
XXIX. Gregorius I. Reichsdorffer obiit anno 1491.
XXX. Henricus V. obiit anno 1503.
XXXI. Mathæus obiit die 25. Julii anno 1506.
XXXII. Leonardus I. Gwinn. obiit 22. Martii anno 1512.
XXXIII. Ambrosius obiit eodem anno 1512.
XXXIV. Joannes IX. obiit anno 1515.
XXXV. Melchior Parth obiit anno 1521.
XXXVI. Albertus obiit die 23. Augusti anno 1532.
XXXVII. Hypolithus obiit anno 1533.
XXXVIII. Casparus Trester obiit anno 1539.
XXXIX. Augustinus Pertzl. obiit anno 1543.
XL. Joannes X. obiit anno 1566.
XLI. Leonardus II. Widmann obiit anno 1571.
XLII. Paulus Schretter Tyringa obiit anno 1596.
XLIII. Conradus III. Seyfrid obiit anno 1597.
XLIV. Nicolaus Schueler Francus obiit anno 1621. die 20. Martii.
XLV. Balthasarus Baur de Weilhaimb obiit anno 1638.
XLVI. Mathias Braun resignavit Prælaturam anno 1656.
XLVII. Joannes Chrysostomus Haberle postulatus ex Neo - Cella anno 1656. obiit die 5. Novembris anno 1674.
XLVIII. Jacobus de Fridericis Canonicè electus 21. Novembris 1674. obiit die 14. Martii anno 1695.

XLIX. Gregorius II. Thayrer Canonicè electus 12. Aprilis anno 1695. obiit die 13. Septembris anno 1698.

L. Franciscus Josephus Schaitter à Lebmonsegg Canonicè electus die 2. Octobris anno 1699. Modernus Prælatus &c. &c.

GRÜNBERGENSIS,

Taliter inaudit Regularis quædam Canonia in partibus Silesiæ, & quidem in noto Provinciæ hujus Ducatu Gloggaviensi vel olim inclyta, subinde tamen eadem hæc famosæ illi Comprovinciali Abbatiæ S. Mariæ de Sagano superaddita & incorporata. Hæc autem condita fuisse perhibetur anno 1427. authore Henrico Duce Freystadiensi, atque isthic loci substiterunt Viri Religiosi duodecim & amplius, omnes & singuli Sacros Canones Augustinianos devotissimè professi; verùm nostra ætate, & quidem jam ab immemoriali tempore quæcunque Grünbergensis Canoniæ hujus bona & latifundia (quo jure vel titulo omninò latet) tenentur, & sunt in manibus & potestate Civitatis Grünbergensis; ipsa autem Præpositura (loco domicilii hujus usque hactenus nec quicquam immutato) inofficiatur hodiè per Presbyterum quendam Sæcularem, cui titulus Præpositi etiamnum manet integer, & vicissim Saganensis Abbatia antedicta à memorata Civitate Grünbergensi quot annis recipit censum 30. Imperialium, & sic quidem in recognitionem Dominii bonorum Præposituræ hujus solvendum.

GURCENSE,

Collegium Cathedrale Provinciæ Salisburgensis apud Carantanos hodiè florentissimum. Hoc ad annum circiter 1056. primitùs instituisse proditur Illustrissima Matrona S. Hemna, Patre Engelberto Comite de Peylstein, Matre verò Tutta progenita, quæ, teneris ac juvenilibus annis in Gynecæo S. Chunegundis Imperatricis ad lucidissimum Consodalium exemplum plenariè traductis, Wilhelmo Landgravio Frisacensi & Zoltschachensi in Carinthia quondam S. Henrici Imperatoris Aulico in matrimonium collocata, binos ei dedit filios, Wilhelmum & Hartwicum, clarissima pignora ad præclarissimam omnignæ pietatis & prudentiæ normam apprimè cultos & excultos: atque isti juveniles annos ingressi, dum Patre ipsorum peregrè profecto, Vicarium regimen subeunt, & ad visendas (quas plurimas habuerunt) auri argentique fodinas aliquando digressi, in vitam & mores Operariorum penitiùs inquirentes, plerósque vitæ profligatioris deprehenderunt: quare in quosvis commissorum criminum reos promeritas pænas de condigno statuentes, unum ex illis de fide maritali turpiter violata legitimè convictum, infami ligno suspendi fecerunt. Propinqui verò & familiares ejus, qui fatales hujusmodi pœnas luit, iniqua miseratione commoti, malo genio fortiter instigante, non nisi vindictæ quantocyùs inferendæ cupidi, illustrissimos Juvenes Wilhelmum & Hartwicum Comites antedictos, post aliquam temporis intercapedinem, jam altera vice ad lustranda opera bona fide delatos, contumeliosè ac rusticano furore violenter aggressi, & quasi in rabiem acti, immaniter trucidarunt ambos: quorum cædem Wilhelmus Pater in sceleratissimos rebelles & homicidas severius animadvertere statuit; quare collecta manu & pactis (quæ Comites Dietrichsteinii, Colnizii, & Malanterii adduxerant) subsidiis instructus, facinorosos ex insidiis obruens & armis subactos potentissimè domuit, ac terribiliter, capitali nempè supplicio in primos nefandi criminis authores statuto, reliquos verò, condonata pænâ, ad labores pristinos dimisit. Post hæc idem Wilhelmus Pater filiis orbus, avitæ Religionis Zelo vehementer accensus, Romam petens ad limina Apostolorum invisit, & remenso in patriam itinere, fatis extinctus sanctissimâ morte diem suum obiit, in Ecclesia (quam S. Laurentio Martyri sacram & largissimis opibus ditatam in loco *Gröberen*, nuncupato construxit) condigno honore sepultus, hodiéque à Popularibus Carantanæ Provinciæ inquilinis, ob sobriam sine labe vitam constantissimè traductam communiter SANCTUS inaudit. Hemma verò Mater de nece charissimorum pignorum pariter instructa, atque dehinc quamvis tota in maximam animi tristitiam & copiosissimas lacrymas effusa, brevi tamen intrà se recollecta, solum Deum vindicem esse voluit, undè æquissimè injuriam certè maximam virili corde pertulit, ac paulò post viduata marito, solum Deum amplissimarum possessionum hæredem ex asse scripsit. Quare protinus fanum (quod nostra nostra ætate adhuc venusto an vetusto magis splendore suo famosum perstat & inclytum) Virgini Deiparæ sacrum, duobus (altero Virginum, Canonicorum Lateranensium S. Augustini altero) domiciliis convenienter adjunctis inædificari constituit; cui de loco ambiguæ boves jugali plaustro (Virginis Matris statua desuper imposita) properanter adornato, in campum emissi alicubi statione sua immobiles

les continuò persistentes, arenam fundandæ Ecclesiæ (ut constans fama est traditio) scitè designârunt. Atque hic præ cæteris notatu dignum esse noveris illud, quod hodiedùm circumfertur, S. Hemmam Fundatricem inclytam, dum parietes Operariorum manibus surgerent, sub crepusculum vespertinum in saxo (quod præter naturam ad instar ceræ liquefactum aptissimi sedilis formam induit, idem præ foribus Cathedralis templi Gurcensis adhuc ætate nostra contuendum) quotidiè considentem, loculis palàm expositis, communem singulis Opificibus & Materiariis copiam fecisse, quantum quisque pecuniarum vellet, ac posset, inde arriperet, neminem tamen illorum ultrà mercedem diurno labori respondentem deprehendisse.

Structura porrò suis numeris undequaque completâ, ipsa Fundatrix S. Hemma sacris operante Balduino Archi-Præsule Salisburgensi, sub annum 1060. in alterius sæculi requiem translato, desideratissimum Canonico-Augustinianæ Religionis habitum induit, septuaginta Virginibus ad piissimum ejusdem Hemmæ exemplum eandem vivendi formulam simul complexis: qua sacra industria quasi fœcundissima Mater filiorum suorum Orbitatem resarcivit, ut quæ duos brevi annorum hujus sæculi spatio victuros amiserat, nacta sit quàm plurimos posteritate, in finem sæculorum non intermoriturâ, laudem ejus decantaturos in ipsa Gurcensi Ecclesia, vertentibus annis in Cathedralem conversa, quando nimirum Gebhardus Comes Helfensteinius, sanctæ memoriæ, Archi-Episcopus Salisburgensis anno 1070. ab Alexandro II. facultatem accepit condendi novam sedem intra fines suæ Diœceseos, à qua facilius, quàm è longinquo Sacra peterentur, & sic sublevarentur curæ Metropolitani; valdè enim operosum tunc erat per longè diffusas Ecclesiæ Salisburgensis Regiones subjectarum animarum commodis, eâ, quâ decet, accuratione deservire. Tota rei gestæ series paucissimis licèt descripta habetur in vitâ ejusdem Gebhardi per Joannem Monasterii Lambacensis in Superiori Austria Abbatem Ord. S. Benedicti anno 1619. edita: ubi fol. 119. ita legitur:

Præfatus quoque Archi-Episcopus (Gebhardus) *priusquam Admontense fundavit Monasterium anno Incarnationis Domini Millesimo septuagesimo secundo, constituit Sedem Episcopalem intrà Carinthiam in loco* Gurca *dicto, ubi priùs fuerat Cœnobium Sanctimonialium; cui præfecit & consecravit Episcopum Gunteram* (aliis Guntherum) *pridie nonas Maji præsentibus & benedicentibus Episcopis Altvino Brixinensi, Elinbardo Frisingensi, Candiano de Histriâ, cæteris Comprovincialibus Episcopis Ottone scilicet Ratisbonensi, & Altmanno Pataviensi per Epistolas suas, suum in banc Ordinationem consensum præbentibus.*

Henricus IV. Imperator Pontificiam concessionem secutus proprio Diplomate de dato Ratisbonæ anno 1072. pariter assensus est, ut Gurcæ in præfatam Ecclesiam (in qua priùs Sanctimoniales habitaverant) Canonici Regulares subintrarent, & simul novus Episcopatus (priori in eâdem Regione Carentanâ olim quidem per S. Virgilium instituto, & apud Franciscum Dückher in Chron. Salisburg. pag. 88. nominato, injuriâ tamen penitùs extincto) constitueretur, quem primus accepit Guntherus antè memoratus; idem ab antedicto Metropolitano sacris initiatus præfato anno pridiè nonas Majas. Vide Metropolin Salisburgensem Tom. 1. fol. 57. ubi tota ponitur non solùm Bulla Alexandri Papæ, sed etiam citatum Diploma Henrici Imperatoris: item Adlzreitterum Part. 1. lib. 18. num. 7. Zeillerum in Descriptione Austriæ fol. 18. 88. 89. Albertum Reichart in Breviario Historiæ Carinthicæ pag. 121. Porrò

Reverendissimi, ac Illustrissimi Domini Domini Cathedralis Ecclesiæ hujus Præpositi & Archi-Diaconi recensentur sequentes isti:

I. Aribo natus Comes.
II. Pabo I. electus anno 1072.
III. Romanus idem postmodùm Episcopus Gurcensis anno 1161.
IV. Harvindus 1178.
V. Pabo II. anno 1197.
VI. Otto. anno 1223.
VII. Gebhardus anno 1233.
VIII. Rudolphus anno 1243.
IX. Fridericus anno 1252.
X. Georgius I. anno 1259.
XI. Conradus I. anno 1267.
XII. Udalricus anno 1274.
XIII. Conradus II. anno 1285.

XIV. Godefridus Kraffto de Metniz Fundator missæ quotidianæ B. Mariæ Virg. cantari solitæ in Cryptâ anno 1307.

XV. Bertholdus de Krein anno 1324.

XVI Henricus Rethel ex Zelsbach sponte resignavit anno 1343.

XVII. Mathias I. anno 1348.

XVIII. Georgius II. de Teustendorff Bernardi Duci Carinthiæ Capellanus & Fundator missæ ad S. Hemmam 1348.

XIX. Albertus anno 1367.

XX. Marquardus de Weisbriach anno 1385.

XXI. Paulus Helfendorffer anno 1394.

XXII. Joannes I. de Waldt. anno 1405.

XXIII. Joannes II. de Lindt. anno 1436.

XXIV. Joannes III. Hinderkircher anno 1445.

XXV. Laurentius Freyberger idem postmodùm Episcopus Strasburgensis anno 1459.

XXVI. Wilhelmus Welzer de Eberstein primus mitrâ Præsulari decoratus an. 1487.

XXVII Sigismundus de Feistriz anno 1518.

XXVIII. Christophorus Göller Gurcensis Cathedralis Ecclesiæ suæ maximus Benefactor anno 1526.

XXIX. Adrianus de Hornberg anno 1549.

XXX. Christianus Spiritus anno 1550.

XXXI. Carolus Grimming Episcopus Germanicensis & Præpositus Gurcensis an. 1570.

XXXII. Mathias de Steindach an. 1611.

XXXIII. Georgius III. Vizdomb. an. 1617.

XXXIV. Georgius Millerus Magnus & egregius propriæ Ecclesiæ suæ Benefactor in actis summoperè commendatus idem & Præpositurae Restaurator anno 1648.

XXXV. Wolfgangus Andreas Göffelius nobilissimæ ac præclarissimæ suæ stirpis ultimus electus anno 1674. multa cum laude in regimine suo gloriosus perrexit usque ad annum gratiæ 1688. ætatis 56. quem eodem anno septimo Calendas Julii sibi fatalem habuit. Piis manibus splendidissimè fuit parentatum, & in navi Cathedralis templi Gurcensis exanime corpus condigno honore repositum, ad januam sepulchri sequens accepit Epitaphium.

Wolfgangus Andreas Göffel
Gurcensium Præsul Amplissimus
Compendiatus hìc jacet.
Qui Lupus nomine, officio Pastor
cum binâ annorum hebdomade
Non in solo pane sed in omni verbo
Suos optimè pavisset
XX. Junii anno salutis mundi M. DC. LXXXVIII. ætatis LVI.
Gentilitios cum Sydereis globis commutans
Totam nobilem Domum uno hoc lapide
Vetusti stemmatis ultimus
Secum tumulavit.
Tu Viator
Quem pedibus calcas, extolle manibus
Illustrissimæ Umbræ lucem perpetuam
Lupóque mansuetissimo
Cœlestis Agni consortium apprecare.

XXXVI. Joannes Wolfgangus ex avitâ stirpe Ingenuorum à Liechtenheim progenitus anno 1688. die 13. Septembris concordibus suffragantium votis pro meritis ad Regimen amplissimæ Prælaturæ Gurcensis justissimè delectus, Vir corpore & animo præstantissimus, eadem prætacto anno die 28. Novembris Dominicâ primâ Adventûs primùm à Spectatissimis Eminentissimi Principis Metropolitani, seu Salisburgensium Archi-Episcopi Delegatis, seu Commissariis in Ecclesiasticis, tum pariter eodem etiam die à Plenipotentiario Cæsareo Illustrissimo ac Excellentissimo Domino D. N. N. in temporalibus summâ authoritate confirmatus, & inthronisatus, tum postridie die 39. supradicti mensis in Festo S. Andreæ Apostoli ab itidem Eminentissimo Principe ac Domino Domino

mino Joanne de Goefs S. R. E. Cardinale & Epifcopo Gurcenfi &c. (affiftentibus fimul Reverendiffimis ac Ampliffimis Dominis Alberto Monafterii Offiacenfis, & altero Edmundo ad S. Paulum Abbatibus utrisque iftis de Ordine S. Benedicti) inter Feftiviffimos præfertim Capitularium, qui pro tempore fuerunt Plurimum Reverendi & refpectivè Perilluftres, Prænobiles, Religiofiffimi ac Clariffimi Domini

Joannes Sigismundus Strafsgütl Decanus.
Hermannus David Liber Baro à Kalmen Senior.
Joannes Carolus Rödhaupt SS. Theologiæ Doctor.
Joannes Georgius Müller.
Joannes Andreas, Liber Baro à Kalmen.
Francifcus Carolus, Liber Baro Kemmater.
Joannes Michael Liber Baro à Mondorff.
Joannes Georgius Widenmann.
Vitus Bernardus Stadler.
Leopoldus Wilhelmus Liber Baro à Ruffenftein.
Adamus Balthafar à Schlangenberg. Et
Joannes Mathias Lottacher.

Suorum nec non quamplurium Dynaftarum, imò & innumeræ plebis Carinthiacæ & communes applaufus folemniffimo ritu Mitrâ Præfulari decoratus & infignitus.

GURCENSE,

Nobiliffimum Parthenæum (iftud tamen jam pridem penitùs antiquatum) prioribus fæculis antè memorato Religioforum Virorum Collegio propiùs inædificatum adftitit, cui primùm apparando pientiffima pariter auctrix fuit Hemma, jam fuprà laudata Engelberti Comitis de Pyllftein, & Tuttæ Conjugis nobiliffima progenies à teneris unguiculis in Gynecæo S. Chunegundis Imperatricis educata, quando fcilicet eadem ipfa, poftquam geminum Auguftinianæ Religionis Domicilium abfolvit, & in uno illorum Walduinus Archi-Epifcopus viginti Clericos Auguftinianos repofuit, eadem ipfa S. Hemma jam vidua, & curis maritalibus foluta, ingenuas puellas feptuaginta numero collegit, quæ omnes & fingulæ novum Religiofæ Converfationis Inftitutum anhelitùs ambiebant, ad regulare Clauftrum fecum adduxit, quas omnes antedictus Summus Antiftes Walduinus Sacro Canonicæ Religionis habitu veftivit, ipfa verò Hemma ceu Religiofa Mater, & Magiftra usque in finem vitæ pientiffimè convixit, ac demùm in eodem Clauftro poft mortem fuam tumulum accepit, de quo tamen ipfiffimo hoc Parthenio Domicilio Canonico-Auguftiniano, quandonam tandem aut quonam fato demum defierit, hodie amplius non eft fuper, qui de hoc nobis refpondeat. Et hæc quidem omnia mihi omnino videbantur indubitata, cùm neminem, ne ipfos quidem præclariffimos novæ Salisburgenfis Hiftoriæ Authores de Inftituto Canonico in Gurcenfe hoc Parthenæum primitùs inducto hactenus invenerim dubitantem, præter Recentiores Joannis Bollandi Continuatores, à quibus Canonicam S. Hemmæ Profeffionem in dubium trahi admirabundus inveni, dum V. Tomum Junii vel obiter evolvi. Primum illorum argumentum, ex quo S. Hemma Benedictinis judicatur annumeranda, eft: quia prima Gurcenfis Collegii Abbatiffa è Monafterio S. Erendrudis in Civitate Salisburgenfi fituato, eft affumpta. At nullam hujus traductionis aliud habent fundamentum, nifi unicum fuum M. S. Lambertinum, cùm tamen, ut ipfimet hi Continuatores n. 7. fatentur, plures alii fint (quibus ego non paucos fuperaddere poffem) qui pro indubitata habeant primam Canoniffarum inductionem, adeóque falfam judicent Benedictinarum ex Monafterio S. Erendrudis traductionem. Verùm transmiffâ hac primæ Abbatiffæ Nunnbergenfis (fic quippe nominari confuevit ter inclytum hodie S. Erendrudis Cœnobium) traductione, certum tamen exinde non fit, Sanctimoniales Gurcenfes fuiffe Benedictinas, cùm adeò certum non fit, in Monafterio Nunnbergenfi tempore S. Hemmæ Inftitutum Monafticum viguiffe. Legatur antiqua vita S. Ruperti, quæ in rem noftram habet fequentia: *Tunc prædictus Doctor Rutbertus, cupiens aliquos adipifci Socios ad doctrinam Evangelicæ Veritatis, propriam repetivit patriam, iterumque cum duodecim revertens difcipulis, fecumque Virginem Chrifti nomine Erendrudem adducens, quam in fuperiori Caftro Juvavienfium ftatuens, ibique colligens Congregationem Sanctimonialium, & earum converfationem rationabiliter, ficut depofcit Ordo Canonicus, per omnia difpofuit.* Deinde miror, quòd hi Doctiffimi Continuatores, argumentum Monafticæ Profeffionis ex habitu flavo (quem ipfi præcisè pro libitu ad nigredinem tendentem fingunt) defumant, cùm alibi ùt lepidum explodant Pennotti noftri argumentum, quo Is Canonicam S. Brigidæ Hibernenfis, & S. Gertrudis Nivellenfis Profeffionem ex veftium Candore Canonicis & Canoniffis noftris antiquitus confueto deduxit.

Littera H.

HAGERSTORPE.

Taliter ab antiquo patrio nomine ſuo nuncupari ſolitum in partibus Aquilonaribus jam pridem antiquatum, ſeu potiùs ab heterodoxis terræ hujus Inquilinis fataliter extinctum Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Monaſterium prioribus ſæculis admodùm inclaruit; de quo dum adhuc ſacro Ordini ſuo ſalvum & integrum conſtitit, Albertus Kranzius in ſua Metropoli Lib. 6. cap. 18. ſequentia retulit: Tum quoque Vicelinus (Epiſcopus Aldenburgenſis jam ſuprà laudatus) prædia accepit adjutorio Comitis (Holſatiæ) Adolphi, quæ Imperator Lotharius (hujus nominis ſecundus qui ab anno 1125. usque 1138. ſceptra Regalia tenuit) ad uſum Monaſterii & ſubſidium ſervorum Dei non longè à Segeberg donavit; viſum fuit eſſe ex commodo fratrum propter tumultus ab arce & crebrâ conventione Militarium in proximo Villagio, quod Sclavonicè *Cuſalina*, Saxonicè autem *Hagerſtorpe* dicitur, fundare & Eccleſiam nihilominus in memorato loco relinqui, miſit Vicelinus Folcardum Sacerdotem cum induſtriis viris, qui Oratorio & Clauſtralibus officinis exædificandis operam darent, maneret tamen prior Eccleſia ad radicem montis in Segeberg. Eo tempore Tietmarus Vicelini quondam diſcipulus relicto Decanatu Metropolitanæ Eccleſiæ Bremenſis) devovit ſe Falderenſi Collegio, qui deſtinatus Hagerſtorpe transmutationi novæ magno fuit ſolatio, viventique in ſpirituali converſatione ſummæ perfectionis.

Item idem author in ſua Wandalia: Vicelinus Spiritualibus quoque incrementis intentus prædia recuperavit ab Adolpho Comite Holſatiæ, quæ Lotharius Imperator Monaſterio Segebergenſi contuliſſet, ſed viſum eſt tum Patribus Monaſterii in Hagerſtorpe erigere propter fori tumultus, & ab Arce militaria incommoda, quæ Segebergæ videbantur. Permiſit facilè Comes, in loco priſtino ad radicem Montis Parochialis Eccleſiæ remanebat, tantúmque valuit novæ molitionis fama, ut Tietmarus Bremenſis Eccleſiæ Decanus relicto loco in Falderam petiverit, & à Vicelino novæ plantationi Hagerſtorpenſi præeſſe juberetur.

HAIBACENSE,

Canonicorum regulariter viventium (Monaſterium Diœceſis Auguſtanæ in Superiori Bavaria S. Udalrico Epiſcopo Auguſtano & Confeſſori dicatum) primitùs inſtitutum ſeu fundatum fuiſſe perhibetur anno 1085. per Norbertum Comitem de Hohenwarth natione Bavarum ex Canonico & Præpoſito Cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ Epiſcopum Curienſem in Superiori Rhætia. Bulla fundationis tota recitatur ab Hundio in Metrop. Salisburgenſi, de qua eâdem fundatione legi poterit etiam Adlzreitterus in annalibus Boicis part. 1. lib. 18. num. 66. Cæterùm Sacerdotale Monaſterium iſtud jam ab immemoriali tempore transmutatum manet in Collegium ſæculare, quod hodie habet Præpoſitum, Decanum, & Canonicos ſex, quos tamen omnes diverſis Parochiis præeſſe refert Stengelius Abbas in Mantiſſâ ad Comment. rerum Auguſtan. cap. 5. fol. 8.

Catalogus

Præpoſitorum & Decanorum, qui à prima fundatione usque modo præfuerunt Collegio huic Haibacenſi, legi poteſt apud Corbinianum Kham in ſua Hierarchia *Part. II.* fol. 101. & ſeq.

HALBERSTADIENSE,

Collegium Eccleſiæ (quæ cum jure ac titulo Suffraganeatûs Metropolitæ Moguntinæ paret) Cathedralis in ejusdem nominis Civitate (primùm quidem proprio Epiſcopo ſuo ſubdita, ſubinde verò anno 1648. vigore Inſtrumenti Pacificationis Weſtphalicæ Electori Brandenburgico in totum additâ) cæpit poſt Idololatriam ſub annum circiter 780. à glorioſiſſimo Romanorum Imperatore Carolo Magno fortiſſimè debellatam, primitùs inſtitutum habuiſſe Regularitatem, & quidem ad Sacros Canones Auguſtinianos conquadratam, præter alia plura, quæ reſtant monumenta vel maximè teſtatur Religioſa Confraternitas inter Cathedrale Collegium iſtud, & aliud itidem Halberſtadienſe

(mox

(mox itidem recensendum infrà) SS. Joannis Baptistæ & Joannis Apostoli Monasterium antiquitus usurpata, cujus tenore Cathedrales Canonici Halberstadienses primum suæ Probationis seu Novitiatûs annum (vulgò das Closter-Jahr appellari solitum) apud SS. Joannem Baptistam, & Joannem Apostolum &c. inter Religiosos Ascetas Augustinianos in Claustro insumere, seu explere vel potuerunt, vel debuerunt, & dehinc Superioribus ipsorum unum ac idem fuit, num Fratres isti vel in proprio apud Cathedralem Ecclesiam Dormitorio pernoctare, vel in antedicto Regulari Claustro de nocte requiescere vellent; quæ consuetudo utrobique constanter tenuit ac perduravit, quousque demùm cogente Pace Westphalica supradictâ ipsi Halberstadiensi Ecclesiæ non solùm dignitas Episcopalis fuit adempta, sed & Cathedrale quoque Collegium miserrimè suppressum, quatuor solùm Præbendis seu Canonicatibus ægrè servatis. Cæterùm alia assertæ Regularitatis testimonia hodiedum adsunt, & videri possunt, videlicet Dormitorium & Refectorium, utrumque istis Cathedralibus Canonicis usitatum, sed vel maximè registrum (uti vocant) ejusdem Refectorii, ex quo singulis annis de communibus reditibus portionem suam competentem ipsi perceperunt.

Porrò pro Confirmatione dictorum juvat hic adducere etiam Anonymum Parisiensem, qui folio 331. notavit sequentia: *Anno 1008. B. Meinvercus Ecclesiæ Paderbornensis Episcopus creatus fuit. Is porò adhuc puer in Ecclesia B. Stephani Protomartyris in Civitate Halberstadiensi ad Clericatûs officium à Parentibus oblatus, vixerat in prædictâ Halberstadiensi Ecclesiâ sub Præposito Canonicæ Legis: inde verò assumptus ad Episcopatum Paderbornensem, unum studuit nobile principalis Ecclesiæ Monasterium, quod anno 1000. propemodùm conflagraverat, omnimodis restaurare. Ibi certè studiorum multiplicia sub eo floruerunt exercitia, & bonæ indolis Juvenes, & pueri strenuè instituebantur normâ regulari, proficientes haud segniter in claustrali disciplinâ. Imadus nominatim Meinverci ex Sorore Nepos & Successor tempore suæ pueritiæ, tanto disciplinæ claustralis rigore ibidem est nutritus, ut nunquam patrem suum videre extrà Conventum specialiter, vel ei colloqui fuerit permissum. Sic Canonicorum Disciplina Monasterialis à Junioribus adhuc tota exigebatur, tametsi eam majores à se pertinaciter abjicerent.* Insigniter itaque in hac Halberstadiensi Ecclesia viguit Canonicæ Regulæ Observantia, ut præter prædictum B. Meinvercum, etiam alii Canonici Regulares ad aliarum Ecclesiarum regimina hinc inde fuerint postulati, hos inter est

B. Theodoricus, natione Saxo, Ottoni Magno sanguine junctus, ejúsque Nepos vel Consobrinus, Canonicum primò Regularem professus in majori Ecclesiæ Halberstadiensis Cœnobio. Mortuo inde Adalberone Mediomatricum Episcopo, Imperatoris & Brunonis Episcopi Coloniensis Authoritate eundem locum sortitus est. Asservabatur in Metensi Ecclesia Catalogus quidam Episcoporum Metensium, quorum nomina initialibus tantùm litteris vel aurô, vel argento, vel alio viliori metallo notata erant: qui Clementi primo ejus Sedis Antistiti ab Angelo traditus fuisse fertur, in eum cùm hic novus Præsul incidisset, suíque nominis litteram argenteam offendisset, dixisse fertur: Eâ fide suæ Ecclesiæ commodis se prospecturum, ut æque omnium judicio litterâ aureâ dignus censeatur: multa Sanctorum integra corpora, & haud pauca alia sacra ossa & reliquias ex Italicâ expeditione, cùm Ottonis castra toto triennio secutus fuisset, in suam Ecclesiam secum advexit. Ottonem II. à Græcis & à Nautis quibusdam captum ad Rosanæ Urbis portum redemit. Dono prophetiæ illustris fuit. Obiit teste Sigeberto, qui vitam ejus scripsit, anno 989. die 8. Julii, sub quo Molanus ad Usuardum hisce verbis de Eo: *Eodem die Natalis B. Theodorici Metensis Episcopi Consobrini Ottonis primi.* Et in notationibus subjectis isthæc: De Theodorico Sigebertus de Viris illustribus cap. ult. Metis positus in Ecclesia S. Vincentii ad instruendos pueros, scripsi vitam S. Theodorici Episcopi, Conditoris ipsius Ecclesiæ. De eo item Baronius sub dicto anno, & Theodorus Zuchingerus in Theatro vitæ humanæ. Alter est

S. Suitgerus, sive Soëderus XI. Monasteriensis Urbis Episcopus, assumptus est ad eam dignitatem ex Can. Reg. Conventu Halberstadiensis Ecclesiæ, ut ex vita S. Meinverci Paderbornensis Episcopi habetur, quod extat apud Christophorum Bruverum è Soc. Jesu Libro inscripto de Syderibus illustribus Germaniæ. Electus est anno 998. & cùm præfuisset annos 16. die 19. Novembris ad æternam Beatorum requiem commigravit anno 1013. relatusque est post obitum ob vitæ præclarissima merita, Sanctitatisque insignia in Album Divorum Cælitum, quos auxit numero, de quo & Kranzius in Metropoli cum laude meminit.

HALBERSTADIENSE

Monasterium hodiedum intrà muros civitatis istius conspicuum, idque Præcursori Domini S. Joanni Baptistæ & alteri S. Joanni Christi Apostolo & Evangelistæ dicatum, temporibus nostris Ven. Congregationis Windesimensis commembrum est; cujus ejusdem Cœnobii primus ac proprius anno Christi 1024. fundator fuit Brandago Halberstadiensis Ecclesiæ summus Pastor, & Episcopus numero & ordine Decimus, idem ab Alberto Krantzio in Metrop. Saxoniæ lib. 4. cap. 10. pro meritis *Vir Pontificatu dignissimus* appellatus. Fuit autem antiquitus Canonia hæc non solùm intrà civitatem Halberstadiensem, sed & per universam Saxoniam & Westphaliam omninò celeberrima; quæ continuò viginti quatuor præclarissimos aluit Religiosos Canonicos altiorum scientiarum Doctores, & Magistros eximios, atque istos ad quasvis quæstiones & graviores difficultates enodandas seu ritè discutiendas unicè Deputatos, qualis præ cæteris fuit totius Ordinis ac Monasterii Decus & Ornamentum singulare Regularis Canonicus ac loci Præpositus Joannes Seneca natione Germanus, insignis planè (ut ait Krantzius in Saxonia lib. 8. cap. 27. & ex ipso Henricus Pantaleon de viris illustribus Germaniæ part. 2. fol. 228.) Juris Doctor, qui herculeâ audaciâ primus aggressus est glossare Decretum, quod antè & post ipsum excellentius nullus facere potuit. Claruit sub Clemente Quarto, ac tandem in fata concessit anno gratiæ 1267. rudi solùm Epitaphio priscis sæculis assueto donatus, quod tale est:

Est, erit, atque fuit, qui desiit esse Joannes,
Dogma viget, viguit, florebit omnibus annis,
Lux Decretorum. Dux Doctorum. Via Viarum
Hic jacet, & placet, ut vacet à pœnis miserorum.

Fuit insuper tota nobilissima Canonia hæc pro tunc in suburbio Haberstadiensi, seu extrà muros Civitatis conspicua, cum vastissimo templo admirandæ Majestatis contuentibus omnino gratissima, non item hodiè, quando nimirum, perdurante Superiori bello Suecico, sub annum 1644. totum Collegium istud, fremente Bellonâ Monasteriis, aliisque quibusvis locis sacris nimium quantum infestâ, cum toto memorato Halberstadiensi Suburbio, à tempore primæ fundationis usque id ævi Religiosis Canonicis merissimè subdito, & appropriato, miserrimè disjectum, & solo coæquatum. Unde sæpefata hæc celeberrima Canonia ex toto in nihilum abiit, quo lamentabili casu quantam eheu bonorum suorum jacturam Monasterium istud exantlârit, vel utcunque demùm depingere sanè exilis calamus noster haud sufficit.

Penultimus loci Præpositus Reverendissimus ac Amplissimus Dominus Wilhelmus Wischmann (cui per exiles etiam preces nostras & sacrificia quotidiana jugiter benè sit in æternitate) hujus Cœnobii sui novæ instaurationi jam anno 1688. susceptæ, pro posse quantocyus absolvendæ, omni conatu totus quantus invigilans, suprà nimis unicè condoluit, sese in rem nostram de Charissimis quondam Halberstadiensis Canoniæ suæ monumentis (jam pridem injuriâ temporum, bellorum, atque hostilium flammarum miserrimè perditis) de primogenio statu & successu conferre haud potuisse, præter Bullas respectivè Papales vel Episcopales, quarum copias altefata Venerabilis memoriæ Amplitudo sua nobis juxta tenorem sequentium subministravit.

Bulla Innocentii Papæ II. quâ is Ecclesiam Canonicorum Regularium S. Augustini Halberstadiensem in specialem Sedis Apostolicæ protectionem recipit, & quævis privilegia illius authoritate Apostolicâ stabilit, & confirmat anno 1132.

„Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis Theodorico Præposito Ecclesiæ Sanctorum Joannis Baptistæ & Evangelistæ, quæ in Halberstadiensi civitate sita est, ejusque Fratribus canonicam vitam professis tam præsentibus quàm futuris. „M. pp. M. Ad hoc in Apostolicæ Sedis specula disponente Domino constitutum esse „conspicimus, ut benè placente Domino Religionem studeamus modis omnibus propa„gare, & propagatam authoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ consovere. Proinde Dile„cte in Domino fili Theodorice Præposite Tuis & fratrum tuorum postulationibus ra„tionabilibus clementer annuimus, & Ecclesiam Sanctorum Joannis Baptistæ, & Joan„nis Evangelistæ sub tutela Apostolicæ Sedis suscipimus, & eam privilegio communi„mus. Statuimus, ut quascunque possessiones, quæcunque bona sive à recolendæ me„moriæ Reinhardo Halberstadiensi Episcopo seu ab aliis Dei fidelibus vobis collata in „præsentiarum justè & legitimè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, lar-

„gitione

„gitione Regum vel Principum oblatione fidelium seu aliis justis modis auxiliante Do„mino poteritis adipisci, firma vobis, & per vos eidem Ecclesiæ illibata permaneant. „Ordo quoque Canonicus, qui in eodem loco secundùm Beati Augustini Regulam stu„dio & diligentia præfati Fratris nostri Episcopi noscitur institutus perpetuis futuris „temporibus inviolabiliter conservetur. Domum etiam Infirmorum, quæ apud Capel„lam S. Alexii sita est & territorium juxtà claustrum vestrum cum areis & circumseptis „suis vobis præsenti scripto firmamus nulli omninò hominum fas erit, eandem Ecclesiam „temerè perturbare, aut ejus possessiones aufferre, vel ablatas retinere, vel minuere, „aut aliquibus vexationibus defatigare, sed & omnia integra conserventur, vestris ac „pauperum usibus omnimodis auxiliante Domino profutura. Si qua ergò imposterum „Ecclesiastica, sæcularisve Persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contrà „eam temerè venire tentaverit, secundò tertióque commonita ei non congruè satisfe„cerit potestatis honorisque sui dignitate careat, & à Sacratissimo corpore & Sanguine „Dei & Domini Redemptoris nostri JEsu Christi aliena fiat, atque in extremo examine „districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit Pax Domi„ni nostri JEsu Christi quatenus & hic fructus bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. &c.

(L.S.)

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Gregorius Diac. Card. SS. Sergii & Bacchi.
Ego Guido Diac. Card. SS. Cosmæ & Damiani.
Ego Gerhardus Presbyter Card. sanctæ Crucis in Jerusalem.
Ego Martin. Presbyter S. Stephani in Cælio Monte.
Ego Crysogonus Diac. Ecclesiæ S. Mariæ in Porticu.

Bulla Odelrici XVIII. Episcopi Halberstadiensis, qua Is cum Capitulo suo Cathedrali fundationem Monasterii SS. Joannis Baptistæ & Joannis Apostoli & Evangelistæ authoritate Ordinaria de novo confirmat, omnesque possessiones & bona illius in specialem protectionem suam suscipit anno 1153.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis &c.

Ego Odelricus Dei gratiâ Sanctæ Halberstadiensis Ecclesiæ Episcopus, tam præsentibus quàm futuris Christi fidelibus in perpetuum &c.

Quoniam eorum, qui lectum veri Salomonis Spirituali armaturâ ambiunt, officium est, Ecclesias sibi commissas summa vigilantia, tam rebus quàm spiritualibus augere profectibus, & eorum, qui in eis Domino militant, piâ sollicitudine curam gerere, Prædecessores nostri Branthagus, Arnolfus, Burchardus, Reinhardus hujus Sanctæ Halberstadiensis Ecclesiæ Venerabiles Episcopi Ecclesiam S. Joannis Baptistæ in civitate nostra, in qua devotus Canonicorum Regularium numerus Domino famulatur, copiosè fundabant, & fundatam rebus propriis largè ditabant, & Religionem in eadem ardenti studio informabant. Horum egregia facta & exempla, quanquam in diebus malis, quibus vidimus mala, & annis quibus humiliati sumus, minimè heu peccatis nostris exigentibus imitari valemus, à longe tamen salutamus, veneramur, & laudamus, eorumque pio labori quodam Charitatis affectu assurgendo congaudemus. Noverit ergò tam præsentium quàm futurorum pia in Christo fraternitas, quòd nos quoque pro modulo nostro in prædicta Ecclesia, quæcunque eidem à Prædecessoribus nostris, vel aliis fidelibus collata sunt, in posterum conservari cupientes, possessiones Dilectorum filiorum nostrorum ibidem Domino sub regulari disciplina militantium tam in bannis & animarum lucris, quàm in prædiis & mancipiis nostrâ authoritate stabilimus, & ne aliquis temerario ausu quicquam ex eis abalienare vel sibi usurpare absque Synodali authoritate præsumat, sub anathemate interdicimus. Possessiones verò præfatæ Ecclesiæ, quas in præsenti scripto firmamus sunt hæ. Parochialis Ecclesia in Watenstide cum omnibus ejus pertinentiis, octo scilicet mansis & dimidio in eadem Villa, & decima in Jerskem. In Ridepe duo mansi. Præterea decima in Helgendorp, duo mansi in Geneveslove, Volckessen unus mansus, Gundeneslove novem mansi. Meintorp quinque mansi, Kienthorp duo mansi, Ronstide viginti quatuor cum decima totius Villæ & duabus Sylvulis. In Tingilstide Sylvulam unam, in Nigenthorp sex mansi. Exstide unus mansus. Decima in Witeborne, In Bothserstide decem & octo mansi & dimidius. In Wigenrothe juxtà Kitterlingen-

lingenburch unus mansus & dimidius, in Sulten undecim mansi & dimidius. in Orthen dimidius mansus, in Westerhusen quinque mansi cum Sylvula, Sylva etiam quæ Clöwe vocatur, in Osterbürnekere duo mansi & dimidius. In Westerbürnekere septem mansi & dimidius cum quinque Sylvulis & vineâ, decima quoque ipsius vineæ. In Oldenrothe duo mansi, in Westerhirselove quatuor mansi in Thetforde quindecim mansi: telonium salis ex parte in hoc foro. Quicunque ergò prædictis fratribus fidem servaverint, eosque sive eorum res charitativo affectu defenderint, benedictionibus Domini hic & in futuro repleantur, qui verò his contrarii extiterint, ultionem Divinam, nisi resipiscant, experiantur. Ut autem hujus paginæ exaratio rata & inconvulsa permaneat, sigilli nostri impressione, & Ecclesiæ Astipulatione corroboramus & munimus. Hujus rei testes sunt Erpo Decanus Majoris Ecclesiæ, Fridericus Custos, Marquardus Magister, Reinhardus S. Bonifacii Præpositus, Henricus Diaconus, Hermannus Subdiaconus, Ewerwinus Hathemerslovensis Præpositus, Godescalcus Haldenbrunnensis Præpositus. Et quàm plures alii, quos brevitatis causâ non subscripsimus. Data Gatherslove in plena Synodo 4to nonas Decembris anno Incarnationis Dominicæ M. C. LIII. Indictione I.

Bulla Gregorii Papæ IX. quâ idem Pontifex Ecclesiam Sancti Joannis Baptistæ & S. Joannis Apostoli & Evangelistæ Halberstadiensem in specialem B. Petri & Sedis Apostolicæ protectionem suscipit, atque Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini perpetuis futuris temporibus in eâ tenendum præcipit, nec non quascunque immunitates ac privilegia illius authoritate Pontificiâ stabilit, & de novo confirmat anno 1228.

„Gregorius Episcopus Servus Servorum dilectis filiis Rudolpho Præposito Mona„sterii S. Joannis Baptistæ Halberstadiensis, Ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm „futuris Regularem vitam Professis. In. P. P. M. Quoties à nobis petitur, quod Religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, ac „petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Quapropter Dilecti in Domino „filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium S. „Joannis Halberstadiensis: in quo Divino estis obsequio mancipati sub B. Petri & no„strâ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, inprimis siqui„dem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum & B. Augustini regulam in „eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter ob„servetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona, idem Monasterium in „præsentiarum justè ac Canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, lar„gitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis præstante Do„mino poterit adipisci, firma Vobis vestrisque Successoribus, & illibata permaneant. „In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum in ipsum, in quo præ„fatum Monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis. In civitate Halbersta„diensi Ecclesiam S. Alexii cum domo Infirmorum, & curam omnium domorum, quæ „extra jus fori sunt sitæ. Cellarium unum cum suis ædificiis, & tria macella, octo Domos „institorum & quinque Sutorum, duas areas cum duobus mansis infrà ambitum Curiæ „ipsius Claustri. Allodium unum & sex mansos cum eorum decimis; hortum, Molen„dinum, & hospitale cum suis areis. Extrà Curiam Molendinum unum cum saletto & „duabus areis, duodecim areas propè curiam. In Nigenthorp septem mansos cum septem „areis. In Egerstode unum mansum & dimidium, & unam aream. In Verstede unum „mansum, & unum Molendinum, & duos salettos, unum pratum & duas areas. In „Dietfordt unam Ecclesiam, & curam totius villæ. Allodium unum cum tredecim man„sis, & unum mansum & dimidium litonum, duodecim areas & duo prata cum advoca„tiâ & decimis totius villæ. In Rienstiede advocatia & unum Allodium cum quindecim „mansis, duodecim mansos litonum cum duodecim areis & duas Sylvas cum decimis to„tius villæ. In Weteburen de Frinkenstorp & de Heisenberge, & de Jersen Decimas. „Ecclesiam de Helegendorpp cum pertinentiis suis & decimis totius villæ, de Nigenha„gen advocatiam & unum Allodium & viginti mansos, octo areas, tria jugera, & tri„ginta quatuor prata & dimidium. In Nigendorpp duos mansos cum duabus areis. In „Hittenroth unum Allodium cum septem mansis, quatuor areas & tria prata. Locum „unum ad faciendum Molendinum & duas Sylvas. In Albrechtes-Velde unam Sylvam. „In Wigenroth duos mansos & dimidium cum duabus areis. Sylvam unam cum prato „& unum Molendinum. In Westerhusen quatuor mansos & dimidium cum totidem „areis, & unam Sylvam. In Helestorpp unum mansum. In Osterbürnekere unum „mansum & dimidium cum area & dimidia. In Westerbürnekere unum Allodium cum „septem areis & totidem mansis, & duos mansos litonum, quinque jugera cum tribus „areis, unam vineam & quinque Sylvas. In Sulten duodecim mansos cum duodecim „areis. In Hersteve majori unum mansum & dimidium & sex jugera. In Hersteve mi„nori unum Allodium & quatuor mansos. In Hadeborn dimidium mansum. In Allen-

„roth

„roth duos mansos. In Agem unum mansum, in Volckem unum mansum. In Redep„pe unum mansum, In Gevensleve duos mansos. In Watenstiden Ecclesiam cum per„tinentiis suis, Archi-Diaconatum ipsius villæ & quatuor mansos. In Jerdekestorp „Archi-Diaconatum cum pertinentiis suis. In Upperlingen duos mansos. In Gundes„leve decem mansos & dimidium. In Meindorp quinque mansos. In Emeringen qua„tuor mansos. In Badesleve duos mansos. In Nigendorp octo mansos. In Beersleve „unum mansum cum agro. In Retleven decem mansos & dimidium cum totidem areis, „& alias possessiones cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis, & pascuis in „busto & plano, in aquis & molendinis in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus „& immunitatibus suis; salvâ super Decimis moderatione Concilii Generalis. Sanè No„valium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, vel de nutrimentis „animalium vestrorum nullus à Vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Li„ceat quoque vobis Clericos vel Laicos liberos & absolutos à sæculo fugientes ad con„versionem recipere & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, „ut nulli fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro Professionem fas sit sine „Præpositi sui licentiâ de eodem loco, nisi arctioris Religionis obtentu, discedere. Dis„cedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat reti„nere. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes Altarium seu Basilicarum. Or„dinationes Clericorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano Epi„scopo suscipietis, si quidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem Sacrosan„ctæ Romanæ Sedis habuerit; & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Pro„hibemus insuper, ut infrà fines Parochiæ vestræ nullus sine assensu Diæcesani Episcopi „& vestrô Capellam seu Oratorium construere audeat salvis privilegiis Pontificum Ro„manorum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devo„tioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommuni„cati vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum, à qui„bus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus Ecclesia„rum vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur, redimendi & legitimè liberandi „de manibus eorum, & ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi libera sit vobis de „nostra permissione facultas. Obeunte vero Te nunc ejusdem loci Præposito, vel Tua„rum quolibet Successore nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ prætpona„tur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars majoris & sanioris consilii „secundùm Deum & B. Augustini Regulam providerint eligendum. Paci quoque & „tranquillitati vestræ paternâ imposterum sollicitudine providere volentes auctoritate Apo„stolicâ prohibemus, ut infrà clausuram locorum seu grangiarum vestrarum nullus ra„pinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè „capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates, & „immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiæ vestræ concessas, „nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus & Principibus vel „aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas authoritate Apostolicâ confirmamus, & præ„sentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum „liceat præfatum Monasterium perturbare, aut ejus possessiones aufferre, vel ablatas „retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conser„ventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimo„dis profutura, salvâ Sedis Apostolicæ authoritate & Diœcesani Episcopi canonicâ ju„stitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisve Persona hanc nostræ Consti„tutionis paginam sciens contrâ eam temerè venire tentaverit, secundo tertióve com„monita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui „careat dignitate, reámque se divino judicio existere de perpetua iniquitate cognoscat, „& à Sacratissimo Corpore & Sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri JEsu Christi aliena „fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua „jura servantibus sit Pax Domini nostri JEsu Christi quatenùs & hic fructum bonæ actionis „percipiant & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

✠

Sanctus Petrus	Sanctus Paulus
Grego pp	rius VIIII.

Signum in bonum. Fac meum Domine

Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

 Ego

Ego Thomas titulo Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis.
Ego Joannes titulo Sanctæ Praxedis Presbyt. Card.
Ego Barthold Sanctæ Pudentianæ Presbyt. Card. & Pastoris.
Ego Sigefridus Sancti Laurentii in Lucina Presbyt. Card.
Ego Pelagius Alban Episcopus.
Ego Guido Prænestin. Episcopus.
Ego Otto Sanctorum Sergii & Bacchi Diac. Card.
Ego Romanus Sancti Angeli Diac. Card.
Ego Stephanus Sancti Adriani Diac. Card.
Ego Ægydius Sanctorum Cosmæ & Damiani Diac. Card.

Datum Lateran. per manum Magistri Martin. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii ij. Nonas Martii, Indict. 1. Incarnationis Dominicæ Anno M.CCXXVIII. Pontificatûs verò Domini pp. VIII. Anno primo.

(L.S.)

HALBERSTADIENSE,

Tertium isthìc loci Regularium Canonicorum Collegium cum appertinente templo suo Divæ Virgini dicatum seu consecratum, jam à longis retrò temporibus priscâ regularitate suâ manet omninò destitutum, & in sæcularem Ecclesiam Collegiatam transmutatum, hodiè vix servat Canonicum Catholicum, & heterodoxis Civitatis istius civibus religioni orthodoxæ nimiùm quantùm infestis vix adhuc unum paris adorationis servat Vicarium, quorum Majores Præcedaneos imò & totum ipsorum Domicilium, sacris Canonibus Augustinianis fuisse per omnia conquadratum, dilucidè monstrant antiquiora, quæ supersunt, monumenta, singulariter verò lapides sepulchrales antiquitùs positi, iique nostris etiamnum temporibus conspicui, in quibus potissimùm emicat usitatus Religiosorum Virorum habitus à tempore, cujus non extat memoria, constanter assuetus.

HALBERSTADIENSE,

Quartum in sæpedicta Episcopali quondam Civitate ista Canonicale Lycæum etiamnum perseverat ex antiquo more *Capitulum SS. Petri & Pauli* nuncupari solitum, cujus alumnos seu Religiosos Domicellos non nisi regulares fuisse Canonicos testimonium communis saltem vita (Religioso fervore inter antiquiores loci Inquilinos utcunque remisso) in posteris servata, & usque ad Patrum memoriam illibatè servata. Habet hodiè Collegium istud, quamvis inter Acatholicos solùm sæpefatæ Civitatis Halberstadiensis Inquilinos constitutum, Orthodoxæ fidei Præpositum unum, atque etiam Decanum, item Canonicos tres, & Vicarios quatuor, vel (si rectè memini) quinque, quorum Prædecessores antiquitùs fuisse Religiosos, si testes vivos despicis, adhibe mortuos in Cænotaphiis suis solo & unico habitu Canonico-Augustiniano inductos, quales suis locis usque id ævi remanere contuendos, gratiosè me per litteras edocuit testis omni exceptione major, Reverendissimus ac Amplissimus Dominus Wilhelmus Ven. memoriæ Præpositus Halberstadiensis nominatus suprà.

HALLA

Famosa Saxoniæ Superioris civitas (cujus ampliorem descriptionem vide, si placet apud Zeillerum in Itinerario Germaniæ cap. 5. fol. m. 144.) suo quondam Metropolitano seu Archi-Episcopo Magdeburgensi Orthodoxo in totum seu pleno jure subdita, hodiè verò per pacta Pacis Cæsareo-Suecicæ anno 1648. promulgatæ Principi terræ seu Duci Saxonico cum reliquis omnibus Archi-Episcopatûs istius bonis, possessionibus ac reditibus suis attributa, celeberrimum Superiori ætate Canonicorum Augustinianorum Monasterium habuit, S. Mauritio Thebeæ Legionis Antesignano Martyri sacrum, & Ecclesiam Parochialem, ad quam solam & unicam totius Civitatis Hallensis, & omnis circùm circà ruralis territorii seu Regionis Parochiale jus adspectavit, atque hujus Hallensis Monasterii aliquando Præpositum egit, qui sub annum 1137. isthìc ad clavum resedit, & (prout refert Antonius Possevinus Soc. Jesu in Apparatu suo Tom. 1. fol. 720.) Librum *de Cura pastorali* prænotatum scripsit Heidenricus Nobis hodiè vix solo nomine suo notus. Cæterùm alia Monasterii hujus notitia (mutata religione) hactenùs impetranda non fuit, præterquàm quòd eadem ipsa Hallensis Canonia (ut mox infrà dicetur)

tur) post Confœderationem cum Ven. Capitulo Windesimensi contractam à Joanne Buschio circà annum gratiæ an. 1450. studiosissimè fuerit reformata.

HALLENSE

Sive *Neuwerck* latinè verò: *Novum Opus* dictum, paris sexûs Ordinis & Religionis commembrum, seu spectatissimum olim Monasterium Beatissimæ Virgini Deiparæ & S. Alexandro Papæ & Martyri dicatum, in eâdem antedictâ Diœcesi Magdeburgensi prope Hallensem Civitatem gloriosè constitit, annexum habens Archi-Diaconatum (testante Joanne Buschio) ad undecim milliaria protensum, simul ac viginti millia hominum tam intrà quàm extrà civitatem Hallensem complectens. Instituit autem seu proprio ære fundavit, ac bonis plurimis dotavit seu locupletavit Monasterium istud Illustrissimus Vir N. Comes à Revingen cognominatus, qui ab Adelgotto Metropolitano Præsule Moguntino persuasus, sub annum 1116. mundo nuntium remisit, & ædificato (cui quasvis omnes possessiones suas deposthac pleno jure possidendas tradidit) Claustrali Virorum habitaculo, etiam se totum illi tradidit; tum, quòd amplius est, etiam Religiosum habitum induit in eodem hoc religiosissimo Asceterio, quod olim caput fuit Capituli Provincialis (uti vocabant) Hallensis, duodecim complectens Monasteria, quæ omnia per sæpè nominatum Joannem Septimum sacræ Domûs istius Hallensis supremum Antistitem & Rectorem ad purissimam veterum morum nitelam accuratissimè reducta recenseantur fuisse sequentia: I. Hallense ad S. Mauritium. II. Hildesheimense ad S. Bartholomæum in Sulta. III. Goslariense hodiè Grawenhofiense. IV. Erfordiense S. Augustini. V. S. Spiritûs in Marchiâ Brandenburgensi. VI. Aldenburgense. VII. S. Laurentii in Scheiningen. VIII. Naumburgense. IX. S. Petri in Monte Sereno. X. Hederslebense. XI. Lippense. XII. Wimariense. Verùm cuncta hæc recensita dicti Hallensis Capituli commembra jam à longis temporibus injuriâ temporum, sanè lugendâ nimium metamorphosi, totaliter immutata, etiamnum ab heterodoxis manent in prophanos usus detenta, præter duo solùm, videlicet Grauenhofiense, & alterum Hildesiense haud ita pridem Religioni Catholicæ denuo vindicata.

Plura Documenta & Diplomata ad Historiam celeberrimi hujus & quondam florentissimi Collegii pertinentia invenient benevoli Lectores apud Menckenium *Rerum Germanicarum Tom. I. II. & III.* Quæ si vidisset PETRUS noster, sine dubio in rem suam illa transstulisset; videre tamen haud potuit, cùm præmemoratum Opus primùm hoc nostro sæculo publicam in lucem fuerit editum. Haud dubiè quod ab Authore nostro præstari non potuit, erudito labore suo supplebit Ordinis nostri decus, J. A. Zunggius in promissa *Generali Ordinis Canonicorum Regularium Historia*, scio enim, Menckenium, diligentissimum Rerum Germanicarum, præcipuè verò Saxonicarum Scriptorem, illi minimè esse ignotum. Juvat autem de JOANNE PALS penultimo, ni fallor, NOVI OPERIS Præposito nonnulla huc transferre ex Opusculo rarissimo, cui sequens titulus inscribitur: *Centuria scriptorum insignium, qui in celeberrimis præsertim Lipsiensi, Wittenbergensi, Francofordiana ad Oderam Academiis, à fundatione ipsarum usque ad Annum Christi* 1515. *floruerunt, ab Auctore ejus temporis Anonymo concinnato, nunc verò in lucem edita à* JOACHIMO JOHANNE MADERO, *Hannoverano.* Helmstadii 1660. in 4to. In hac itaque Centuria phil. H. præfatus Præpositus sequenti Elogio commendatur! „JOANNES PALS, „natione Theutonicus, patria Suevus, disciplina studióque Lipzensis, Canonicorum „Regularium Monasterii Novi Operis prope Hallis Præpositus, Decretorum Doctor, & „Banni Hallensis Archi-Diaconus insignis, vir tam in divinis scripturis, quàm sæcula„ribus Litteris eruditissimus, Jureconsultus nec non Theologus, latina & vernacula „lingua facundissimus, non minus conversatione & exemplo, quàm scientia rutilans. „Hic ob vitæ suæ integritatem & summam in agilibus consilii sui prudentiam, apud Er„nestum nuper Sconiæ (Saxoniæ) Ducem, & modò penes illustrissimum Albertum, „Marchionem Brandeburgensem Parthenopolitanæ Ecclesiæ, Archipræsules, in summo „honore & pretio habitus est, hodiéque habetur. Vir denique inter Prælatos ejusdem „Diœcesis magnæ auctoritatis, & invictæ largitatis homo, Canonici Ordinis specimen, „decus & corona. Quo in Urbe Romulæ (Romuli) consistente, & interea Patre de„functo Monasterii NICOLAO ...... (Præposito Novi Operis) *avo nostro Historio„grapho eminentissimo*, & aliàs undecunque doctissimo; unanimi fratrum Conniventia, & „Consensu, Successor eligitur, atque Præpositus. Sane Pastorali cura & Regimine as„sumpto Regulari disciplinæ statum cum sibi commisso Grege, paritérque exteris cum „Monasterii rebus, præsens adusque tempus, modum in mirum auxit, amplificavit, „decoravitque; adeò ut L. Fratrum, doctis etiam, & eruditis interlucentibus Viris, „haud paucis, conventum habeat magnum atque decorum; quos velut Pastor bonus,

 „doctûs-

„doctúsque Paterfamilias quotidiè Verbi divini pabulo pascit, & non modo verbo, ve„rùm & exemplo, subsidióque sustentat, & ad virentia vitæ æternæ pascua ducit diri„gitque: & id non tantùm per se, verùm & adolescentiores bonæque indolis fratres, „etiam sæcularium Litterarum Professoribus, Grammaticis, Oratoribus, & Poëtis publi„co stipendio conductis græcè, & latinè instrui facit, & imbui. Præterea nec hoc infi„mam ad ipsius laudem facit, & famam, quòd in florentissima Lipsensi Academia pro „Studentibus & Philosophantibus sui Ordinis Regularibus Canonicis, maximis sumpti„bus Collegium à fundamentis novum nuper ædificare & construere cæpit: studiosorùm „hominum, & Doctorum non minus amator, promotor, & fautor, & antiquissimæ „Philosophiæ indagator solertissimus. Sequentibus Scriptis inclaruit:

Celifodina Lingua Germanica ad Fridericum Electorem & Ducem Saxoniæ, & Latina ad Hermannum Electorem, & Archi Episcopum Coloniensem. Lipsiæ apud Martinum Lansperg. 1511. in 4. prima autem vice edita Germanicè anno 1490.

Supplementum Celifodinæ etiam Lipsiæ in 4. anno 1510.

De septem floribus, seu Festis gloriosæ Virginis Opusculum.

Hortus Aromaticus ejusdem inclytæ Virginis, fermè totam illius Vitam brevibus Oratiunculis complectens.

De Conceptione sine præservatione à peccato Originali Sanctissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ. MS. quod latet in Bibliotheca Universitatis Lipsiensis.

Lis non modica hactenus fuit Dominicanos inter & Augustinianos Eremitas, an JOANNES PALZIUS Dominicani, Augustinianíve Ordinis fuerit? Contra P. Quetifium, & P. Echardum Dominicanos egregiè Patribus Eremitis Virum hunc celeberrimum vindicavit in Actis Erud. Lips. 1722. p. 482. Vir eruditione præstans, Joan. Erhard Kappen, Item In der Nachlese nützlicher Reformations-Urkunden. 4. Theil pag. 4. 425. & sequent. An ergo Canonico nostro Ordini surripiendum hoc decus? minimè. Nec negandum erit propter rei evidentiam & confessionem propriam, quæ optimæ probationis pondus obtinet, PALZIUM sub signis Eremitarum Augustinianorum per plures annos militâsse, sed nec Canonico nostro Ordini subtrahi jure poterit, ad quem ex dispensatione Pontificia fuit translatus, quod tacitè supra allegatus Anonymus in Elogio Palzii innuit, dum ait, Joannem in Urbe Romulæ (Romuli sive Romæ) consistentem unanimi fratrum NB. *Connivennia* & NB. *Consensu* fuisse electum in successorem Nicolai *Novi Operis* Præpositi. Nec mira nec insolita hac translatio cuiquam videri debet, frequentia enim hujus rei exempla suppetunt. Sic novimus, Henricum Imperatorem hujus nominis Tertium, cum in Ecclesia Goslariensi Congregationem Canonicorum Regulariter viventium introducere vellet, magnis precibus à Pontifice Leone IX. impetrâsse, ut authoritate Apostolica S. Benno ab Ordine Monastico ad Canonicum translatus eidem novellæ Congregationi daretur Magister. Alterum exemplum habemus in Joanne Staupitio, qui ab Ordine Augustiniano ad Benedictinum translatus, Salisburgi in S. Petri Monasterio aliquamdiu Abbatem egit. Authoritati Anonymi Synchroni & Regulari Canonicatui Joannis Palzii addit Inscriptio Lipsiensis quam Salomon Stepnerus *Inscript. Lips.* pag. 306. refert, quæ sic habet: *Joannes Palz Doctor, Monasterii Novi Operis Præpositus & Archi-Diaconus Hallensis.* Atque hoc modo optimè terminari hanc litem credo, si celeberrimo Prædicatorum Ordini (qui sat proprio honore Virorum Illustrium & Scriptorum multitudine, splendet, nec alieno ornatu indiget) nihil, RR. PP. Eremitis aliquid, primores scilicet Joannis Palzii Religiosæ vitæ ac professionis anni, Canonicis verò Regularibus posteriores, quibus nempe ad Ordinem Canonicum translatus, Hallensi Novi Operis Canoniæ præfuit, anni tribuantur. Agunt de Joanne Palzio præter Quetifium & Echardum cit. Herrera Alphab. p. 475. Elsius in Encomiastico. pag. 391. Crusenius Part. 3. c. 32. Prosper Stellartius in Fund. Ord. Disq. Hist. de Reg. 5. Aug. p. 322. Torrellus p. 777. Petrus de Alva in Bibl. Conc. Col. 814. Gandolf. Disp hist. de ducent. Celeberrimis Augustinianis Script. p. 228. Raym. Peraudi Card. Gurcensis, in Epistola Supplemento Cœlifodinæ præmissa. Knappen loco cit. Quorum omnium eruditi manes, nisi vehementer mea me fallat opinio, amicabili hac compositione erunt contenti, cum planè secutus sim illam Justitiæ regulam: *Cuique suum.* Nisi forte quis ex uno Joanne Palzio duos effingere velit, quod planè absonum foret, omnibus circumstantiis in unam eandemque Personam conspirantibus.

HAMBURGENSIS

M*etropolitana* (hodiè Cathedralis solùm Metropolitanæ Bremensi coadunata) *à sua fundatione fuit Regularis, & in Civitate ac etiam Diœcesi multa Canonicorum Monasteria fundavit*

davit Unwannus Episcopus temporibus Henrici I. Imperatoris, qui fuit sanctus, vel quæ anteà ædificata ad normam vitæ Regularis reformavit teste Alberto Krantzio in Metrop. lib. 4. cap. 1. Claustri Canonicorum Hamburgensium meminit etiam Molanus ad diem 3. Februarii in vitâ S. Anscharii: Hæc Pennottus in Histor. tripart. lib. 2. cap. 39. Item sæpè citatus Anonymus Parisiensis fol. 333. *Anno circiter 1013. Unwannus Archi-Episcopus Bremensis Hamburgi Civitatem & Ecclesiam fecit novam, simul ex singulis Congregationibus suis, quæ Virorum essent, tres eligens fratres, ita ut duodecim fierent, qui in Hamburg Canonicâ degerent conversatione populum ab Idololatriæ revocantes errore, ordinavit etiam in Sclavoniam Brunonem Virum prudentem, qui de fratribus Hamburgensis Ecclesiæ electus, in populo Sclavorum multum prædicando fructum attulit. &c.*

HAMERSLEBENSE,

Piissimum æquè ac ditissimum superiori ætate de Venerabili Congregatione Windesimensi Monasterium, in Diœcesi Halberstadiensi, nostris etiamnum temporibus inter plurimas calamitates ægrè servatum, hodiedum tamen Religioso statu suo satis inclarescit, etsi de tempore & Authore primæ fundationis nondum constet.

Fridericus IV. Augustissimus Romanorum Imperator Archi-Dux Austriæ &c. anno 1474. Duces Saxonicos, Brunsuicenses item & Lüneburgenses (testificante Abrahamo Saurio de Urbibus litt. H. fol. 774.) defensores constituit & Advocatos sacræ Domûs hujus Hamerslebianæ, de qua eadem Conradus Vetter Soc. Jesu Sacerdos in suo purgatorio Lutheranorum anno 1612. typis Ingolstadianis edito ex tristibus illis (quas integras recitat) Reverendissimi ac Illustrissimi Metropolitani Capituli Magdeburgensis litteris ad Electores, aliósque S. R. I. Principes super injuriis sibi ac aliis Comprovincialibus Collegiis sacris ac Monasteriis per Magdeburgenses multifariam illatis de dato 1546. die 15. Augusti, conscriptis & emissis, fideliter âc sanctâ fide refert, complures Canonicos Augustinianos, dum isti in Ecclesiâ ad Altare Divino Numini litarent, à memoratis Magdeburgensibus, prætacto anno ex insperato plusquàm terribiliter irruentibus crudelissimè fuisse mactatos, de quo pluribus loco citato; quibus tamen miseriis omnibus neutiquam attentis, sub Principis & Electoris Brandenburgici dominio Venerabilis Canonia hæc Hamerslebiana hodiedum illæsa subsistit in flore, cui decus æternum ex animo precamur.

Quod Petrum nostrum ejusdemque Continuatores latuit, reseravit diligentissimus Scriptor, etsi à Religione Catholica alienus, Heinricus Meibomius junior, qui in Dissertatione *de Hugonis de S. Victore Patria Saxonia* habet sequentia: REINHARDUS, *Halberstadiensis Ecclesiæ Episcopus XIV.* (*qui ab aliis, ut Helmoldo, & Alberto Stadensi* REINGERUS *dicitur*) *Henrico V. imperante ad Ecclesiæ regimen venit, anno 1107. fuitque ex primaria nobilitate Saxonica, & quidem, si* HENNINGESIO *credimus, Querfurtina, unde Lotharius II. Imp. etiam oriundus.* WINNIGSTADIUS, *à parentibus Parisios esse missum studiorum causa, ibidemque ut majori commoditate iis vacare posset Monasterium S. Victoris intrâsse, & ibi secundum Regulam S. Augustini vixisse, scribit. Redux hinc in Saxoniam à Lothario Duce Saxoniæ ad Episcopatum Halberstadensem commendatus fuit. Factus autem Episcopus inter alia Cœnobia, fundavit quoque* HAMERSLEBIENSE, *& initia quidem ejus ante muros Urbis Osterwici anno 1108. instituit, quadriennio autem post Hamerslebium transtulit, S. Pancratio dicatum, eique præfecit* DITHMARUM, *pietate, & eruditione præstantem virum.* Hucusque in Dissertatione sua Meibomius, qui gravissimis Argumentis contra Mabillonium probat, Hugonem à S. Victore fuisse Saxonem, ex Dynastis Blanckenburgicis ortum, eúmque à Fundatore Hamerslebiensis Cœnobii Reinhardo studiorum causa ex Hamersleben Parisios fuisse missum. Nititur potissimum *Pauli Langii* verbis qui in Chronico Citicensi habet sequentia: *Eodem tempore* (circa annum 1123.) *Hugo de S. Victore, natione Saxo, Parisiis floruit, qui ob eximiam eruditionem, & scripturarum doctrinam alter Augustinus ævo suo habitus est. Hic Novitius fuit in Monasterio Hamersleve, non longe ab Halberstadio. Hic ob studium missus Parisios in magnum Ecclesiæ crevit Doctorem, factus Prior in Monasterio S. Victoris, in quo & usque in finem vitæ permansit. Scripsit Fratribus suis in Hamersleve in sui memoriam devotum libellum* DE ARRHA ANIMÆ, *ut patet in ea, quam præmisit proœmiali Epistola.* Cum Langio consentit *Joannes Lindenbornius* in Historia Episcopatus Daventriensis pag. 350. n. 60. ubi ait: *S. Pancratii Hamersleve Diœcesis Halberstadiensis. In ea religiosæ vitæ tyronem egit, & ut quidam volunt vota nuncupavit magnus ille & inter Ascetices Magistros famosissimus Hugo de S. Victore, qui post ad Universitatem se contulit, & ibi in Virum perfectum & doctum excrevit.* Testis hujus rei tertius est magnus ille Trithemius, qui de Hugone nostro hæc habet: *Hugo Presbyter & Monachus S. Victoris Parisiensis Ordinis Cano-*

nicorum Regularium S. Augustini, & Abbas ut ferunt ibidem, natione Saxo, vir in divinis scripturis eruditissimus, & in sæculari Philosophia nulli Priscorum inferior, qui velut alter Augustinus Doctor celeberimus suo tempore est habitus ingenio subtilis, & ornatus eloquio, nec minus conversatione, quàm eruditione venerandus. Scripsit ad Hugonem Bernardus Abbas Clarevallensis unam sat longam & lectu dignissimam Epistolam. Huncque etiam Episcopum Cardinalem Tusculanum fuisse factum, monet ad finem Dissertationis Meibomius, nixus authoritate Ferdinandi Ughelli *Italiæ sacræ Tom. I. p.* 264. Gratulamur hanc Canoniæ Hamerslebiensi Gloriam, gratulamur cum Meibomio hunc Eruditæ Saxoniæ Civem, qui in vita sua dicere erat solitus: hoc unum votum sibi esse: *ut cibus ultimus Eucharistia, cogitatio postrema de Passione Domini, verbum denique ultimum foret JESUS. Lyræus de Imit. Christi Pat.* fol. 520.

HARTESBURGUM,

Canonicorum Regularium Diœceseos (nisi fallor) Hildesheimensis in inferiori Saxoniâ percelebre satis & inclytum Collegium, cui Conradus II. Romanorum Imperator cognomento Salicus quàm plura prædia in propriam dotem contulit, quod tamen Collegium Hartesburgense posterioribus annis, & quidem tempore nefandi Schismatis illius contra Gregorium VII. legitimum Pontificem sub annum circiter 1075. à rebellibus Saxonibus suscitati funditùs eversum, & cum adjuncto Regularium Canonicorum Claustro merissimè subversum & solo coæquatum periit. Krantzius in Saxonia lib. 4. cap. 36. & in Metropoli lib. 5. cap. 20.

HASLACHENSE

Vetutissimum Diœcesis Argentoratensis in inferiori Alsatiâ Canonicorum primò quidem Regularium, subinde verò sæcularium, Venerabile Collegium, recensetur à Bernardo Hörzog Scriptore Acatholico in Chron. Alsatiæ lib. 3. cap. 10. fol. 26. antiquiore vocabulo *Hasla*, & *Haselaba* nuncupatum idem haud procul à Civitate Argentinensi *ad Haselam fluviolum* (uti loquitur Bruschius de Episcopis Germaniæ Tom. 1. cap. 5. in S. Florentio V. Episcopo Argent.) *non procul à Brenschio percelebri Alsatiæ amne in densissimis nemoribus* vel olim. Primus autem istud apparavit modò nominatus S. Florentius Episcopus natione Scotus, qui dum Sigeberti Galliarum Regis Filiam luminibus orbam in integrum restituit, atque ipsam de posthac lumen cœli videre fecit, à Dagoberto ejusdem Sigeberti Genitore totam circà circùm planitiem gratuitò donatam obtinuit; cui dehinc idem S. Florentius proprium quoddam Oratorium inædificavit, quod succedentibus annis in Collegium Canonicorum Regularium excrevit. Plura de hoc habet Antonius Jepesius in suo generali Ordinis S. Benedicti Chronico Tom. 2. ad annum Christi 663. fol. m. 314. & seqq. in hoc tamen jure merito corrigendus, quòd Fratres ad novam Ecclesiam istam Haslachensem primitùs introductos fuisse contendat sui Ordinis Professores seu Monachos, cujus tamen vocis vel Instituti Bulla fundationis nec verbo quidem meminit, benè tamen illos sub *Canonicâ Regulâ* militâsse dicit. &c.

HAVELBURGUM,

Perantiqua Civitas Episcopalis in veteri Marchiâ Brandenburgensi ad Havelam fluvium (qui illam ambit, lambit, & claudit) probè situata sub annum 946. ab Ottone I. seu Magno Romanorum Imperatore prope sede Episcopali fuit donata, atque eandem ipsa auctorante eodem Imperatore jure ac titulo Suffraganeatûs Metropolitanæ Sedi Magdeburgensi subdita, qualiter constat ex Krantzio in Saxoniâ lib. 4. cap. 14. sic legendo: *Transferri jussit* (Otto Imperator antedictus) *Sanctum Adalbertum de Monasterio S. Joannis nimirùm in Treven ad Archi-Episcopatum* (Magdeburgensem pro tunc recèns institutum seu fundatum) *quem ille ibi gessit ad annos penè quatuordecim, subjecitque illi Episcopatus seu Suffraganeatus Merseburgensem, Misnensem, Citziensem in Salæ fluminis ripâ Brandenburgensem, Havelburgensem. &c.* primos verò & antiquos Havelburgensis Ecclesiæ hujus Cathedralis Canonicos omninò fuisse Regulares apertè colligitur ex Krantzio lib. 6. cap. 12. Metropol. ubi sic habet: *Tum* (tempore primæ fundationis Ecclesiarum seu Episcopatuum antedictorum) *in Magdeburgo crediderim Regulares fuisse Canonicos, sicut ferè per omnes* (Saxoniæ) *Ecclesias;* quas tamen postmodùm circa annum 1130. S. Norbertus Archi-Episcopus Magdeburgensis ad suscipiendum novum Ordinem suum Præmonstratensem invitavit, imò & pertraxit, prout refert idem Krantzius citatus sub his verbis: *Talibus, cùm accederet Regularibus* (Canonicis) *cum novâ regulâ Norbertus facilè obtinuit, ut novitati cederent sumentes habitum ejus & Norbertini exindè dicerentur. &c.*

HEDERS-

HEDERSLEVEN,

Slefwicenfis Diœcefis in partibus Aquilonaribus perpulchra Civitas, hæc tamen eadem jam pridem cum univerfis habitatoribus fuis peregrinam Religionem profeffa, Superiori ætate in primariâ ac Parochiali Ecclefiâ fuâ Canonicorum Collegium quoddam habuit, quod tamen cum mutatione priftinæ Religionis Orthodoxæ jam pridem penitus fuit extinctum, unde de Collegiatâ Hederslevenfi Ecclefia ifta nobis vel invitis haud quicquam ampliùs innotefcit, quàm quòd circa annum 1412. fepultus in eâ fuerit Rumboldus quidam Dux Silefiæ à Sigismundo Rom. Imp. Rege Boëmiæ &c. &c. ad pacem inter Ericum Daniæ Regem & Duces Holfatiæ tranfigendam. Zeillerus fol. 631.

HEIDENFELDENSIS

Præpofitura Canonicorum Regularium S. Auguftini Diœcefis Wirceburgenfis in Franconia propè Civitatem Imperialem Sweinfurtenfem fita, quæ in fuis membris hodie infigniter floret. Illius hiftoria in fpeciales paragraphos diftincta, ante aliquot nnos transmiffa fuit ad Virum Clariffimum D. Joannem Antonium Zunggo Can. Reg. Celeberrimi Voravienfis Canoniæ in Styria inferiori, ut illam cultiùs elaboratam fpeciali Canonicorum Regularium Hiftoriæ, quam à pluribus jam annis molitur, infereret, cum tamen illa necdum publicam lucem viderit, haud ægrè Virum hunc Eruditiffimum laturum credo, fi hanc Heidenfeldenfis Præpofituræ Hiftoriam, quam me procurante accepe- rat, Lectorum oculis hic eo, quo communicata fuit, ftylo fubjiciam, donec faventibus fuperis ejusdem Opus, quod calentiffimis votis mecum totus Canonicus fufpirat Ordo, juxta elegationis Litteraturæ regulas exafciatum erudito Orbi typis publicis communicetur.

§. I.

De Præpofituræ Heidenfeldenfis fundatione.

Præpofituram Heydenfeldenfem Fundatores & Authores habuiffe Hermannum Marchionem de Vohenburg ex Bavaria oriundum, Alberadam Conjugem Ejus & Comitiffam de Banz in Franconia natam, ac Adalberonem Epifcopum Wirceburgenfem Arnoldi Comitis à Lambach in Diœcefi Patavienfi filium, non tantùm conftans eft traditio, fed ex antiquiffimo Mortilogio ibidem affervato fufficientiffimè conftat. Primam autem hujus fundationis occafionem & originem dedit prædicta Alberada, cùm enim præfatus Ejus Maritus Hermannus quodam tempore, cùm quoddam torneamentum acceffiffet, volens cum aliis Nobilibus militiam torneamenti exercere, ibidem grandi infortunio fibi comitante intrà multitudinem aliorum corruens fuiffet oppreffus, filiúsque Ipfius Conradus fub Caftro Banz in Mogo hyemali tempore trocho ludens fracta glacie in aquas fubmerfus, atque deorfum per flumen usque ad Confinia Heydenfeld delatus, ibique inventus fepulturæ fuiffet traditus; Alberada Divini Numinis Inftinctu provocata pro remedio animæ fuæ, Mariti defuncti, & filii in Heydenfeld fepulti requie Præpofituram prædictam circa annum 1050. vel 1052. circiter propriis fumptibus opibúsque conftruere atque fundare cæpit. Quia verò prænominata Matrona fucceffu temporis caftrum fuum Banz mutaverat in Monafterium Ord. S. Benedicti, petiit ab Adalberone Epifcopo Wirceburgenfi bona & Decimas in circuitu illius Caftri adjacentes, & ad Ipfum fpectantes pro præbenda Monachis ibi inftituendis donari & incorporari, loco horum autem bonorum & Decimarum Adalberoni offerendo & tradendo in confpectu Cleri & populi Anno Incarnationis Dominicæ 1069. alia bona & Jura cum Præpofitura jam conftructa & fundata Heydenfeld ita tamen, ut in Eadem Canonicos Regulares fecundùm Regulam S. Auguftini viventes inftitueret, Eam illis traderet, cæteráque Regulæ & ftatui huic congruentia adaptaret.

Adalbero petitioni & Voto Alberadæ benigne annuens, non folùm Præpofituram juxta pactum præmiffum fibi oblatam & traditam lubenter acceptabat, fed & ftatim eò intendebat animum, ut inveniret talem Canonici & Apoftolici Ordinis Virum, qui in pietate ac doctrina fana fundatam novam Ecclefiam regere & gubernare, ibique primordia hujus Inftituti ponere effet idoneus.

Noverat autem Adalbero optimè in Bavaria tunc temporis Ordinem Canonicorum Regularium S. Auguftini quàm maximè florefcere, ex ea regione Ortonem nomine Ejusdem Ordinis pium ac prudentiffimum Virum ad implantandum in Præpofitura Hey-

denfeld Ordinem Canonicum postulavit, & Anno Incarnationis Dominicæ 1071. in I. Præpositum constituit & confirmavit, atque Ecclesiam in Nomine Domini & Spiritu Dei regendam Illi comisit & tradidit.

§. 2.

De Ejus Dotatione.

Ut autem Alberada & Adalbero multò excellentius atque immortale persusissimæ in fundatam novam Præposituram liberalitatis suæ redderent testimonium, quàm plurimùm etiam illam dotârunt.

Nam Alberada, cujus prædia & Bona extiterant dilatata à Castrò Banz usque ad confinia Wirceburg, huic Ecclesiæ pro alendis Viris Canonicis donavit medietatem Bonorum cum omni genere utilitatis & Jurium, quam possidebat in Heydenfeld; Prædia & Bona omnia cum omnibus Juribus in Eülendorff, nunc Ellenhoff nuncupatum; Curiam Oettershausen cum omnibus compertinentiis, adjacentibus prædiis, Vineis, pratis, sylvis & aliis quibuscunque bonis & Juribus; Magna & multa prædia & Bona in Decheim, Thalheim, Schwanfeld, Wipfeld, Opferbaum, Bergtheim, Dieppach, Stamheim, Volckach, Gernach, Hirschfeld, in superiori & inferiori Spiesheim, Hertheim, Gochsheim, Grehstatt, in inferiori Wern & Colizheim.

Adalbero autem in perpetuum Illi donavit ac incorporavit plenissimo Jure Parochiam Wipfeld cum omnibus filialibus Illi adhærentibus, cum omnibus quibuscunque Juribus Parochialibus, Proventibus, & Redditibus pro Præpositura applicandis, item de cultis & incultis bonis totales Decimas majores Vini & frumenti, ac minores ex omnibus terræ & arborum fructibus, etiam de certis annimalibus, totales, inquam, Decimas in Wipfeld, Swanfeld, Thalheim &c. ita tamen ut in perpetuum Canonici hujus Ecclesiæ per seipsos curam animarum, istis locis exerceant, omnésque parochiales functiones peragant. Jure igitur meritissimo Hermannus Marchio, Alberada Comitissa Conjuges, Conradus filius Eorum, & Adalbero Episcopus Nomen Honorémque Fundatorum hujus Præposituræ sibi comparârunt; atque ut Posteritati constaret Eos hoc titulo esse longè dignissimos hujus Præposituræ Antecessores in perpetuam memoriam non tantùm Illos ùt Fundatores diligentissimè annotârunt, sed eitam pro Illis (licet per aliquam visionem pio alicui Religioso factam de Eorundem Beatitudine æterna jam consecuta quasi certificati) quot annis præter Vigilias Defunctorum persolvendas aliáque plura sacrificia annuatim celebranda, Duo solennia sacra de SS. Trinitate à Præposito cantanda constituerunt & ordinarunt.

§. 3.

De Ejus Benefactoribus præcipuis, & Incremento.

Adalberonis profusam pietatem & liberalitatem in Canoniam Heydenfeld æmulati sunt Ejusdem Successores Episcopi Wirceburgenses, qui hanc variis donationibus, favoribus, Beneficiis & Juribus sublimârunt, incorporandis sibi bonis & Juribus adjuverunt, atque per suam Pontificiam Authoritatem confirmârunt, ideóque iure merito præcipuos inter Benefactores suos numerat ac veneratur hæc Præpositura Heydenfeld. In quorum liberalitatis ac Munificentiæ fidem & testimonium, asservantur in Archivo Heydenfeldensi Litteræ speciales & quidem sub

Num. 1.

Litteræ Embrionis Episcopi Wirceburgensis, in quibus affirmat Parochiam Wipfeld antehac jam fuisse in Ottonis Præpositi Heydenfeldensis Jure; aliqua Filialia ab Ea separat, ac potestati Præpositi in Heydenfeld immediatè cum omnibus Juribus parochialibus in perpetuum subjicit, & ut imposterum Ecclesiam in Heydenfeld superiorem pro Matre habeant, ordinat & plenissimo Jure incorporat. Anno Domini Incarnationis MCXLI. Indictione IIII. Nonis Decembris, Regnante glorioso Romanorum Rege Conrado II. Ottone præfati Monasterii Præposito, Popone Advocato &c.

Num. 2.

Litteræ, pariter Latini Idiomatis Hermanni Episcopi Wirceburgensis Confirmatoriæ, super venditione quorundam Bonorum & Advocatiarum à Nobili Conrado de Speckenfeld

ckenfeld Ecclesiæ in Heydenfeld facta. Anno Incarnationis Domini MCCXXXI. Indictione V. Pontificatûs sui Annô VII. Regnante glorioso Romanorum Imperatore Friderico & Filio suo Heinrico.

Num. 3.

Litteræ Latini Idiomatis sub Regimine Ejusdem Episcopi Hermanni, in quibus ad Mandatum & Petitionem Ipsius Comes Heinricus de Hennenberg Bonis in Heydenfeld, & Castro Habersberg non reædificando renunciat. Herbipoli Anno Domini MCCXLVII. in mense Novembr. Indictione VI. Pontificatûs Ipsius Anno XXIII.

Num. 4.

Litteræ Donationis, Idiomatis germanici, Joannis Episcopi Wirceburgensis, in quibus absolvit homines in Heydenfeld ab Advocatiæ Jure, aliisque realibus & civilibus exactionibus & oneribus, quæ Advocati Ipsius Episcopi per vim prætendebant, atque Præposituræ ibidem Advocatiam aliáque Jura cedit. Herbipoli in Festo SS. Sebastiani & Fabiani Martyrum Anno Domini MCCCC. XVI.

Num. 5.

Litteræ fundationis, latini Idiomatis, in quibus Joannes Episcopus Wirceburgensis Beneficium Primissariæ ab Henrico Schenck de Rosenberg aliisque in litteris fundationis expressis, in Hohefeld fundatum, ex munifica liberalitate cum omnibus Bonis, Proventibus & pertinentiis ad Præposituram Heydenfeld per liberalem Donationem in perpetuum transtulit omnésque fructus atque proventus mensæ Præpositi incorporavit. Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo sexto in Vigilia Beati Michaëlis Arch-Angeli.

Num. 6.

Litteræ, germanici Idiomatis, Joannis Episcopi Wirceburgensis, quibus cum consensu Capituli Cathedralis Prædium in Wipfeld cum omnibus Bonis, Pertinentiis & juribus Conrado Præposito & Canoniæ in Heydenfeld vendidit. Herbipoli Anno Domini 1419. In die Sancti Nicolai Episcopi.

Num. 7.

Litteræ, germanici Idiomatis, Joannis Episcopi Wirceburgensis, in quibus decem Maltera Siliginis, quæ Præpositura alioquin annuatim Eidem de Prædio sibi ab Ipso Episcopo Anno 1419. in Wipfeld comparato, dare tenebatur, relaxavit. Geben am Dienstag nach unser lieben Frauen-Tag Assumptionis Anno 1437.

Spectatis Donationibûs, aliisque favoribûs Episcoporum, quibus Canoniam sublimârunt, videamus Jura & Privilegia aliqua Ecclesiastica, quibus Præpositos hujus Canoniæ Heydenfeldensis exornârunt & quidem

1. Melchior Episcopus Wirceburgensis Præposito Andreæ Emes omnibúsque sibi Successoribus Jus Archi-Diaconatûs Anno 1553. die 21. Augusti contulit, quatenus per hujusmodi Joachimo Schmiden Ecclesiæ in Wipfeld Parocho actualem, realem, Corporalem, & personalem possessionem cum omnibus fructibus, redditibus, & proventibus ejusdem Parocho traderet.

2. Joannes Philippus Episcopus Wirceburgensis, Archi-Episcopus & Elector Moguntinus Præposito Andreæ Deichmann omnibúsque Successoribus Jus & Privilegium sub Alexandro VII. Pontifice Maximo procuravit, ut Præpositi in Heydenfeld liberè possint uti Mitrâ, annulo, aliisque Insigniis Pontificalibus Anno 1664. Pontificatûs sui Wirceburgensis Anno XXII.

Præterea non sunt silentio prætereunda Beneficia Parochialia, quæ Episcopi Wirceburgenses in sua Diœcesi, Clericorum sæcularium locò, Canonicis hujus Ecclesiæ à primordio fundationis usque ad hanc ætatem gratiosè conferre consueverant.

Franciscus Episcopus Wirceburgensis Canoniæ huic contulit Parochiam Herrtheim Anno 1635. Parochiam Franckenwindheim & Primissariam in oppido Gerolzhoven. Anno 1642.

Joannes Philippus Elector Moguntinus ac Episcopus Wirceburgensis salvâ tamen semper præsentatione Capituli Cathedralis vel aliorum Patronorum, instituit Canoniam in Parochias Hergolzhausen Anno 1644. Gravensheimfeld 1647. Edleben 1649. Fahr 1653. Geldersheim 1655. Unter- & Ober-Spiesheim 1656. Grossen-Lanckheim 1656. Wil-

lenzheim 1657. Herrlheim 1659. Schlehenried 1662. Ober Volckach Zeüzleben, Untereyssentheim 1669. Geübach 1672.

Joannes Hartmannus Episcopus Wirceburgensis contulit Parochiam Colizheim Anno 1674.

Joannes Gottfridus instituit Canoniam in Parochiam Hergolzhausen Anno 1687. Geübach prius tamen à Lothario Electore Moguntino præsentatione expeditâ Anno 1694.

Joannes Philippus eandem Parochiam Geübach salva præsentatione prioris Patroni Anno 1612. Postremò Christophorus Franciscus concessit Canoniæ prius præsentatione facta à Capitulo Cathedrali Parochiam Hergolzhausen 1728.

§. 4.

De Ejus Variis & multiplicibus Adversitatibus, Bonorúmque Diminutiónibus.

I. Ab anno 1250. postquam Regnum Imperii usque ad annum 1273. fuerat acephalum, Jus illud armatum, seu Vindicationis privatæ vulgò Faustrecht per Germaniam invaluit, unde evenêre devastationes agrorum & vinearum, direptiones Bonorum, malaque alia innumera; Malo huic pessimo quoque fuerunt simul associata bella & seditiones ferè per ducentos annos continuata; Bella quidem Episcoporum Wirceburgensium cum Comitibus, Nobilibus & aliis extraneis; seditiones autem Civium Wirceburgensium contra suos Principes & Episcopos, totúmque Clerum unde tota Diœcesis mirum in modum fuit dilacerata; atque his accesserunt alia communia mala, ùt sunt gravissimæ & extraordinariæ pecuniarum exactiones, pestis, sterilitas terræ, inundationes aquarum rerum omnium penuria & summa egestas; nam Anno 1213. pestilentia per omnem latè Franconiam ita defæviebat, ut brevi temporis intercapedine multa millia hominum extinxerit; Anno 1275. & 1312. tanta per Franconiam aquarum inundatio facta est, ut omne semen suffocârit, inde fames ac summa annonæ caritas. Anno 1356. pestilentia iterum vehementissimè grassata est, nullus neque in Vineis neque in arboribus fructus, unde vini pretium magnopere accrevit. Per hujusmodi verò multiplicata mala & adversitates Canoniæ irrecuperabilia damna evenêre; nam his temporibus plurimas suas Advocatias atque alia prædia & Bona (nescio, quo titulô ad manus alienas pervenerint) perdidit, ùt sunt Advocatia totalis cum multis prædiis & bonis in Spiesheim, exceptis duobus subditis cum suis prædiis & Bonis, atque adhuc aliis bonis Emphyteuticis; Advocatia totalis cum suis appertinentiis in Herrlheim, Advocatia totalis in Gernach; Advocatia totalis cum suis compertinentiis in Opferbaum. Vendidit autem Anno 1298. decem Maltera Sigilinis annuatim solvenda Beneficio S. Brictii in Wirzburg, unum prædium cum suis Bonis & juribus in Niderwern; & Anno 1405. Advocatiam totalem cum Decimis Vini & frumenti aliisque Bonis & Juribus in Hirschfeld.

II. Anno Christi 1525. quando Rusticorum Conjuratio excitata in Germania adolevit, ac totam quoque Diœcesin Wirceburgensem cædibus, incendiis, vastationibus depopulata est, furor rabiésque Rusticorum cum tali impetu in Canoniam Heydenfeld irruit, ut omnia jumenta, boves, equos & oves rapuerit, granaria omni frumento, cellas omni vinô evacuârit, calices & ornamenta Ecclesiæ spoliârit, & profanârit, agros & vineas devastarit, cúmque omnia súsque deque versa fuissent; totam quoque Canoniam incineravit, ignéque consumpsit; præterea quanta rursus damna Canonia sit perpessa, quantáque debita pro reparandis & reædificandis ædificiis contraxerit, prudenti judicio relinquitur.

Occasione etiam hujus calamitosi temporis placet in memoriam revocare, quæ supra §. 3. N. 5. de Primissaria in Hohefeld dicta sunt, utpote quòd præmemorata Primissaria per liberalem Donationem Joannis Episcopi Canoniæ fuerit unita; quod Beneficium Canonia à tempore Incorporationis, & Unionis usque ad tempora & Bella Rustica, adeóque ultra centum annos quietè possederat, reditúsque illius omnes annuatim collegerat & acceperat. Postquam autem Incolæ Hohefeldenses tempore hujus Belli Rustici ad Lutheranismum deflexerunt, Primissarium ejecerunt, proventus redditúsque Canoniæ dolosè denegârunt. Proin, ne pia fundatio talis Beneficii ex toto periret, ac Præpositura possessionem suam conservaret, & illam contra Acatholicos suo tempore prætendere posset, redditus illius usque ad meliora tempora Communitati Hohefeldensi per Contractum Locationis & Conductionis omnibus sex annis renovandum cum certa pensione, scilicet unô culeô Musti mensuræ Hohefeldensis, tertio anno solvenda ab Anno 1537. usque ad moderna & hodierna tempora reliquit, prout novissimè Litteræ Locationis super redditus Primissariæ Hohefeld ex parte Canoniæ Heydenfelsensis de

anno

anno 1737. die 15. Novembris germanici idiomatis, & Litteræ Reverſales Conductionis ſuper redditus Primiſſariæ in Hohefeld ex parte Communitatis Hohefeldenſis ſub eodem Die & Anno præmemorato, ac idiomate exaratæ, & invicem mutatæ exhibent.

III. Anno 1553. Albertus Marchio Brandeburgicus, cùm infenſus Cæſari, Imperio, Clero, bonis omnibus, magna ferocitate, flammis, depopulatione, luctu & terrore totas provincias implêſſet, Franconiam & Mæni Partem perſulcans, maximo damno Heydenfeldam quoque involvit. Nam avarus & ferox miles non tantùm Canoniam totaliter ſpoliavit, vaſtavitque, ſed & Eam magna pecuniæ quantitate præ æſtimatione condonati incendii, vulgò Brandſchazung, numerata atque ſolutâ contra fidem datam & promiſſam in cineres redegit, quapropter Canonia iterum adeò fuit depauperata, ut eodem anno Nobili Carolo de Redwiz mediam partem Decimarum Vini & frumenti in Schwanfeld, ac ex poſt Anno 1579. propter plurima debita contracta, alteram mediam partem Decimarum Vini in Schwanfeld Hoſpitali Julianæo in Wirzburg vendere cogeretur.

IV. Anno 1631. Cùm Guſtavus Adolphus Sueciæ Rex funeſtum Franconiæ bellum intuliſſet, latéque omnia populatus, hujus belli tempeſtas in Diœceſin Wirceburgenſem quoque incubuit. Adventante igitur Ejusdem Regis Generali Commiſſario Vrangel Heydenfeldæ, nolens volens Præpoſitus cum Suis ſeſe Suecico Imperio ſubdere cogitur. Ne autem Canoniæ & ſuis Subditis à ſuo Gregario milite mali quid inferatur, pro ſalva quardia apud Generalem humillimis precibus inſtitit, Eámque pro oblata pecunia petita cum conditione obtinuit; Verùm cùm præfatus Generalis Civitatem Imperialem, ſed Lutheranam Schweinfurth non longè à Canonia diſtantem obſideret, cum duobus millibus Equitum ferè per tres menſes Heydenfeldæ caſtra metatus eſt, totam Marchiam devaſtavit, omniáque jumenta, oves & boves, integrámque ſubſtantiam œconomicam rapuit atque ſpoliavit; Et quod magis deplorandum à Gubernatore Schweinfurtenſi Canoniæ Adminiſtrator Joannes Milz nomine eſt conſtitutus, qui per plures annos non Adminiſtratorem ſed Dilapidatorem egit, cùm helluando, bacchando, diu noctúque ſaltando cum ſuis Aſſeclis Schweinfurthenſibus aliſque Patrimonium Chriſti & Eccleſiæ conſumpſerit; econtra verò Præpoſitum & Canonicos in unum cubile includendo in victu & veſtitu tam miſerè habuerit, ut Præpoſitus Joannes hujus rei indignitate commotus, Schweinfurthum, auxilium Gubernatoris imploraturus, perrexerit, ſed ibi, ùt ſuſpicatur, venenò extinctus & interemptus curru fimeo vectus Canoniam repetiit.

Unum eſt adhuc, quod annectam, calamitoſo huic tempori congruum, Exemplum nempe horrendæ atque inauditæ crudelitatis, ac novi Martyrii genus à Suecicis militibus in Liborio Wagner Parocho Sæculari exercitum, Cujus Reliquiæ in Eccleſiam Heydenfeld fuerant deportatæ. Liborius cognomine Wagner Mühlhuſii civitatis Imperialis in Thuringia honeſtìs quidem, ſed Acatholicis parentibûs natus, ætate paulò gravior ab iis ad omnem honeſtæ vitæ rationem imbutus, ad artes liberales accommodatur, peractiſque inferioribus & Philoſophiæ ſtudiis de religione Acatholica dubitare cæpit, hoc lumine impulſus, relicto Patre & Patria Wirceburgum ſe confert, ibidem à PP. Societ. Jeſu in Catholica fide inſtructus, eámque, hæreſi abjuratâ, palam confeſſus & amplexus eſt. Poſtea ad Principale Seminarium ad S. Kilianum Wirceburgi admiſſus, ſtudiis Theologicis ſummo progreſſu incubuit; ita ut dignitate ſacerdotali accepta, Parochia Altenmünſter adminiſtranda Ipſi fuerit collata, cúmque in ea multos de vera fide periclitantes ad ovile Chriſti perduxiſſet, multis exinde factus exoſus, ad Gymnaſium Reichmannhuſii tanquam ad aſyli locum à parochianis ſuis, ibidem gratitudinis loco auxiliares manus exſpectaturus, confugiens, ab iisdem tamen turpiter deceptus, Suecico tunc temporis Franconiam crudeliter invadenti Hoſti doloſè tradebatur, & à militibus ad pagum Schonungen ductus, diu noctúque Eum barbarè torquendo, totam pecuniæ ſuæ ſubſtantiam octoginta ſcilicet Imperiales abripiebant, atque cum ipſo ultèrius ad Caſtellum Mainberg pergentes inhumano modo ad ampullam trium menſurarum, uno hauſtu abſque omni reſpiratione ſæpius ebibendam Liborium coegerunt, omninò rati Illum ſic ſana ratione privatum, fidem Catholicam certò certius negaturum; ſed Deus ita diſpoſuit, ut crebris illis potationibus neque illius mentem perturbare, multò minùs ad negandam fidem adigere potuiſſent. Hiſce fruſtra tentatis impia militum cohors adhuc acerbiora genera excoquere & in Liborio exercere cœpit; jam ſacras ejus Conciones contumeliis laceſſere, jam ad conferendas cum ſcurris manus cogere, eique Sclopetum pulvere nitrato refertum ad explodendum tradere, ut illô diffractô vulnere gravi fauciatus ad terram procumberet, jam genas Liborii inſperſo ſale crudeliter dilacerare, Ejúsque nares & capillos liquata pice & cerâ hiſpanicâ illinire, illitas accendere, accenſas

 acuto

acuto instrumento perforare, sicque Eum infixo hoc instrumento patientem longo temporis intervallo tenere, demum, quod casta mens vel cogitare erubescit, illius virilia cæstu, manúsque laqueis ligata, malleis tam inaudito modo conquassare, ut carnem, ungues & ossa ab invicem soluta, totúmque Liborium unum esse vulnus facillimè videre erat; His tamen vulneribus nefandi hi Sicarii ad commiserationem non tam commoti, quin novo potius furore acti Liborium ad stipitem alligatum ejus cervici picem ferventem infundendo & ad fornacem æstuantem illum per duarum horarum spatium vehementer assando cruciârint; inter quæ & cætera tormentorum genera, quibus propudiosissima militum colluvies Liborium per solidas quinque dies torquebat, continuò ex ipso quærebat, an se Papistam & Catholicum profiteri perseveret, aut pœnis his liberatus divitiis, dignitatibus, & mundi voluptatibus frui, & ad Religionem Acatholicam revertere velit? Sin autem, se mortem acerbissimam experiri debere, credat. At contemptis his minis Liborius imperterritè reposuit: Vivam, patiar & moriar Romano-Catholicus. Tandem convocato tam Ducum quàm Scurrarum cohorte Liborius ad Mœni littus reducitur, & duo in illum sclopeta fuerunt explosa, sine effectu tamen, proin Designator Diversoriorum militarium ex equo prosiliens, Illum gladio suo transfixit, finemque Tyrannidi posuit, atque Martyrium in Athleta Christi complevit, dum animam suam Deo commendans beatè exspiraverit, exoptatam Martyrii lauream 9. Decembris 1631. assecutus. Impii autem milites perpetrato hoc homicidio nondum acquiescebant, etiam in Defuncti exanime corpus suam rabiem effundere, &; ne illud agnosceretur, vestibus spoliatum Mæno immerserunt, quod autem Deo ita disponente Mænus denuò reddidit, proin Milites arenâ coopertum reliquerunt. Proximo verò vernali tempore, à quibusdam Pagi Schonungen Catholicis Incolis Corpus adhuc incorruptum, & ex dilaniati vultûs cicatricibus, virilibus conquassatis, adustis barbæ, capitisque capillis probè cognitum inveniebatur, & in prato profundius sepeliebatur, donec sedata Belli Suecici tempestate Illud ad Castelli Mainbergici Sacellum deferebatur etiam ibidem tamdiu asservabatur, donec ex jussu Reverendissimi & Celsissimi Principis ac DD. Francisci Episcopi Bambergensis & Wirzeburgensis Illius Reliquiæ, Anno 1637. ad Canoniam Heydenfeld ad S. Mauritium solemni ritu repositæ, & Anno 1661. 21. Aprilis in præfatæ Canoniæ Ecclesia prope summum Altare inciso sequenti Epitaphio fuerint inclusæ.

Hîc quiescit
Antiquissimæ fidei novus Martyr
Sed Veterum Martyrum Novum Exemplar
R. D. Liborius Wagner
Parochus in Alten-Münster.
Vitam, quam ducere cœpit Mühlhusii in Thuringia
Finiit urgentibus Parcis Schoningæ in Franconia.
IX. Decembris, Anno M. DC. XXXI.
Causa mortis fuit, quæ Martyres facit, odium fidei,
Cujus veritatem doctus
Herbipoli in Seminario S. Kiliani,
Ubi Errorem patrium fuitq dedoctus;
Mortis Genus, quale furor suggessit
Crudelissimum.
Tormenta, quæ in pluribus olim Tyrannis excogitavit,
In Eo uno furor exercuit omnia,
Hæc animô tulit, qui Martyres decet, constanti
Ut, si bonum certamen certaret, & cursum consummaret
Servata fide acciperet justitiæ coronam,
Crudelitatem hanc exosus Mœnus
Traditum sibi Cadaver ultrò reddidit;
Ne inhonorum jaceret, quia ignotum
Erubuit littus, &, ùt potuit arenis texit,
obstupuit putredo, & incorruptum
servavit in Ver proximum,

Ut

Ut
in Servo fideli
Glorificetur DEUS.
Positum
21. Aprilis
Anno M.DC.LXI.

§. 5.

De Serie Præpositorum Heydenfeldensium, Eorumque factis.

Ob tot temporum infelicitates, & repetitas Canoniæ devastationes, de Præpositorum factis memoriæ ferè nihil fuit relictum, quod autem superstes est, Posteritati communicatur;

I. Primus Præpositus Heydenfeldensis fuit Otto hujus Nominis primus, qui ab Adalberone Episcopo Wirceburgensi ex Bavaria postulatus, & Anno 1071. in primum Præpositum fuit constitutus; præfuit cum magno Præpositurae incremento 30. annis, ac Diem supremum piissimè clausit Anno 1101. Ab anno 1101. usque ad annum 1140. unus aut alter Præpositus desideratur, sed quia nullius nomen invenitur annotatum, in serie est ponendus

II. Otto hujus nominis secundus, qui Anno 1140. in Præpositum assumptus; ad illius petitionem Embrico Episcopus Wirceburgensis aliqua filialia à Parochia Wipfeld separavit ut ex §. 3. N. 1. patet. Cætera autem acta, sicut & annus hujus Præpositi ignorantur. Prout etiam post Hunc usque ad annum 1266. alicujus Præpositi notitia non occurrit; constat tamen, Canoniam varia Bona intra illa tempora acquisivisse, & comparâsse, intra quæ illa sub §. 5. N. 2. & 3. nuncupata numerantur. Anno 1250. incipiebant tristia illa & acerba tempora de quibus supra §. 4. facta fuit mentio. Deinceps Series Præpositorum accuratè observabitur,

III. Engelhardus hujus nominis I. fuit ad Præposituram evectus Anno 1266. in libello autem Anno 1738. edito & intitulato: *Brevis notitia Monasterii Ebracensis fol. 92.* nominatur Engelbertus. Verba sunt hæc: Anno 1275. empti sunt à Præposito Engelberto Canoniæ Heydenfeld duodecim Mansi in inferiori Spiesheim cum omnibus attinentiis & juribus. Cùmque regimen Ipsius Præpositi per decem annos adversis casibus plenum fuerit, decessit è vita 29. Jan. 1276. huic successit

IV. Fridericus hujus nominis I., qui per Electionem Præposituram suscepit Anno 1276. post duodecimum sui Regiminis annum mortalitatem exuit. 4. Martii 1288. post hujus mortem ad clavum pervenit

V. Conradus hujus nominis I. cognomento Dieterich Anno 1288. qui patrocinante Manegoldo Episcopo Wirceburgensi tria prædia cum omnibus Bonis in Garnstatt ab omni alterius Dominii jure libera per liberalem Donationem acquisivit; tenuit clavum Præposituræ undecim annis, & 19. Februarii 1299. è vivis est sublatus, hujus in Præpositura Successor fuit

VI. Wolcknandus, cui per Electionem Anno 1299. fuit præfectus, Illisque præfuit annis undecim; decessit ex hoc mortali Sæculo 4. Martii 1310. hunc in dignitate sequitur.

VII. Theodoricus Anno 1310. vixit in Regimine undecim annis, & Anno 1321. 1. Junii ex hac mortali vita migravit. Huic per electionem successit

VIII. Adelbertus eodem anno 1321. & Anno 1335. 8. Junii mortalitas sui Regiminis finem fecit. Nactus successorem

IX. Lambertum, qui anno 1335. electus, & post novem sui Regiminis annos diem clausit supremum 11. Junii anno 1344. post Hujus obitum in Præpositum est assumptus

X. Joannes hujus nominis I. cognomine Dapifer Anno 1344. præfuit annis quindecim, & 26. Augusti 1359. morti succubuit. Eodem anno eligitur

XI. Walderferus, qui tantùm duobus annis præfuit, ac obiit 2. Septembris 1361. huic surrogatus est

XII. Arnoldus cognomento Truchses, postquam ferè viginti & quatuor annis Canoniæ præfuisset, vitam mortalem cum immortali permutavit 23. Septemb. 1385. post Hunc Canoniæ Regimen adiit

XIII. Joannes hujus nominis II. cognomento Jeth Wipfeldensis Anno 1385. præfuit Canoniæ usque ad annum 1389. 24. Sept. & è vita mortali exivit, relinquens hanc Dignitatem Successori, qui fuit

XIV. Udalricus, cúmque in Præpositura tribus annis sedisset, exuit hominem mortalem 30. Octobr. 1392. sed eodem anno ad Præposituram est suffectus

XV. Fridericus hujus nominis II. qui postquam duodecim annis gubernâsset, se mortalitati subjecit 14. Decemb. 1404.

XVI. Conradus hujus nominis II. Cognomento Höen, qui Anno 1404. electus, Huic ab Episcopo Joanne Beneficium Primissariæ in Hohefeld fuit donatum & Canoniæ in perpetuum incorporatum & unitum, juxta §. 3. N. 5. cúmque necdum vigesimum sui Regiminis annum complesset, obiit 6. Novembr. 1424. post Hujus obitum electus est in Præpositum

XVII. Wigandus Mack, præfuit duobus annis & quatuor mensibus, atque 6. Martii 1426. in immortalem vitam abiit. Cui successit suus Germanus

XVIII. Joannes hujus nominis III. cognomento Mack, post annos triginta & septem sui Regiminis animam in Domino efflavit 24. Sept. Anno 1462. post Hunc ad Præposituram accessit

XIX. Henricus de Bimpach, hic in Anno 1466. suffragante Joanne Episcopo Wirceburgensi Sylvam cum pratis à 1100. jugeribus in Recessibus Sylvæ arduæ sitam acquisivit. Anni sui Regiminis fuerunt octo, migravit è vita 4. Augusti 1470. Hunc per electionem est secutus

XX. Conradus hujus nominis III. Cognomento Brunn, qui novem mensibus in dignitate sedens diem clausit extremum 21. Maji Anno 1471. post Hujus mortem eligitur

XXI. Thomas hujus nominis primus Cognomento Körner, cùm præfuisset annis decem ante mortem adhuc Præposituram resignans, mundum unâ cum dignitate sua reliquit 22. Decembris Anno 1481. Huic ex sua Resignatione successit

XXII. Conradus hujus nominis IV. Cognomine Haub; cùm duobus annis & tot mensibus commissam sibi familiam gubernâsset, Anno 1484. 29. Februarii in Domino defunctus est. Hujus locum consecutus est eodem anno

XXIII. Paulus Rietmecher, qui in sui Regiminis decimo sexto anno necdum completo mundo valedixit 24. Febr. 1500. cui successit

XXIV. Joannes hujus nominis IV. Cognomento Göllner, qui 20. Decembris 1502. naturæ debitum solvit, post Hujus obitum eodem anno adhuc successit

XXV. Thomas hujus nominis secundus, Is, cùm tribus annis in Præpositi Regimine exegisset, diem supremum obiit 30. Decembris 1507. cui surrogatus est Anno 1508

XXVI. Nicolaus Sturm, cùm per septendecim annos curam sibi commissam optimè administrâsset, incidit in illa infelicissima & tumultuosa tempora, in quibus anno 1525. seditiosa Rusticorum plebs potissimum in Canoniam Heydenfeld tam furiosè desæviebat, ut præter rapinas & alias insolentias illam etiam flamma consumpserit, ex §. 4. N. 2. Sed talis Præpositi mærorem, quem conceperat, quis enarrabit? nihilominus non despondebat animum, sed in auxilium Dei confidens pecuniis ab aliis mutuò acceptis reparare ac reædificare ædificia summè necessaria, atque alia in Ecclesia, quæ ad cultum divinum pertinebant, restaurare cœpit. Sub Hujus Regimine Anno 1527. Canonia cum requisitis solemnitatibus liberè cedebat Joanni de Bibra & omnibus sibi Successoribus in Schwäbheim 150. jugera agrorum campestrium & pratorum Kesbach vel Wahläcker nuncupata, ita tamen, ut Joannes Nobilis de Bibra in Schwäbheim & omnes ejus Successores annuatim Canoniæ solvant de memoratis Bonis decem maltera Sigilinis; præterea Canonia sibi retinuit jus pascuæ pro ovibus suis, & memorata Bona pro hypotheca ratione annuæ solutionis decem malterorum Sigilinis. Cúmque Nicolaus multis turbinibus & curis jactatus ultra viginti sex annos pro Præpositura multa adversa sustinuisset, ac strenuè

ſtrenuè laboràſſet plenus meritis curſum vitæ finivit 16. Julii 1534. relinquens ſedem Præpoſituræ Succeſſori, ad quam eſt ſuffectus

XXVII. Joannes hujus nominis V. cognomento Schwan ex oppido Volckach oriundus, cùm ſex annis Præpoſituræ præ- & profuiſſet, & debita ex parte ab Anteceſſore pro reſtauratione Canoniæ contracta exſolviſſet, Anno 1540. 19, Aprilis obiit. Huic ſucceſſit

XXVIII. Andreas hujus nominis primus, cognomento Emes Heydenfeldenſis, qui Anno 1540. electus, & primus fuit, cui à Melchiore Epiſcopo Wirceburgenſi jus Archi-Diaconatûs collatum eſt Anno 1553. 21. Auguſti, ſtrenuus hic Vir, dum augmento Canoniæ ſedulo laboràſſet, libros Emphyteuticos & Cenſuales renovari curàſſet, debita ex toto exſolviſſet. Ecce! novas devaſtationes, prædationes, exactiones pecuniarum, Demolitiones & incendia circa Canoniam ſibi concreditam per militem Brandeburgicum Anno 1553. perpeſſus eſt ùt ſuprà §. 4. N. 3. annotavimus. Cùmque demolita & incinerata ædificia reſtaurare cæpiſſet, graviſſimo Regiminis oneri tandem ſuccubuit, cùm id annos ſexdecim in ſumma temporum difficultate ſuſtinuiſſet. 7. Decembris Anno 1556. Succeſſorem habuit

XXIX. Joachimum hujus nominis primum, cognomento Faber ex oppido Gerolzhoven ortum, qui, cùm per aliquot annos Parochum in Wipfeld laudabiliter egiſſet, Anno 1556. ad Dignitatem Præpoſiti eſt ſuffectus; ædificia, quæ à Prædeceſſore ſuo brevi tam tempore compleri non poterant, ex toto reſtauravit, Libros Emphyteuticos de novo conſcribi curavit, Bibliothecam libris plurimis ornavit, & Anno 1579. quinque manſos pratorum & agrorum campeſtrium in Marchia Hohenlindacenſi & Colizheimenſi ſitos Canoniæ proprios Rüdern nuncupatos cum Conſenſu Capituli Prætoribus & Communitatibus in præmemoratis Marchiis in feudum dedit. Poſtquam viginti quatuor annis & quinque menſibus ſumma laude præfuiſſet, hominem mortalem exuit, Anno 1581. 28. Junii. Poſt Hujus mortem eligitur

XXX. Engelhardus hujus nominis ſecundus, cujus anni Regiminis & obitûs ignorantur. Huic ſucceſſit

XXXI. Fridericus hujus nominis tertius, quo anno ad Præpoſituram ſit ſuffectus, ignoratur. Obiit 29. Junii 1587. Hujus Succeſſor fuit,

XXXII. Andreas hujus nominis Secundus, Cognomine Riell Herrlheimenſis, Præpoſitum annis decem & octo egit laudabiliſſimum, & animam 23. Auguſti 1605. in Domino exhalavit. Hujus Succeſſor factus eſt

XXXIII. Caſparus Steim Wirceburgenſis, anni ſui Regiminis cùm fuiſſent tredecim, ſe mortalitati ſubjecit Anno 1618. 4. Decembris. Huic ſucceſſit

XXXIV. Joannes hujus nominis VI. Cognomine Pröſtler Canonicus Sæcularis in Haugis Wirceburgi, cùm ab omnibus pius, humilis & doctus haberetur, ab Epiſcopo Wirceburgenſi ad interim Canoniæ ùt Adminiſtrator præfectus eſt; ſed pro dolor! non Adminiſtratorem, ſed Depravatorem, Diſſipatorem & Veneficum egit, qui uno anno ſedens, convictus Magus meritò igni datus eſt. Cujus memoria quidem non eſt digna huc poni, ſed ut currat ſeries, hìc adducitur.

XXXV. Joannes hujus nominis VII. Cognomento Molitor ad clavum Præpoſituræ pervenit Anno 1619. Hic prius & antiquius nil habuit, quàm ut Canonicam vitam Anteceſſoris impietate labefactatam pro viribus reſtauraret, abolitis penitùs perverſæ vitæ canonicæ monumentis; antequam ad Præpoſituram in Heydenfeld eveheretur, jam erat Præpoſitus in Canonia Trieffenſteinenſi; abdicavit autem 1623. ſuam Dignitatem in Canonia Heydenfeld, ac deinceps usque ad obitum permanſit in Trieffenſtein, Cujus vitæ Elogium Canonia Trieffenſteinenſis nobis exhibet ſequentis Tenoris: Joannes Molitor piæ memoriæ (cujus anima æternum Deo vivat) Canoniæ Trieffenſtein Præpoſitus XXXIII. Magnus Dei famulus, fuit Auguſtinianæ familiæ primævæ Decus præclariſſimum, ac S. P. Auguſtino Soboles ſpecialiter dilecta. Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ ac Sancti & intemerati Ejusdem Sponſi, cujus in honorem Sacellum extruxit, Cultor ſingularis. Cooperator primarius Converſionis Hæreticorum Heydenfeld adjacentium. Divini amoris actibus, præſertim ultimo vitæ ſuæ tempore totaliter immerſus. Eximius SS. Principum Apoſtolorum Petri ac Pauli ac reliquorum omnium Apoſtolorum ſummus Venerator & Amator, quos fratrum turba duodena, ab Ipſo velut ultimum pignus ac fraterni amoris teſſeram inſtante morte (forte facta) accepit.

Felicissimus Reformator verius Fundator nostræ Canoniæ, & Genitor multorum spiritualium filiorum. Hospitalarius Vigilantissimus, ac Pastor Julianæi quondam Herbipolensis. Infirmorum Spiritualis Medicus præcipuus, ad quorum levamen (viribus propriis destitutus) vilissimo curru vectus. Lucerna pedibus nostris, verbis, scriptis & Exemplo. Meritissimus hujus loci ac Heydenfeldensis Canoniæ Præpositus, tandem Visitator Dignissimus. Nulli labori, nulli cedens adversitati, quamvis à Domino Deo multis exerceretur, ita ut Eodem permittente Archivum à Canonia aufferretur, mirô tamen modô rursus restitueretur. Optimus Vir omni Virtutum genere ornatus, & ad vitam Canonicam in seipso exprimendam, quàm in aliis reformandam zelosissimus. Pater Pauperum, Pusillorum & Orphanorum, quibus inflexis genibus Ipse (licet Præpositus) inservit. Ægrotans miraculosa S. P. Augustini visione recreatus repentè de infirmitate aliis stupentibus convaluit, quam Visionem nemini, nisi Confessario & Patri cuidam fideli è Societ. Jesu aperuit. Rarum videre erat in Joanne Modestiæ, humilitatis, Castitatis ac præsertim Charitatis fraternæ exemplar, adeò ut propriis se spoliaverit vestibus, ubi fratrem indigum conspexit, summus omnis proprietatis Osor. Tandem sanctis laboribus fractus, studio mortificationis ob amorem JEsu Christi Crucifixi totaliter intentus, temporis ac diei mortis suæ prænuncius, in senectute bona reddidit Spiritum Creatori suo, Suorum in terris Pater, in Cœlis Patronus, qui, ad quod totis votis ac desideriis suspiravit, Zelosissimus honoris divini & decoris Domûs Dei, quam dilexit. Plura sileo, pro conclusione adhuc addens, summo amori ac Venerationi Joannem hunc habitum, piæ memoriæ Joanni Melchiori quondam Herbipolensi Suffraganeo, Patri NN. Biber è Soc. Jesu, & R. P. Naaman quondam ejusdem Societatis Provinciali, quem ultimum super ejusdem Sepulchrum oràsse ferunt, & dixisse: si Hic vixisset vel obiisset in Italia, jam longè Canonizatus esset. Hunc in serie Præpositorum sequitur

XXXVI. Andreas hujus nominis III. cognomento Roth Marksteinensis, qui post Resignationem Joannis Molitor Anno 1623. in Præpositum fuit electus; postquam in Dignitate sua erat stabilitus, statim admovit manum suam, ut à Philippo Adolpho Episcopo Wirceburgensi litteras cum forma probante & confirmatorias super Permutatione inter Canoniam Heydenfeld & Sigismundum Joachimum Truchses de Hennenberg sub Regimine Julii Episcopi Wirceburgensis inita obtineret; permutatio autem in hoc consistit, quòd nempe Canonia præfato Truchses de Hennenberg dederit 22. jugera pratorum in Ellenhoff, & Marchia Heydenfeldensi sita, pro Sylva Sulz dicta, etiam in Marchia Heydenfeld sita à 40 circiter jugeribus, quæ præmemorata Sylva ad Joachimum Truchses jure proprietatis spectabat, quas litteras confirmatorias ab altefato Episcopo etiam 4. Maji Anno 1624. obtinuit.

Anno 1628. Navem Ecclesiæ de novo construere cæpit, ùt ex sequenti copia Scripturæ depositæ in fundamentali lapide constat:

Anno post Partum Virginis MDCXXXVIII. Die XXVI. Mensis Aprilis. Sanctissimi Domini Nostri Urbani VIII. Pontificatûs VI. Antistitis Herbipolensis Clementissimi Ordinarii Nostri Philippi Adolphi Episcopatûs VI. Invictissimi Imperatoris Ferdinandi II. Regiminis IX. Primum hunc Lapidem fundamentalem benedixit, ac posuit Reverendissimus Præsul ac Dominus Dominus Jodocus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Augusto - Napolitanus, & per Herbipolensem Diœcesin Suffraganeus, in Honorem Beatissimæ Virginis Mariæ, sancti Mauritii, & Sociorum Martyrum, S. P. Augustini, Nicolai, Georgii, Josephi, sanctæ Matris Monicæ, Mariæ Magdalenæ, Catharinæ Virginis & Martyris.

Ædificium prece & pretio promovebat Admodum Reverendus Dominus Andreas Roth de Marcksteinach, hujus Canoniæ Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Præpositus, Præposituræ suæ Anno VI.

Precibus suis ad Deum devotissimè fusis structuræ cooperabantur ex hac Congregatione Canonica Religiosi DD. Martinus Sölnerus Neostadianus Decanus, Joannes Angelus de Biberehen Senior, Casparus Eulhaupt Northeimensis, Wolffgangus Lurz Gerolthovensis: faveant posteri & augeant, Deusque clementissimè prohibeat cuncta adversantia, ne ùt aliàs tertia vice post primam fundationem Anno 1071. flamma, ferroque hostiliter infestata periit, de cætero infestetur.

Item duo altaria in Ecclesia de novo posuit, turrèsque Ecclesiæ ampliavit; Sed en! cùm sub felici hujus Præpositi Regimine res nostræ florescere cœpissent, irruit ex improviso Miles Suecicus Anno 1631. qui omnia è Canonia raptavit, ut suprà §. 4. N. 4.

N. 4. dictum: hæc postquam tristibus ac lachrymabundis oculis aspexisset, extremum vitæ suæ cursum finiit Anno 1632. 20. Augusti, Sepultus propè Altare B. V. M. Vacantem ex obitu Andreæ Præposituram Anno 1632.

XXXVII. Joannes hujus Nominis VIII. cognomento Bauman de Röttingen, obtinuit; Vir verè Religiosus, pientissimus ac moderatissimus, charitativus ac magnanimus, Hic est ille pastor bonus, qui posuit animam suam pro ovibus suis, de quo supra §. 4. N. 4. diximus. Hic cùm octo annis multis adversitatibus & ærumnis jactatus fuisset, tandem pro charitate fratrum suorum mori non recusavit Anno 1640. 2. Septembris. Durante hoc calamitoso tempore Huic succedere debuit

XXXVIII. Michael Schmachtenberger ex oppido Volckach Anno 1640. 22. Septembris, postquam anteà in Parochia Wipfeldensi & Decanatu vitæ Zelosæ & integerrimæ Virum se ostendisset; sed vix Præpositus esse cæpit, propter miserrimum Canoniæ statum totaliter afflictus, sedecim diebus in Præpositura necdum confirmatus sedens, Præpositus esse desiit. In Hujus locum electus est,

XXXIX. Laurentius Wirsing ex Wülffershausen Anno 1640. 3. Novembris. Is erat propter morum humanitatem & animi eximias dotes omnibus charus, idiomate Gallico & Italico instructus, milites Suecicos per suam affabilitatem suaviter demulcendô obtinuit, ut Canonia durante adhuc Bello Suecico à militibus non fuerit igne consumpta. Cùm morbô affectus esset, Schweinfurthum concessit, reparandæ valetudinis causâ, ubi tamen sub Medici manu, postquam Canoniæ laudabiliter quatuor annis præfuisset, 1. Maji 1644. obdormivit. Laurentio defunctô successit

XL. Andreas hujus nominis IV. cognomento Deichmann ex oppido Münnerstatt Anno 1644. 9. Junii ex Canonia Trieffenstein postulatus; durabat quidem adhuc in ingressu suæ Præposituræ Bellum Suecicum, sed post aliquot annos fuit sopitum: pace tunc composita totis viribus intendebat, ut recuperaret ea Bona, quæ propter æs alienum fuerant oppignorata.

Anno MDCL. die XVI. Mensis Octobris, Sub illius Regimine sunt Altaria consecrata; nempe Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus D. noster Joannes Melchior Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Domitiopolitanus Suffraganeus & in Spiritualibus Vicarius Generalis Herbipolensis SS. Theologiæ Doctor, nec non Ecclesiæ Collegiatæ S. Joannis Evangelistæ ad novum Monasterium Decanus &c. consecravit Altare Summum in Honorem Dei omnipotentis, Gloriosæ Virginis Mariæ, Sanctorúmque Mauritii & Sociorum ejus, Augustini & Nicolai Episcoporum, ac Reliquias inclusit SS. Martyrum Anastasii, Felicissimi, Venantii, 10000. Martyrum, Ambrosii Episcopi & aliorum. Singulis quoque fidelibus eodem die præsentibus unum annum, & in die Anniversario Consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus 40. dies, de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessit.

Anno eodem ac Die ejusdem Mensis, Idem Reverendissimus &c. consecravit Altare ad Cornu Evangelii Ecclesiæ in Honorem Dei omnipotentis, Gloriosæ V. Mariæ, Sanctorumque Andreæ Apostoli, Chiliani Episcopi & Martyris, Colonati & Totnani MM. & Reliquias inclusit SS. Martyrum Stephani, Totnani, Vitalis, Victorini & aliorum. Singulis quoque Christi fidelibus eodem die præsentibus unum annum, in die Anniversario Consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus 40. dies, de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessit.

Anno eodem ac Die ejusdem mensis, Idem Reverendissimus &c. consecravit Altare ad Cornu Epistolæ in Honorem Dei omnipotentis, Gloriosæ Virginis Mariæ, SS. Josephi, Joachimi Confess. & Matris Annæ; & Reliquias inclusit SS. MM. Laurentii, Maximi, Placidi, Vincentii, Valentini, Eucharii Episcopi, Agnetis, Cæciliæ V. & MM. de Soc. S. Ursulæ & aliorum. Singulis quoque Christi fidelibus eodem die præsentibus unum annum, & in die Anniversario Consecrationis 40. dies ipsum visitantibus, de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessit.

Anno MDCLXIV. Die 1. Augusti, Idem Reverendissimus &c. consecravit Altare versùs portam Templi in Honorem Dei omnipotentis, Gloriosæ V. Mariæ, Sanctorumque XIV. Auxiliatorum, Aquilini Martyris, Ignatii Loyolæ, Francisci Xaverii Confess. & Elisabethæ Reginæ Portugalliæ, ac Reliquas inclusit SS. MM. Cyriaci, Innocentii, Placidi, Severini, de Societate S. Ursulæ &c. Singulis quoque Christi fidelibus eo die præsentibus unum annum, & in die anniversario Consecrationis hujusmodi Ipsum visitantibus 40. dies, de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessit.

Anno 1651. Curiam Oettershausen prima vice Philippo Ehrwein à Schönborn in feudum dedit & solemniter investivit. Librum etiam censuiticum Canoniæ multùm proficuum propriis manibus conscripsit. Cùmque hucusque Præpositi tantùm Jure Archi-Diaconatûs gaudebant, Hic primus fuit, cui Jus & Privilegium Mitræ & Infulæ cum baculo ac aliis insigniis Pontificalibus ab Alexandro VII. Pont. Max. mediante Archi-Episcopo & Electore Moguntino Joanne Philippo fuit concessum, atque ab Eodem Archi-Episcopo in Sacello aulico Wirceburgensi solemnem Benedictionem tota aula præsente & inspectante suscepit in Die Præsentationis B. V. Mariæ Anno 1664.

Tandem, dum summo cum incremento commissam sibi Canoniam per viginti novem annos gubernâsset, ætate ingravescente Coadjutorem cum spe successionis admisit, qui etiam post Ipsius mortem, Anno 1673. 1. Februarii in Præpositum fuit proclamatus.

XLI. Georgius Bauer, Salisburgensis, Vir valde devotus & pius, qui, cùm Canonia adhuc multo ære alieno esset gravata, ex toto exsolvit, pretiosa insignia pontificalia ex argento & auro comparavit, subditorum ædes dirutas resuscitavit, œconomica ædificia reparavit & adauxit, aliqua Bona Emphyteutica in Gernach sita ab aliquo ex pago Ober-Eysentheim comparavit. Cùmque annos decem & novem pro augmento suæ Præpositurae onus susceptum portâsset, ex hoc mundo cœlestem patriam aditurus, exivit 12. Novembr. 1692. sepultus propè murum Altaris S. Crucis, post hunc ad Præposituram est effectus 1. Decembris 1692

XLII. Albertus Hoch, ex oppido Neüstatt ad Salam oriundus, maximus æmulator Instituti Canonici, Decorem Domûs Dei ita dilexit, ut pretiosis Ornatibus, Candelabris argenteis adauxerit; Organum majus & minus comparavit, Ecclesiam renovavit, ac Altaria deaurari curavit, Infirmariam, Molendinum ex fundamento excitavit, hortum murô circumcingi mandavit, Bibliothecam libris augmentavit, atque pro Juribus Canoniæ conservandis strenuè laboravit; denique cùm annis viginti septem Canoniæ præ-& profuisset, ob ingravescentem ætatem, & vires notabiliter deficientes suam Præposituræ Dignitatem in manus Episcopi liberè & sponte resignavit Anno 1719. atque in sequenti Anno 1720. 26. Martii è vita decessit. Huic ex resignatione successit, & ad Clavum Præposituræ suffectus est

XLIII. Sigismundus modernus ac hodiernus Præsul, Cognomento Derleth, Honestissimis parentibus Anno 1675. die 21. Maji in oppido Hassfurth luci datus, ac Anno 1695. die 15. Augusti ad solemnem Professionem ab Antecessore suo admissus; Hic in annis junioribus suæ Professionis magnæ capacitatis specimina dedit, ideóque Prædecessor Albertus Eum ad Universitatem Wirceburgensem Studiorum causâ destinavit, ubi studia Theologica ac Jus Canonicum absolvit, & SS. Theologiæ Baccalaureus est denunciatus; Studiis suis completis avocatur à sua Canonia ad Monasterium Theres Ord. S. Benedicti, ibique Philosophiæ, & apud Suos deinde Philosophiæ, Theologiæ ac Juris Canonici repetitis vicibus Thesibus publicè propugnatis Professorem egit, denique Anno 1713. in Decanum electus, cúmque sui officii partes exactè complêsset, vacante per Resignationem Præposituræ 8. Maji 1719. Præsidentibus Joanne Bernardo Episcopo Chrysopolitano Episcopi & Principis Joannis Philippi Suffraganeo &c. Item Joanne Vito à Wirzburg Cathedralis Ecclesiæ Canonico Capitulari, & Equestris Comburgensis Præposito &c. ac Joanne Martino Kettler altefati Episcopi Wirceburgensis in Spiritualibus Consiliario &c. tanquam Commissariis Deputatis, Præsentibus duobus Testibus Petro Canonicorum Regularium S. Augustini in Trieffenstein Præposito, Alberico ad S. Stephanum Ord. S. Bened. in Wirzburg Abbate, unanimibus Capitularium Votis cum omnium aggratulatione & applausu ad Dignitatem Præpositi est assumptus; Subsequenti verò die 1. Mensis Junii à Joanne Philippo Episcopo confirmatus, atque in die Visitationis B. V. Mariæ ejusdem anni ab altefati Episcopi Suffraganeo Joanne Bernardo in propria Ecclesia solemnem Benedictionem suscepit.

Sigismundus in sua Dignitate jam solidatus, primas regiminis curas in Promotione Honoris divini & augmentatione Oeconomiæ collocavit. Viderat enim ædes Præposituræ & suorum Canonicorum restauratione indigere, Ipse pro Honore Dei & Decore domûs ex fundamento Anno 1723. incipiens (in quo primum lapidem die 3. Mensis Augusti solemni ritu & benedictione collocavit) pro Præpositura & Hospitibus prælongum Tractum ex tribus contignationibus, in cujus medio facciata, & cum duabus Bavillonibus clauditur; alios pariter duos Tractus cum facciata & Bavillonibus ex tribus contignationibus pro Canonicis peramplos & magnificos cellis vinariis circum circa instructas, ex puris lapidibus quadratis & aliis communibus, pretiosis & magnis sumptibus

&

& expensis construxit & excitavit; nec hic substitit, sed ovile, horrea & similia ædificia pro augmentatione Oeconomiæ necessaria, murum etiam firmissimum in perlongo tractu pro majori Canoniæ securitate, & ædificiorum fulcimento septentrionem versus exstruxit. Et

Ut Cultum B. V. Mariæ promoveret, in Præpositura sua Sacellum privatum B. V. Mariæ ad Nives dedicando efformavit, in quo singulis Sabbathis, Vigiliis & festivitatibus Ejusdem B. V. Mariæ per totum annum Lytanias Lauretanas cum Antiphona tempori congruâ, quibus Ipsemet semper devotè interest, figuraliter decantari instituit.

Anno 1725. ad Episcopalem consecrationem Christophori Francisci ab Hutten Episcopi Wirceburgensis, cùm Eandem 8. Aprilis ejusdem anni in Cathedrali sua Ecclesia à Joanne Bernardo Episcopo Chrysopolitano Ejus Suffraganeo suscipere voluisset, ex Clementissima Dispensatione Benedicti XIII. Pont. Max. locò duorum Episcoporum, Is cum Abbate ex Monasterio Schwarzach Ord. S. Benedicti astitit.

Ad conservanda Jura omne studium impendit, nullis sumptibus parcens, ideóque Libros Emphyteuticos non sine magno fructu in meliorem formam & ordinem conscribi & renovari curavit; Jura ab aliis infestata ad quietam possessionem recuperavit, inter alia Anno 1725. viâ Juris obtinuit, ut laudemium in divisione Bonorum hæreditariorum à subditis in Decheim, & Anno 1730. ut Decimæ à Novalibus Vini & frumenti à Wipfeldensibus solverentur.

Maximus præterea studiorum fautor, ita ut toto sui regiminis tempore studium Philosophicum, & Theologicum foverit; ut verbô dicam, Vir est omni virtutum genere instructissimus, propter summam Ejus humanitatem, hospitalitatem, affabilitatem & principales alias animi dotes cunctis charus; sed hic speciatim plura enarrare non permittit Ejus modestia & humilitas, magis enim placere Deo, quàm ab hominibus deprædicari desiderat & appetit. Hoc unicum addo & exopto, ut Deus Ipsius gloriosum regimen quàm diutissime pro ulteriori incremento Canoniæ fortunet, & ad multos annos Illum salvum & incolumem conservet, ita mecum omnes Canonici subscripti enixè divinum Numen precantur.

1. D. Sebastianus Degen, Decanus, Volcacensis. 2. D. Balthasarus Marx Senior, Münnerstadianus. 3. D. Georgius Spies, Gerlocurianus. 4. D. Rudolphus Stöhr, Wüstensaxensis. 5. D. Albertus Keisenberg, Duderstadianus. 6. D. Adamus Warmuth, Maybacensis. 7. D. Philippus Kuhn, Profelsheimensis. 8. D. Paulus Troll, Heydenfeldensis ad Mænum. 9. D. Nicolaus Pfeiffer, Northeimensis ante-Rhenanus. 10. D. Joannes Weber, Fahrensis. 11. D Christophorus Held, Gerlocurianus. 12. D. Augustinus Weigand, Wipfeldensis. 13. D. Wolffgangus Fuchs, Bambergensis. 14. D. Mauritius Schmidt, Vorcheimensis. 15. D. Josephus Haus, Wirceburgensis. 16. D. Burchardus Wenzel, Wirceburgensis. 17. D. Ambrosius Weber, Dörlesbergensis. 18. D. Sigismundus Derleth, Hassfurthensis. 19. D. Franciscus Schreiber, Graffensheinfeldensis. 20. D. Simon Baumann, Geubacensis. 21. D. Aquilinus Pfister, Volcacensis. 22. D. Casparus Droll, Heydingsfeldensis.

HEININGENSE

Virorum Monasterium de Ordine S. P. Aurelii Augustini inter fines Diœcesis Wormatiensis perinclytum quidem Superiori ætate constitit, subinde tamen peregrinâ Religione nimirùm Calvinianâ pessimè deformatum quasi in nihilum abiit, nudâ solùm ipsius memoriâ apud solum & unicum Abbatem Trithemium in Chron. Hirsaug. Tom. 1. ad annum 1135. posteris relictâ sub his verbis: *Emicho quidam Comes de Leiningen divino Spiritu afflatus Monasterium Dumetense seu Heiningense dictum non procul à Castro Leiningen sub Diœcesi Wormatiensi construi cœpit, quod consecratum posteà & magnificè dotatum anno Christi* 1141. *Buggo Pontifex Wormatiensis in honorem S. Petri Apostolorum Principis solemniter consecravit, ubi primum Canonicorum Præpositum Hartungum instituit. &c.* & sic ille loco citato, quæ eadem verba idemmet Trithemius suo itidem Spanheimensi Chronico ad eundem annum 1141. inseruit sic legenda: *Eodem quoque tempore Comes de Leiningen fundavit Monasterium S. Petri Dumetense in Parochiâ* (seu Diœcesi) *Wormatiensi, cujus Ecclesiam Buggo Episcopus Wormatiensis consecravit, & tres Canonicos sub regulâ B. Augustini ibi instituit; quibus Virum valdè Venerabilem in primum Patrem & Præpositum præfecit. Consecratio autem hujusmodi facta fuit anno Domini* 1141. *die festo S. Petri quod appellatur ad vincula.*

HEININGENSE,

Aliud tale ſeu paris quidem nominis, ac Ordinis, diverſi tamen ſexûs ac regionis Diœceſis Paderbornenſis in Weſtphaliâ hodiedum perdurat; idem tamen à genuino primævæ fundationis ſuæ ſplendore ſatis imminutum, qualiter de moderno Religioſi Parthenonis hujus ſtatu mihi penitiùs inquirenti jam pridem videlicet anno 1688. de dato 19. Julii per proprias reſpondit Ven. D. Theodoricus Molitor Comprovincialis Canoniæ Bodecenſis de Congregatione Windeſimenſi pro tempore Domicellus Achates fidiſſimus, & dehinc Colendiſſimus; cujus litteræ inter alia ſic ſonant: *Fundatio iſta Heiningenſis ſatis ampla fuit à Regina Alteburgi, quæ fuit vidua Regis Altfridi à Saracenis interfecti, & filia ejus Hildeſina anno ſæculari ſeu poſt partum Virgineum Milleſimo, inde per varios ac nimium quantum infauſtos rerum caſus, ingruentes item bellorum turbines ac interneciones ſacer locus iſte peſſimè habuit, præſertim à temporibus Acatholicorum terris iſtis imperitantium, à quibus per annos centum & amplius (Religioſis Virginibus plusquam miſerabiliter interim exulare coactis) Clauſtrum fuit potenter inſeſſum, hoſtiliter direptum, ſpoliatum, & verè depauperatum, unde hodiedum pientiſſimis animulis iſtis vivere ſolùm licet ex induſtriâ œconomicâ tali tamen ipſis quaſi congenitâ. &c. &c.*

HELMSTADIENSE,

Aliàs *Mons B. Virginis* intitulatum Religioſiſſimum olim ſacrarum Virginum de ſacro Ordine Canonico Auguſtiniano Collegium extra muros Helmſtadii, quod eſt Oppidum in ampliſſimo inferioris Saxoniæ Ducatu Brunſuico-Wolfenbütelano conſpicuum; idem à Martino Zeillero in Itinerario Germaniæ cap. 5. fol. m. 128. & Abrahamo Saurio de Urbibus Lit. H. fol. 810. uberius deſcriptum. Fundatorem autem ſpectatiſſimi quondam Parthenonis egit Wolframus ex avito ſtemmate de Kireburg (aliis de Kirchberg) in Thuringâ progenitus Monaſterii Werthinenſis de Ordine S. Benedicti Abbas Ordine Triceſimus quartus, idem à Gabriele Bucelino part. 3. alterâ fol. 316. in hæc verba commendatus: *Hic fundavit Eccleſiam & Monaſterium piarum Virginum ſub regulâ S. Auguſtini in monte S. Mariæ propè civitatem Helmſtadienſem ſub perpetuâ clauſurâ.* Item Saurius ante citatus fol. 19. refert, primam ſacrarum Virginum coloniam ex Venerabili Parthenone Stettersburgenſi (itidem recenſendo infrà) iſthic locorum fuiſſe deductam, atque huic novo Helmſtadienſium contubernio primum in Spiritualibus Rectorem datum fuiſſe Godefridum quendam, ex Comprovinciali Monaſterio S. Laurentii in Scheiningen appellato, communibus inhabitantium votis adſcitum. Anno 1199. Landolphus Metropolitâ Magdeburgenſis Oppidanis Helmſtadienſibus admodùm infeſtus, dum eosdem armis ſibi ſubjugare tentavit, juxtà tamen Religioſo hujuscemodi Clauſtro nec quicquam movere ſeu damnum inferri ſeverè vetuit. Verùm ſtrictiſſimo licèt hujuscemodi edicto inter plebejos neutiquam attento, ſex de infimâ ſorte gregarii milites ſacrilegum & diris execrandum facinus auſi, totâ vi perfregerunt januas templi, de quibus tamen ſceleſtiſſimis invaſoribus mox unus (vindice Numine) in terram corruit, atque inter miſerandos & abſurdiſſimos ejulatus animam egit, ad inferos abreptus. Quo terribili portento reliqui oppidò perculſi, eáque propter ſaniora meditati placando Numini ipſi Helmſtadienſi Eccleſiæ de propriis facultatibus ſuis ſpontè obtulerunt puriſſimi argenti marcas decem. Porrò ſub annum 1199. acriore bello inter Albertum Marchionem Brandenburgicum, & alterum Albertum cognomento Magnum Saxoniæ Ducem fortiter agitato, à pluribus deprehenſa fuit Sanctiſſima Virgo Deipara in ſublimi inſiſtens globo, globos igneos hinc inde jactatos omninò diſpellere, partim etiam eosdem pallio ſuo volitantes excipere, ſicque Helmſtadienſe Parthenium Clauſtrum æquè ac Oppidum contra quosvis hoſtium impetus clementiſſimè defendere.

Anno 1641. durante bello Suecico Helmſtadium oppidum, ut & ſæpememoratum Monialium Clauſtrum ab Acatholicis hoſtiliter expugnatum, & quandoque partim à Cæſareis partim à Suecis militibus miſerrimè direptum & ſpoliatum demùm anno 1648. pacificatione Weſtphalicâ ceſſit Principi Terræ, ut putà Duci Brandenburgico.

HENNEGOWIENSE

Canonicorum Regularium de Venerabili Congregatione S. Sepulchri Domicilium, ſuo nomine communiter *in Hennegowe* nuncupatum intra fines Diœceſis Leodienſis comprehenſum, idque ſub annum 1470. peregregiè nunc reſtauratum.

HER-

HERBRECHTINGENSE

Taliter ex nomine suo dictum, hoc tamen jam pridem antiquatum Canonicorum Regularium Monasterium hodiedum consistit in ditione (quæ modò Ducatui Wirtenbergico combinata manet) Heidenheimensi ad Brentium amnem intra limites Diœcesis Augustanæ S. Dionysio Areopagitæ Episcopo & Martyri dicatum; atque hujus proprius fundator temporibus suis fuit Fridericus Sueviæ Dux, idem postmodum etiam Romanorum Imperator hujus nominis primus à spectatissimâ suâ ænei coloris barbâ communiter Ahenobarbus seu Barbarossa nuncupatus; qui octennio priusquam imperiale solium ascendit nimirùm anno 1144. in Herbrechtingensi Ecclesiâ ista recens conditâ primùm instituit Canonicos sæculares, quos tamen idem ipse Fridericus Imperator sub annum 1171. denuò proscripsit & exesse voluit Clericis Augustinianis ex celeberrimo Hördensi Cœnobio Diœcesis Argentoratensis vicissim introductis, prout latiùs constat ex genuinâ novæ Herbrechtingensis fundationis hujus Bullâ, quæ sic habet:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. FRIDERICUS divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus &c. Cùm apud fontem totius bonitatis nihil irremuneratum pertranseat, acceptabile Deo credimus obsequium, si Ecclesiarum Dei collapsam Religionem in meliorem statum reformare & restaurare satagimus. Ea propter notum facimus universis Imperii nostri fidelibus tam futuris quàm præsentibus, quòd nos divinæ retributionis intuitu in loco Herbrechtingen propè fluvium Brence Spiritualis vitæ restaurationem reparare cupientes sæculares Clericos, qui Ordinem, & cultum speculativæ vitæ nimiùm excesserant, spontaneâ & voluntariâ eorum libertate & suffragante nostro Conrado Augustense Episcopo cum Matricis Ecclesiæ Canonicis, Abbatibus quoque & Præpositis cum universo Clero & Ministerialibus Religiosos & boni testimonii Viros, Adelbertum scilicet Præpositum & Comites ejus Clericos & Fratres Regulæ S. Augustini ex Venerabili Hörtensium Conventu Canonicâ vocatione consequenter assumpsimus; Ecclesiam quoque vacantem & ab omni appetitionis impulsu absolutam cum familiâ, decimis, dote, tributariis, quorum census advocato pertinet, pratis, pascuis, cultis & incultis, & omnibus, quæ Clerici priùs inhabitantes possederant. Insuper in ipsâ villâ Curiam nostram, quam feudali jure ab Ecclesiâ Augustensi tenuimus, cum hominibus, & reditibus, & utilitate omnium, quæ nobis liberè & absolutè vacabant ex assensu ipsius Episcopi & totius Cleri & Ministerialium potestati & sustentationi Fratrum ibi Deo servientium perpetuo jure possidenda contulimus, feudum quoque Theobaldi Gusse, quod in eâdem villâ receperat, ab ipso Theobaldo absolventes, & beneficium Ottonis de Hutwin, videlicet jussori in villâ & agrum in latere Cœmiterii, & feudum quoddam Henrici de Stauffen, & prædium quod in villâ Degenhardus de Helenstein pro remedio animæ fratris sui Beringeri Ecclesiæ contradidit, & prædium Hermanni de Herbrechtingen pecuniâ nostrâ comparatum, & feudum Seifridi in Binstein cum ipso castro per pecuniam nostram acquisitum, & prædium in Winede, quod à fratribus de Keysersheimb pro ducentis & quinquaginta libris Augustensium comparavimus, & per manus Advocati Comitis Theobaldi de Lechsgmund recepimus, prædictis fratribus & Ecclesiæ confirmavimus. Præterea siquod beneficium sive de hominibus, sive de mansis pertinentibus Curiæ Herbrechtingen ipsi inbeneficiati nobis vel filio nostro pro Deo vel pro pecunia resignaverint, imposterùm nihilominùs Ecclesiæ prædictæ possidendum addiximus. Cùm igitur beneficium Villæ Herbrechtingen ab Augustense Ecclesiâ nostrum fuisse constiterit, quicunque filiorum vel hæredum nostrorum Beneficium Augustensis Ecclesiæ possederit, illi soli suprà dictum feudum Herbrechtingen & investituram Præpositurae destinabimus, Episcopus verò Conradus donum Altaris & curam animarum, quæ tantùm sui juris erant in eâdem Præpositurâ Præposito ejusdem loci committens, nullam se in constitutione ejus potestatem habere cognoverit. Ipsi enim fratres secundùm scita Canonum talem sibi eligent Præpositum, quem Ecclesiæ suæ utilem esse cognoverint & necessarium. Si autem dissensio inter Fratres in Electione emerserit, filius noster vel quicunque hæredum nostrorum Beneficium Augustensis Ecclesiæ possederit, se Mediatorem pacis & Electionis solo divinæ miserationis intuitu interponat, & cum ipsis fratribus Electionem honestæ personæ rationabiliter promoveat. Adhæc siquis ex Ministerialibus nostris aut ex familiâ illò se conferre voluerit, aut ex prædiis vel aliis rebus suis quicquam obtulerit Ecclesiæ, ratum esse decernimus, statuentes & imperiali Authoritate præcipientes, ne aliqua persona parva vel magna, sæcularis vel Ecclesiastica, præsumat violare hanc nostræ institutionis paginam, quam nos conscribi, & sigilli nostri impressione jussimus communiri. Hujus rei testes sunt Sigefridus Abbas de Ahusen, Henricus Abbas de Loriche, hactenus Abbas de Echenbrunn: Theodoricus Abbas de Werde, Wartwinus Præpositus de Wettenhausen: Gerungus Præpositus in Roggenburg. Grimo Præpositus de S. Cruce. Comes Otto de Kirchberg, Theobaldus Comes

Comes de Lechsgmund, Ludovicus Comes de Helfenſtein, Degenhardus de Helenſtein, Diemo & Godefridus frater ejus de Gundelfingen, Arnoldus de Biberbach, Anſelmus de Duringheim, Conradus Pincerna, Volcknandus de Stouffen, Diepoldus Guſſe, & alii quàm plures.

Ego Henricus Imperialis Aulæ Cancellarius vice Chriſtiani Moguntini Archi-Epiſcopi & Archi-Cancellarii recognovi.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris invictiſſimi.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo primo Indictione quartâ, regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore Glorioſo, anno regni ejus decimo nono, Imperii verò decimo ſexto feliciter Amen. Datum apud Giengen Calendis Maji.

Anno 1226. Philippus Romanorum Rex recenſitam Patris ſui Friderici primi Rom. Imperatoris fundationem Herbrechtingen pleniſſimè confirmavit; ac idem Monaſterium in ſpecialem ſuam & Imperii tutelam ſolemniter adoptavit, proprio quodam Diplomate in id clementiſſimè impertito. *De Dato apud Giengen* (oppidum Imperiale) *tertio Idus Junii indictione nonâ.*

Anno 1284. Martinus Papa IV. Monaſterium Herbrechtingenſe ſub B. Petri & Sedis Apoſtolicæ protectionem ſuſcepit, cum omnibus bonis ac poſſeſſionibus appertinentibus ſanctè ſemper ſervandam & defenſandam, prout amplius conſtat ex Bulla in id clementiſſimè datâ, ſub dato *apud Urbem Veterem Idibus Maji ſui Pontificatûs anno quarto.*

Anno 1329. Fridericus Epiſcopus Auguſtanus de prævio ac communi Cathedralis Capituli ſui conſenſu, Præpoſito & Conventui Herbrechtingenſi donat, transfert, & appropriat Jus Patronatûs Parochialis Eccleſiæ in vicino oppido Stozingen, perpetuis futuris temporibus poſſidendum, prout amplius oſtendunt do: a: væ rei confirmationem datæ & expeditæ, ſub dato *Actum & datum Auguſtæ anno Domini Milleſimo trecenteſimo nono octavo Idus Maji.*

Anno 1343. Udalricus & alter Udalricus Comites Helfenſteinii publicum edunt teſtimonium, nec non ſpontè quoque renuntiant cuivis juri ſuo in certa quædam bona, nuper à Nobili Viro Joanne Eſel de Eſelburg Monaſterio Herbrechtingenſi divendita à ſe hactenùs prætenſo & allegato, hujuſcemodi renuntiatione in ſcriptis expedita *De dato Dominicâ quartâ Quadrageſimæ anno* 1343.

Anno 1348. Carolus IV. Romanorum Imperator &c. &c. Jus Patronatûs Parochialis Eccleſiæ in Imperiali Oppido Giengen antè memorato, hactenùs Imperio appropriatum, gratuita donatione transfert in Præpoſitum & Regulares Canonicos Herbrechtingenſes, de poſthac perpetuò poſſidendum vigore propriæ cujuſdam Bullæ Cæſareæ. *De dato in Geislingen nonis Februarii anno Dom.* 1348.

Eodem anno Rudolphus Dux Saxoniæ S. R. I. Archi-Mareſchallus præcedentem Caroli IV. Imperatoris donationem authenticè confirmat proprio Diplomate, *De dato Nürnberg anno* 1348. *feriâ ſecundâ poſt diem S. Valentini. &c.*

Anno 1466. Religioſa Confraternitas inter Canonicos Regulares Monaſterii Herbrechtingenſis, & alterius Wettenhuſani juxtà certas quaſdam conditiones, de poſthac obſervandas, utrinque rata & confirmata habetur tenore ſequentium: „Nos Henricus „permiſſione divina Præpoſitus, totúſque Conventus Monaſterii in Herbrechtingen Or„dinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium Auguſtanæ Diœceſis notum facimus uni„verſis præſentium inſpectatoribus, & ad notitiam deducimus ſingulorum, quòd Nos „unanimiter & Capitulariter maturâ deliberatione ad laudem Dei Omnipotentis conſi„derantes vinculum Charitatis, ad quod tenemur, dum patitur unum membrum, com„patiantur omnia membra; cùm verò ſine culpa nemo liber exiſtat, & ſancta ac ſalubris „eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur, Nos hujuſmodi ſalutem „animarum diligenter intuentes Venerabilem in Chriſto Patrem & Dominum Wernhe„rum Præpoſitum, totúmque Conventum in Wettenhauſen Ordinis S. Auguſtini Cano„nicorum Regularium Profeſſos præfatæ Diœceſis in noſtram fraternitatem accepimus, „ac per præſentes accipimus realiter cum effectu, noſtrarum quoque contemplationum, „Homiliarum, Orationum, Vigiliarum, Miſſarum, aliorum quoque operum prætexa„to Patri ac Domino Wernhero ac aliis dictæ Congregationis fidelibus Succeſſoribus „eorum in ſalutem animarum ſuarum perpetuò communicamus tam in vitâ, quàm poſt

mortem

„mortem omnium bonorum nostrorum spiritualium eos participamus; Insuper in morte „alicujus Præpositi aut Fratris seu Canonici Conventualis tam præsentium quàm futuro-„rum dum nobis insinuata fuerit, die apto quoad fieri poterit, vigiliarum, Missarum, „& Orationum nostrarum exequias peragere debemus, ac volumus etiam ipsorum no-„mina defunctorum nostris libris, ut est solitum, annotare, si verò præmemoratum „Monasterium Wettenhusanum ad tantam egestatem devenerit, seu deveniret, aut „alia legitima gravamina perpessum fuerit (quod absit) ita quòd Fratres Conventuales „seu Canonici Professi tam præsentes quàm futuri sustentari ac ampliùs retineri commo-„dè non valeant, & ad Nos diverterint, aut aliàs unus de Conventu apud Nos ad ali-„quod tempus stare voluerit cum consensu Præpositi pro tempore existentis benignè „suscipere ac congregare debemus ac tenemur, honestè eum providere in victu & ami-„ctu, cætérisque necessariis juxtà rerum temporalium & Monasterii nostri facultates, „ita ut nullam notabilem patiantur penuriam, donec Monasterium prætactum repara-„tum fuerit, & in pristinum statum redactum, quòd inibi valeant sustentari, aut revo-„cati fuerint per Præpositum pro tempore existentem; Econtrà Nobis ac Successoribus „nostris præstent obedientiam juxtà tenorem Regulæ ac statutorum nostrorum, dum „apud Nos sustentantur, nec de Monasterio nostro recedere præsumant ausu temerario „nisi cum consensu & bonâ voluntate Præpositi pro tempore existentis. In quorum „omnium & singulorum fidem & testimonium præsentes litteras tradidimus & dedimus „præfato Venerabili in Christo Patri ac Domino Domino Wernhero Præposito, toti-„que Conventui in Wettenhausen, & omnibus Successoribus eorum perpetuò & irre-„vocabiliter, absque omni præsentium & futurorum contradictione, & contraventione, „nec ausu temerario contraire præsumant, nec attentare debent quovis modo, eásque „sigilli nostri tam Prælati quàm Conventûs appensione muniri fecimus. Acta sunt hæc „in Monasterio nostro Herbrechtingensi sub anno Domini Millesimo quadringentesimo „sexagesimo sexto. Die sexta Mensis Martii.

(L.S.) (L.S.)

Anno 1550. Carolus V. Romanorum Imperator &c. quævis Jura ac privilegia tum à Friderico primo Barbarossa, itidem Imperatore, tum à Philippo Romanorum Rege, ac aliis Magnatibus Herbrechtingensi Monasterio diversimodè concessis Authoritate Cæsareâ renovat, reiterat, & confirmat proprio quodam Diplomate in id clementissimè dato *Augustæ Vindelicorum* 1550. *die* 25. *Augusti &c.* atque hujus & aliarum præcedentium Bullarum seu Diplomatum Copias ex integro descriptas habes in nostrâ Sueviâ Ecclesiasticâ fol. 404. & seqq.

Porrò in ejusdem Cœnobii elegantissimo templo (inquit Bruschius de Monast. Germ. Cent. 1. fol. m. 2.) *S. Faronis Episcopi & Confessoris cujusdam, de quo tamen nihil aliud in litteras relatum invenio, corpus humo mandatum quiescere dicitur, quod à Juvencis huc tractum & avectum ajunt ad fontem usque Cœnobii, qui adhuc hac ætate S. Faronis puteus à Cœnobitis dici solet.*

Carolus Stengelius Monasterii Anhusani Herbrechtingensibus proximè vicini Abbas, in suo Comment. Rerum Augúst. part. 2. cap. 35. refert, quòd lapis sepulchralis S. Faronis antedicti adhuc quidem Cœmiterii muro videatur inclusus, sepulti verò corporis nullum ampliùs superesse vestigium aut indicium, omni illius memoriâ per Novatores abolitâ. Verùm de S. Farone (qui fuit Episcopus Ecclesiæ Meldensis in ejusdem nominis oppido ad Matronam fluvium haud procul Lutetiâ vulgò *Meaux* Suffraganeatûs quondam Metropolitanæ Senonensis, nunc verò Archi-Episcopo Parisino subditi) iste, vide si placet Baronium in notis ad Martyrologium Romanum die 28. Octobris.

Catalogus

Præpositorum Herbrechtingensium.

Catalogum Præpositorum Herbrechtingensium Monasteriologiæ suæ inseruit Bruschius pag. m. 2. b. Non ausus est tamen illum pro integro vendere. Auctiorem edidit, quoad posteriores Præpositos Stengelius Abbas Anhusianus, in reliquis autem secutus est Authorem citatum. Ego vastum quemdam Codicem Rerum Herbrechtingensium Manuscriptum nactus, uno saltem Præposito eorúmque nonnullis actis, hic auctum sisto.

I. Amandus.
II. Rapatho.

III. Bertholdus. Huic Fridericus II. Neapolitanus ille, & Barbarossæ Nepos Imp. Rom. dedit tutorem Godefridum de Wolfach.

IV. Martinus.

V. Jodocus.

VI. Bertholdus II. sub quo Syfridus Episcopus Augustanus Parochialem Ecclesiam in Hürben ad abundantiorem sustentationem Bertholdo ejusque Successoribus donavit, quod ex sequenti Documento constat.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. S. Dei gratia Augustensis Ecclesiæ Episcopus. Omnibus Christi fidelibus hanc paginam inspicientibus vitæ præsentis subsidium, & æternæ salutis incrementum.

Cùm ex officio nobis injuncto, cunctis Ecclesiis in nostra Diœcesi constitutis, benefacere teneamur, maximè tamen Spiritualibus & Religiosam vitam ducentibus, volumus sicut debemus abundantius providere. Notum sit ergo omnibus tam futuris, quàm præsentibus quod nos ad petitionem B. Venerabilis Præpositi, & fratrum ejus in Herbrechtingen de communi consensu Capituli nostri, Parochialem Ecclesiam in Hurewin ipsis vicinam, & nullius alterius Parochiæ interpositione contiguam, ad abundantiorem sustentationem necessariorum, & supervenientium hospitum receptionem Monasterio ipsorum pleno jure dedimus, & concessimus perpetualiter possidendam & utendam, & ab ipso Præposito tanquam à legitimo Pastore in divinis per omnia procurandam, qui etiam nobis de Spiritualibus, & cura animarum, Archidiacono verò, & Decano, & Fratribus, de Jure suo sufficienter debeat respondere, nulli ergo hominum hanc nostræ Donationis, & Concessionis paginam liceat infringere, vel ausu temerario nostræ Donationi contraire. Si quis verò ausu temerario nostræ Donationi contraire, vel contradicere præsumpserit, Iram Dei Omnipotentis & sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum, & Excommunicationis sententiam se noverit incursurum. Data sunt autem hæc anno Incarnationis Domini MCCXXVI. quinta Idus Novembris.

VII. Henricus I. Et à Bruschio, & à Stengelio omissus, quem tamen Herbrechinganæ Canoniæ præfuisse ex sequenti Instrumento constat:

In nomine Domini Amen.

Nos Waltherus, dictus Leo, Minister in Giengen, Judices, totaque Universitas ejusdem Civitatis, profitemur præsentibus, & recognoscimus, & ad singulorum notitiam, quibus præsentes exhibitæ fuerint, cupimus pervenire, quòd inter Venerabiles, Dominum HENRICUM Præpositum in Herbrechtingen, & suum Conventum ex una, & nos videlicet Cives & Universitatem prædictam in Giengen, ex parte altera, super rumore seu discordia ex violentiis à nobis eisdem Venerandis viris, in bonis & hominibus ipsorum in Herbrechtingen illatis, mediantibus prudentibus Viris, & discretis, pro earundem violentiarum emenda, talis compositio amicabilis ordinaliter intercessit, videlicet, quòd si quando inter nos & ipsorum Advocatum, seu Advocatos aliqualis, seu contentio processu temporis exorta fuerit, aut habita, quemadmodum ipsos de jure communi, pro ipsorum Advocatis à qualibet offensione & molestia scimus & fatemur eximendos: Ita & hac nostra speciali pactione ipsorum bonis, seu hominibus Ipsorum debitis & consuetis, ac aliis Juribus eisdem adstrictos, occasione hujusmodi litis nec debemus, nec volumus aliqualiter prægravare, cum nec ipsi, nec aliqui Religiosorum, pro ipsorum Advocatis nullo Jure obnoxii teneantur, Domum quoque ipsorum propriam, si quam ex donatione, aut emptione, aut quovis alio Jure infra septa muri, aut extra muros nostræ Civitatis locatam habere cæperint, ab omni stira, aut aliis exactionibus liberam esse volumus, & integraliter absolutam. Præterea res ipsorum, videlicet fruges, vinum & aliæ Res, quas in Civitatem nostram, utilitatis suæ causa induxerint, & erexerint, ab omni exactione telonii, quod vulgariter Umgelt dicitur, & aliis exactionibus nobis pertinentibus exoneramus, plenam ipsis easdem res inducendi liberè & educendi perpetualiter præsentibus dantes facultatem. Omnes prædictas Libertates ipsis præsenti scripto perpetuas esse profitentes. Ne igitur hujusmodi titulus Libertatis aliquorum improbitate imposterum infirmari valeat, aut aliquam calumniam patiatur præsentes sigillo nostræ Civitatis in Giengen duximus fideliter communiri. Testes hujus tractatus sunt Dominus Henricus de Riedheim & Patruelis ejusdem, Canonici in Herbrechtingen, Magister C. Plebanus in Nanshausen, Dominus C. de Altheim, Ulricus de Dillingen milites, C. dictus Heube, Senior Leo, Berch. Bach. Walterus dictus Trütler, Albertus Schopp, S. Cantor, Marquardus dictus Pruter, S. C. Damiam Cives in Gien-

in Giengen, ac alii quàm plures fide digni, ad hoc vocati testes & rogati. Datum & actum in Giengen MCCLXXIX. pridie nonas Februarii Indictione Septima.

VIII. Conradus præfuit anno 1283. Decimas Bernavienses emit ab Alberto de Bernau, quem contractum Hartmannus Episcopus Augustanus hunc in modum confirmavit.

Hartmannus Dei gratia Augustensis Episcopus universis Præsentium Inspectoribus salutem in Domino.

Cum Albertus de Bernau Decimam in Beruau situm ipsi, pertinentem, Dilectis in Christo, Præposito, totique Conventui in Herbrechtingen tenendam perpetue vendiderit pleno Jure, noverint universi, quòd proprietatem ejusdem Boni, ob dilectionem & favorem, quem gerimus Monasterio prælibato, ipsi Monasterio duximus conferendam, præsentes nostro sigillo munitas in hujusmodi testimonium tribuentes. Datum Augustæ anno Domini MCCLXXXIII. 2. Mens. Decembris.

Sequenti mox anno Albertus prædictus etiam Decimas Jure feudali ad Episcopum Augustanum pertinentes in Bernau Conrado vendidit, quam venditionem pariter Hartmannus Episcopus Augustanus ratam habuit. En! Confirmationis formulam.

Hartmannus Dei gratia Ecclesiæ Augustensis Episcopus Universis præsentium Inspectoribus salutem in JEsu Christo; Cum Albertus de Bernau omnem Decimam de singulis bonis ibidem, Jure feudali nobis pertinentem, quam etiam decimam Diepoldus jusso de Strohberg miles in feudo à nobis tenebat, ad munus nostras liberè resignando, eandem dilectis in Christo Præposito, & Conventui in Herbrechtingen vendiderit pleno jure, notum esse volumus Universis, quod nos ipsam venditionem ratam & gratam habere volentes, prædictam decimam totam Jure proprietatis, conferendam duximus Monasterio, & Conventui memorato, in cujus evidens testimonium & debitam firmitatem præsentes nostro Sigillo dedimus fideliter communitas. Datum Dilingæ anno Domini MCCLXXXIV. Kal. Junii.

Patet ex quodam Privilegio à Magistratu Giengensi Præposituræ Herbrechtinganæ concesso Conradum adhuc vixisse anno 1306.

IX. Bertholdus III. præfuisse legitur anno 1327. quo Theodoricus de Althaim cum conjuge sua Adelheide bona quædam tradidit Monasterio. Emit Jus Patronatus Ecclesiæ Stozingensis anno 1329.

X. Ulricus de Plintheim. Per totum circuitum Cænobium muro cinxit cum porta occidentali Anno 1347. à Clemente VI. Incorporationem obtinuit Ecclesiæ Parochialis in Niderstotzingen Anno eodem. Obiit circa annum Domini 1348.

XI. Eberhardus Præposituram adiit Anno 1348. Huic Imp. Carolus IV. cum Archi-Episcopi Moguntini consensu Parochiam donavit Oppidi Giengensis. Hanc donationem pariter confirmavit Baldewinus Archi-Episcopus Trevirensis. Videantur Documenta Rediviva Monasteriorum, quæ Besoldus edidit pag. 965. Accessit tandem etiam consensus Wilhelmi Archiepiscopi Coloniensis Spiræ anno 1353.

XII. Henricus II, Anno 1366. Confraternitatem Spiritualem iniit cum Canonicis Wettenhusanis. Illo regnante anno 1367. Georgius de Stauffen Henrici de Stauffen filius donavit Cœnobio Pratum prope Geruntsweiler. Amicabilem compositionem iniit cum Magistratu Giengensi Anno 1369. propter collationem Primissaria in Capella S. Ægidii.

XIII. Ulricus II. Præfuit anno 1407. anno 1410. totum renovavit Cœnobium. Decessit ex hoc mundo circa annum 1411. Anno enim sequenti jam rexisse legitur Præpositus

XIV. Joannes. Fautorem ac Benefactorem insignem habuit Bernardum Marchionem Badensem, cujus opera & munificentia factum, ut Ecclesia Parochialis in Memmingen prope Giengen Monasterio sit incorporata Authoritate summi Pontificis Joannis XXIII. anno 1412. cum Præpositi hujus consensu Magister Joannes de Riedlingen Medicus & Physicus Norinbergensis in Ecclesia Parochiali Giengensi 500. florenis fundavit Prædicaturam anno 1420.

Anno 1437. Sub hoc Præposito Sacrosancta Synodus Basileensis mandavit Abbati in Creuzlingen, & de Fonte Regis ac Præposito in Rebdorff, Constantiensis, Augu-

stensis

stensis, & Eistettensis Diœcesis, ut Monasterio in Herbertingen, contra quoscunque transgressores & Violatores Ecclesiasticarum Immunitatum defensioni auxilio assistant, jubeturque hoc Monasterium vigore Constitutionis Friderici II. Imper. per Honorium III. P. M. & Carolum IV. Imp. approbatæ, ab omnibus talliis, & aliis exactionibus liberum & immune esse.

XV. Henricus Hitzlerus ex Mergelsteten oriundus. Præfuit anno Domini 1438. Sub ejus Gubernatione S. P. Q. Giengensis incendit & spoliavit Cœnobium, durante scilicet Civili bello, quod anno 1450. & præcedenti inter Civitates ex una, & Duces Imperii ex altera parte exarserat. Giengenses à Papa Nicolao V. anno Pontificatus sui IV. hoc est, anno 1451. citati sunt Romam. Res transacta tamen est, anno 1453. à Ludovico Palatino Rheni & ejus Consiliariis Nicolao Abbate Cæsaræensi, Ulrico Comite de Helffenstein, Ulrico de HochRechberg, Guilielmo Truchtlingero & aliis. Amicabilis hujus compositionis Schema conceptum est in Sequenti formula:

Wir Ludwig von Gottes Gnaden Pfalz-Graf bey Rhein Herzog in Nidern- und Obern-Bayern &c. bekenn offentlich mit dem Brieff, als von wegen solcher Spruch und Forderung, so der Ehrsame in GOtt unser Andächtiger Liebe Getreuer der Probst und Capitel unsers Gottshauß zu Herbrechtingen gehabt haben, zu unsern lieben besonderen Burgermeister Rathe und Burgern der Stadt Giengen, antreffendt, Beschadigung, Raub, Brandt und anderes nichts ausgenommen, daß dann dem benannten Gottshaus zu Giengen in der Stadt, auch im Closter und sonst an Leuth und Guth, Ligung und Fahrung in dem vergangnen Krieg, so zwischen den Fürsten, Herrn und Stätten gewesen ist, beschehen seyndt, des seyen beyd ebegenant Theil, willkührlich, und gutwillig bey uns und unsern Räthen, mit Nahmen den Würdigen Wohlgebohrnen und Strengen Niclasen Abbt des würdigen Gottshaus zu Keyserheim Graff Ulrichen, Graffen zu Helffenstein, Ulrichen von Rechenberg, von hohe Rechenberg, Willhelmen Truchtlingen zu Truchlatig, Lienharten von Ramer zu Jezendorff, Jörgen von Schaumberg, Georgen von Knöringen Rittern, Micheln Rieder Probst zu Altenöttingen Canzler, Heinrich von Freyberg, Ferdinand Benzenauer, und Luzen von Ziplingen in der Gütlichkeit belieben gar und gänzlich, also haben Wür und Sie uns der Sachen angenommen, und zwischen beyder Theil mit ihren guten Willen und Wissen gesprochen, und sprechen in Krafft des Brieffs, daß wegen allen Unwillen und Zwitracht zwischen ihr und aller von beyder Theil wegen darunter verdacht und verwannt, gänzlich hin und ab, und umb die Beschedigung so die von Giengen dem ebegenannten Gottshaus in dem vergangnen Krieg gethan haben, darumben haben wir Ihm und dem Gottshaus gesprochen, von den von Giengen ein solche Summa, als der Schuld-Brieff weiset, so die von Giengen dem genannten Probst und Gottshaus geben haben, Item so soll auch der benannt Probst, Capitel und Gottshaus und die von Giengen jeder Theill bey seinen Gerechtigkeiten und Herkommen bleiben, und all Sach zwischen Ihnen gehalten werden, als von alter Herkommen ist ungefehrlich.

Und des zu Uhrkundt geben wir jedem Theil ein solchen Spruch-Brieff, mit unserem anhangenden Secret, geschehen zu Lauingen am Ufinztag vor dem heiligen Pfingstag nach Christi Geburt vier zehen hundert, und darnach in dem drey und fünffzigsten Jahre. Decessit ex hac vita mortali Anno 1466. cui successit

XVI. Georgius Piscatorius 4. Augusti anno 1466. electus. Ex variis Contractibus ac Instrumentis Vir fuit rei Oeconomicæ probe intentus. Anno 1497. 9. Decembris Alexander VI. Monasterium hocce cum omnibus bonis sub B. Patri & Apostolicæ sedis protectione suscepit, omnes quoque Libertates & immunitates à Romanis Pontificibus concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum Imperatoribus à Regibus & Principibus indultas confirmavit. Adhuc anno 1498. imo anno 1501. illum præfuisse lego, quare minimè cum Bruschio dubitandum esse censeo, quisnam eidem successerit? non enim alius fuit quàm

XVII. Magnus Ammonius. Optimè ipsi conveniebat cum Magistratu Giengensi, varia proin Privilegia & Exemptiones ab eodem obtinuit fors quia & ipse ortu Giengensis erat. Licet autem constet, illum neutiquam absque utilitate Cœnobio suo præfuisse, nihilominus collapsum fuisse suo tempore (an etiam sua culpa? nescio) Regularem disciplinam prodidère Posteri. Anno 1520. restaurari denuo cæpit per Reverendissimos Præpositos, Virosque egregios Michaëlem ad Exemptas Insulas Wengenses Ulmæ, & Wolfgangum Præpositum ad S. Georgium Augustæ, quamdiu autem duraverit reformatæ disciplinæ Splendor, me latet, in ea tamen magnus Ammonius incidit tempora, quibus in plerisque Cœnobiis mutatus fuit color optimus. Obiit, vel saltem Præpositura cessit Anno quo cœpta est reformatio 1520.

XVIII.

XVIII. Panthaleon Keſslerus patria Geislingenſis. Rexit quindecim annis. Anno 1527. cùm Epiſcopi Auguſtani conſenſu pro florenis 406. Magiſtratui Giengenſi omnia jura vendidit quæ Præpoſitura Herbrechtingenſis tam intra quam extra Giengam hactenus poſſederat. Ad felicem æternitatem abiit Anno 1435.

XIX. Valentinus Peyhard Lavinganus præfuit circiter per menſes octodecim. Sub eo anno 1536. occupatum eſt Cœnobium ab Ulrico Duce Wirtenbergenſi. In hac calamitate cum omnem Spem & fiduciam in Deo ponere debuiſſet, mancipium carnis factus, abjecta veſte Religioſa; contra votum Deo factum inceſtis nuptiis uxorem duxit, indignus proin ut nomen ejus memoretur amplius.

XX. Rulandus Mercator ex Roſshaupten pago Danubiano oriundus infelici Valentino poſt varios caſus & diſcrimina ſucceſſit. Anno 1536. jam ſupra memorato ex Cœnobio Herbrechtingenſi militari manu cum aliis ejectus, multa exilii mala perpeſſus eſt. Tandem Patronorum aliquorum fultus auxilio Parochiam Sunthhofii, qui Algojæ pagus eſt; adeptus, illam zelo veri Paſtoris per aliquod tempus adminiſtravit. Verùm denuo tot animarum lucris invidit Orcus; migrandum denuo fuit Rulando à dilectis ovibus, Sonthofio pulſus in Bello Germanico Caroli V. Imperat. caſtra ſecutus eſt, Miſſionarii functus munere. Rochlitzii in Misnia captus, paulo poſt manumiſſionem obtinuit, tandem à Cæſare adjutus ad Præpoſituram Herbrechtingam redux ejusdem Præpoſitus deſignatus eſt Anno Domini 1548. quem viventem adhuc vidit & coluit Bruſchius, qui fata mox recenſita ex ejusdem ore hauſit, illumque vocat Virum Litterarum, & Litteratorum omnium amantiſſimum. Is, teſte Authore mox citato, novum Dormitorium conſtruxit elegans ac magnificum, cui ſequens Idyllion, quod tamen Bruſchianam Poeſin olet, inſcribi curavit.

Cùm numerarentur poſt natum ſecula Chriſtum
Quinque decémque, & ſex cum luſtris inſuper annus
Unus &: ejecta eſt ex æde Monaſtica turba
Heerbrechtingenſi hac, Ulrico à Principe terra
Wirtemberga tuo. Nam cum nova ſchismata rurſus
Inſurrexiſſent: Monachorum tota caterva
Facta inviſa fuit prorſus plebíque ducíque.
Suſcipientibus at ſenibus nova dogmata, Soli
Se ſubduxerunt juvenes tres, Religionis
Acceptæ à patribus priſcis ſtudioſi & amantes,
Rulandus Mercator, Joannes Ruffius atque
Martinus Steynerus Dillingenſibus orti
Patribus: hi templis mox ſervivêre Deóque
Vicina in terra, donec ſe Carolus hujus
Nominis & tituli quintus, Germanica contra
Agmina defendens, evaſit Victor ad Iſtrum
Atque Lycum. Tunc Auguſtanæ in mænibus Urbis
Imperii Cæſar dum Sacra negotia tractat:
Præpoſitum legêre inter ſe, qui prius iſti
Exceſſêre loco, Rulandum. Hunc Carolus omni
Tantopere adjuvit virtute & dexteritate,
Tamque diu: donec Ulricus ſingula Princeps
Redderet hæc, alienârat quæ aliquando, & in uſus
Tranſtulerat proprios ſeclares atque prophanos.
Sic demum Rulandus amans Pietatis & Artis
Canonicorum iterum cætum collegit honeſtum:
Inſtauránsque Lares in multis partibus iſtos,
Hanc fundamentis ex imis condidit Idem
Quam coram cernis. Tu quisque es (oro) Viator
Læta precare viro humano, patríque verendo.

At verò, irritus fuit omnis Rulandi in reparando ſuo, reſtituendóque Cœnobio conatus. Profanatumque fuit denuo etiam poſt Paſſavicam transactionem ab ULRICI Ducis Wirtenbergiæ Succeſſore, qui Ulricus licet ingentes opes ex opulentis & numeroſis Monaſteriis contraxerit, nihilominus debita immenſa ſimul reliquit, nempe 700000. ut refert Beſoldus *Prodr.* c. 9. p. 120. ut intelligas, bona Eccleſiaſtica nil prodeſſe Occupatoribus. An Rulandus Herbrechtingæ an exul ſupremum diem clauſerit? nullibi reperio.

perio. Veris interim Pastoribus Ovile Christi caruit à morte hujus Præpositi usque ad annum 1630. quo, cum Ecclesia & Monasteria intra fines Imperii per totam Germaniam violenter erepta Authoritate Cæsarea Ferdinandi II. veris & antiquis ipsorummet Possessoribus denuo restituerentur, ad hoc Herbrechingense Monasterium mense Septembri nova Colonia ex Imperiali Collegio Wettenhusano fuit deducta, cui in Præpositum datus est

XXI. Philippus Faber Nobilis Rhætus Veldkirchensis; Vitam Canonicam in eodem Imperiali Collegio Professus anno 1613. die 4. Julii. Post sacerdotales Primitias anno 1616. celebratas Oeconomiæ Collegii præfecturam gessit, & quidem sedulitate maxima usque ad annum 1629. quo decurrente mense Septembri ad Herbrechtinganam Præposituram postulatus, Authoritate Ordinaria ad hanc confirmatus simulque à Commissariis Cæsareis in plenam possessionem inductus est. Adiit illam quidem omnibus dotibus ad Magistratum hunc gerendum ornatus, biennio tamen Regiminis nondum expleto brevi post per universam Sueviam imò & totam propemodum Germaniam malis passim undique indies increscentibus mœrore consumptus communi omnium bonorum luctu 4. Maji anno 1632 ad mansiones æternas transiit, post cujus felicem obitum Præpositura per triennium vacavit. Scripsit CHRONICON WETTENHUSANUM tribus decadibus distinctum. Extat adhuc M.S.

XXII. Franciscus Pappus pariter Nobilis Rhætus Veldhirchensis, natus Anno 1602. die 20. Aprilis Regulare Institutum Canonico Augustinianum Anno 1618. die 25. Novembris amplexus est, Primitias Deo litavit Anno 1626. Die 6. Augusti. Ad Herbrechtingensem Præposituram cum aliis translatus inde denuo contumeliosè fugatus est post fata Antecessoris sui. Intravit tamen illam rursus, atque anno 1635. in novum Præpositum delectus Authoritate tam Cæsarea, quam ordinaria confirmatus est. Summa laude commissam sibi Provinciam obiit, at non nisi ad annum 1648. dum scilicet Pacificatione Cæsareo-Suecica seu, ut vocant Westphalica, claustrali sede ac Monasterio suo rursum deturbatus, ad nativam Religiosæ Professionis suæ domum vel invitus remeare coactus est, ubi adhuc ultra decennium superstes vixit, toto tempore licèt jam grandævus, Chorum tamen ad omnes horas non solum impigrè frequentavit, sed & vices hebdomadarii promptus ac hilaris subiit. Tandem piè in Domino demortuus, atque omnium ultimus in Prælatorum Wettenhusensium Sacello sepultus est anno 1659. die 12. Augusti. Adhuc ætate junior Mathesi & specialiter Astronomiæ deditissimus doctissimè scripsit

1. *De Constellationibus in Genere.*
2. *De Radio Solari, & Lunari.*
3. *De Notitia Syderum.*
4. *Horologium Festivum.*

Præter Philippum Fabrum & Franciscum Pappum in Herbrechingensi Canonia floruit ABRAHAMUS PESCHE Herbipolensis, natione Suevus, qui circa annum 1446. vixit & scripsit:

De cultu Latriæ Soli & uni Deo debitæ. L. 1. MS.
De cultu Hyperduliæ Soli Matri Dei debitæ. L. 1. MS.
De Dultu Dulia Sanctis in Cælo debitæ. L. 1. MS.

Ita fragmentum *Bibliothecæ Canonico Augustinianæ*, quam meditabatur Author noster pro gloria Canonici Ordinis zelosissimus.

HERBIPOLENSIS,

Seu Teutonicè Würtzburgensis Ecclesiæ (quæ est Suffraganeatus Metropolitanæ Moguntinæ) Cathedralis antiqua Regularitas constanter asseritur, probatur, & docetur à sæpe citato, Anonymo nostro Gallo fol. 171. sic legendo:

Würtzburgensem Ecclesiam antiquus Beati Antistitis Burchardi Encomiastes Monachis non attribuit, neque vero simile est, Bonifacium Moguntinum, per quem Mulieribus omni Ecclesiarum Monachilium aditu per Germaniam interdictum fuit, id commisisse, ut Monachili Ecclesiæ Sedis Pontificalis dotem ac honorem, Episcopi præsentiam, populorum assiduitatem, & concursum ultrò procuraret. Unus id sibi in animum induxit Egilwardus homo, ut levissimè dicam, tenui authoritate. Ego verò, vel ex hujus interpolatoris testimonio veritatem conabor exprimere. Narrat ille diffusiùs, quomodo Præsul Burchardus simul ad montem Würtzburgensem, ibique situm Sanctæ Mariæ Eccle-

Ecclesiam tum dono, tum etiam commutatione consecutus est, convocatis, tam Clero, quàm populo, Martyrum Kiliani & sociorum corpora super montem sæpè dictum comitantibus populorum turbis transportari fecit, per continuum triennium ibi in Basilicâ Sanctæ Dei Genitricis easdem sacratissimas Reliquias indeficienti totius Religionis officio, tam per se ipsum, quàm universum sibi adhærentem Clerum reverenter excubans custodivit, proposuitque principale illic suæ Sedis instituere Monasterium. *Supponit exindè Egilwaldus cæleste indicium quoddam, quo inductus Burchardus S. Chiliani Reliquias eò reportavit, undè primùm abstulerat; ibique tumulo Martyris exornato & amplificatâ Basilicâ, novus novæ Sedis Episcopus habitavit. Jam verò quod sequitur, mirum & singulare est: vult Egilwardus Burchardum, qui Sedem Episcopalem proximè transtulerat ex monte Wirzburg ad Domum Monachorum, in ipso monte Canonicam constituisse solitudinis captandæ causâ.* Sanctus Dei Burchardus, inquit is Scriptor, ut Mariæ contemplationibus invigilaret, in arcto proclivi montis sæpè dicti cæpit instituere Cœnobium, quod in honore Dei Genitricis constructum tantâ dotavit quantitate prædiorum, quæ duodecim fratribus Canonicis ibidem Deo militantibus sufficerent ad victum & vestitum, inter quæ dotalia eidem concessit Monasterio prædictum Montem Wirtzburg cum prædiis & redditibus, sicut acquisierat à Ducis Hettani filiâ ordinatis ibidem in servitutem Domini duodecim sub Canonica vita Fratribus. *Pergit idem Scriptor de Sancti Sènis Burchardi secessu, & Megingaudo in ejus locum suffecto narrare. Postremò ad res Megingaudi Episcopi conversus, eum quoque dicit Burchardi exemplo quemdam de suis Clericis nomine Bernvvelfum sibi in Præsulatu subrogâsse, ut liber ad priorem vitam, hoc est, Monasticam, rediret.*

Remanserunt autem, *inquit tum demùm Egilvvardus*, apud Monasterium S. Chiliani plusquàm quinquaginta Fratres, quos tamen non multò post Bernwelfus cum injuriis expulsos ad Magistrum suum navigare coëgit. Ad hæc Beatum Virum idem Bernwelfus multis inclamationibus vexavit pro diversis suppellectilibus, quas Christi Confessor Burchardus in vestitu Sacerdotali, sive Codicibus, nonnullisque rebus familiaribus reliquerat. *Hæc omninò sunt, quibus Religiosi Monachi suam in Sede Wirzburgensi potestatem tuentur. Verùm difficile factu non est jus possessionis tam infirmo testimonio stabilitum convellere atque comminuere. Ex primariâ sancti Burchardi vitâ, ubi Egilvvardus interpolator visionum suarum sibi visus est occasionem reperisse, apparet Reliquias Sanctorum Martyrum Chiliani & sociorum ejus nunquam à Beato Burchardo fuisse reportatas ex monte Wirtzburg, ad quem eas primùm è tumulo suo levatas idem sanctus Antistes dicitur transtulisse*, ordinatis ibidem, *ut Egilvvardus ipse est testis*, sub Canonica vita Fratribus. *Hæc igitur fuit Burchardi ætate Sedes Wirtzburgensis, ubi sanctus Præsul simul cum Canonicis* Thesauros divino igne probatos, *velut aurum in fornace, id est, Martyrum Reliquias extremo supplicio à Deo examinatas, vel fortè ab hominibus trino igne Sarmentitio probatas*, constanter custodivit vigiliis, orationibus, ac Missarum frequentationibus, *ut acta primaria loquuntur. Mea non interest diu requirere, quisnam Episcoporum Wirtzburgensium easdem Reliquias reportaverit ad prioris tumuli sui locum, ubi jam indè Ecclesia S. Chiliani nomine, & Episcopali Sede fuit insignita; an fortè hoc totum egit Megingaudus ipse, ille, qui Monachorum in eadem Ecclesia Magister & Doctor fuit? an Bernvvelfus in Megingaudi superstitis locum subrogatus, qui ipsos Monachos ad Magistrum suum Megingaudum navigare coëgit? an etiam alius quispiam ex Wirzburgensibus Episcopis? Silent ea de re Beati Burchardi acta veterrima, nec me plura legere opus est, ut concludam Religiosos Monachos nunquam Sedis Wirtzburgensis possessionem stabilem adipisci potuisse. S. Chiliani Ecclesia proximè memorata occurrit in actis beati Pirminii, velut Cella Monastica, non ut Sedes Episcopalis, ipso etiam tempore, cùm Burchardus, ut videtur, Episcopatu jam cesserat.*

HERIVALLENSIS

In horrida solitudine Cann. Reg. S. Augustini situs Prioratus, distat una leuca ab Urbe Montis Romarici, seu Remiremont. Fundatus enim circa annum 1070. vel 1075. ab Eugibaldo vel Jugibaldo Venerabili Viro, qui sub Riquino Episcopo Tullensi obiit anno 1110. Huic Prioratus annexi sunt alii duo minores Prioratus Boneval & Aubiege.

Primus Prior Herivallensis fuit ipse Eugibaldus Fundator.

Secundus Wichardus Fundatoris Frater.

Prior hodiernus vocatur Paulus Barbier electus 1712. Canonia hæc, cum omnes cæteræ in Lotharingia Canoniæ sint ad invicem confœderatæ sub nomine Congregationis SS. Salvatoris nostri, sola manet exempta.

HERRENSALIENSE.

Cann. Regul. S. Augustini Collegium aliàs patriâ voce *Canaji* nuncupari solitum, in Diœcesi Leodiensi tempore & Authore mihi non notato, nec reperto, fundatum.

datum. Cæterà nobis vel invitis penitùs ignotum, nisi quod Gabriel Pennottus in Historia tripart. Lib. 2. cap. 67. num. 16. inter alia memoratæ Congregationis S. Sepulchri Collegia, seu Monasteria recenseat etiam hoc ipsum *Herrensaliense*.

HERTZEGENRIED,

Taliter suo nomine dictum Abbatiale quondam Canonicorum Augustinianorum Cœnobium in terris Ubiorum, seu intrà limites Archi-Diœcesis Coloniensis anno 1123. authore non notato fundatum inclaruit; quod ipsum eo tempore, quo Author Anonymus Magni Chronici rerum Belgicarum (qui sub finem sæculi decimi quinti honoratus inter suos refulsit) Reformationi Windesimensi sese subdidisse, cæterà ne quicquam ampliùs de eo comperimus.

HERTZENHAGEN,

Venerabile quoddam (hoc tamen tumultuante hæresi jam pridem extinctum) Congregationis Windesimensis asceterium, ammodò, vix restat ab Auberto Miræo de Cann. Regg. Cap 13. fol. 64. in hæc solùm verba notatum:

Monasterium B. Mariæ juxtà Francofurtum Diœcesis Moguntinensis &c. Verùm in memoriam Religiosæ pietatis & claustralis obedientiæ antiquitùs inter pientissimos Ascetas Hertzenhagenses illibatè servatæ, juvat hìc vel unum paradigma producere, quod hìc damus ex litterariis monumentis Domesticis residuum, prout sequitur: *Claruit his* (circà annum 1420.) *temporibus in Venerabili Cœtu Canonicorum Bodecensium F. Conradus Frobete Beatissimæ Virginis Cultor inter suos summè præcipuus, qui quoad in Religione vixit, priùs etiam non habuit, quàm ab omnibus & præ omnibus in fabulam & derisum haberi unicè adamârit, undè tenuia solùm & depauperata Monasteria adire in acceptis ipsi fuit; cujus simplicitatem animi Deus de Cœlo singulariter respexit, dum scilicet nescio-cujus ædificii materiariis aliquando consociatus, trabem quandam justò breviorem sat benè longam reddidit, & operi satìs accommodam. In Monasterio Hertzenhagensi Supprior factus, quendam insolitæ magnitudinis lupum in Vivario cum aliis piscibus* (haud sine maximo damno) *degentem, eùmque hactenùs à piscatoribus nullâ arte vel labore prehendi valentem, solo vocis imperio* (Venerab. Patre Monasterii Fuldensis Ordinis S. Benedicti Priore assistente coram) *ipse lupum è piscinâ in publicum prodire, & ad littus sese præsentem sistere sub obedientia jussit; quo factô piscem quantocyus apprehenso cultro medium transfixit. Sacræ Contemplationi deditissimus fuit, è cubiculo suo nunquam egredi solitus, nisi ad externa negotia vocatus; item mentali etiam Orationi intensissimè deditus, juxtà quoque semper dulcedine amoris divini perfusus jugiter in tantum æstuabat, ut vice quadam memoratum cubiculum suum merissimè igne cælesti repletum quasi ardere lacrymantibus præ gaudio oculis conspexerit &c. Annus & dies obitûs ipsius ignoratur vel olim inscriptus Chronico præfati Monasterii in Hertzenhagen cum universis bonis ac ornamentis jam dudùm direpti.*

HESLINGENSE,

Religiosum Professionis Canonico-Augustinianæ Parthenæum in Diœcesi Bremensi circà annum 1130. Authore nondum per nos reperto fundatum & inædificatum, tandem verò sub decursum sæculi decimi sexti Religione mutata ad usus illicitos ignominiosè pertractum; quod ipsum tamen dum primus Regularis institutionis suæ temporibus Luthmundum quendam S. Vicelini (jam sæpiùs in antecedentibus laudati) Aldenburgensis Episcopi discipulum, & hunc quidem itidem Canonicum Regularem in Spiritualibus Magistrum & Rectorem habuit, certè sacris paris Instituti ritibus morem gessit, cujus etiam Venerabilis quondam Parthenonis mentionem facit Krantzius in suâ Saxonia lib. 6. cap. 7. ubi sic ait: *Tempore Lotharii II.* (qui ab anno 1125. usque 1130. Regia sceptra tenuit) *Monasterium Virginum in Heslinge, ubi novem per Successionem temporum habuit Abbatissas per Luthmundum Præpositum Vicelini Discipulum transfertur in Tzevenam, ubi mansit usque hodiè in magnâ tenuitate.* Item in Metropoli lib. 3. cap. 23. *Adaldagus Vigilantissimus Pontifex* (Ecclesiæ Bremensis, & quidem ordine septimus) *Reliquias Sanctorum, quas ab Urbe Româ deportavit magnâ per Parochias diligentia distribuit, Corporum SS. Quiriaci & Cæsarii, & Coronæ, Felicis & Feliciani, Cosmæ & Damiani, antecessores ejus Deo servientium quinque fundavêre Cœnobia, his & sextum addidit in Heslinge nunc translatum in Tzevenam, ubi Virgo Christi Heilgardis consentiente nobili Viro Patre ejus Hattone totum patrimonium suum Christo & Martyri Vito in sustentationem Virginum Deo servituratum obtulit &c.*

HIL-

HILDESHEIMENSIS,

(quæ eſt Suffraganeatus Metropolitanæ Moguntinæ)

Eccleſia Cathedralis in inferiori Saxonia, num & iſta adinſtar aliarum in Germania noſtra Superioribus ſæculis Regularis fuerit, nec ne? mihi penitiùs inquirenti Reverendiſſimus & Ampliſſimus Dominus Joſephus Venerab. Memoriæ Monaſterii Hildeſiani ad S. Bartholomæum *in Sultâ* cognominati de Congregatione Windeſimenſi Præpoſitus per proprias de dato 1688. calendis Auguſti gratioſè ad me directas, in hæc verba reſpondit: Quòd Cathedralis Eccleſia Hildeſiana primis ſuæ inſtitutionis temporibus fuerit Regularis admodùm certum eſt, & nec unquam dubium eſſe debet, quamvis de Regula ipſius aliquandò controvertitur. Aſcetæ Benedictini ſuam quidem ipſi Regulam aſſignant, quod tamen neutiquam videtur probabile, ſiquidem S. Bernwardus ex Canonico Cathedrali Hildeſiano, Hildeſianus Pontifex numero & ordine decimus jam morti vicinus (ut in vitâ ipſius habetur) in Hildeſiano S. Michaëlis Monaſterio habitum Monaſticum aſſumpſit, quem repetere ſanè ſupervacaneum eſſet & ridiculum, ſi Epiſcopus iſte jam antè Monachum egiſſet, ergò prout optimè deducitur, Cathedrale Collegium iſtud Hildesheimenſe, quia Regulare fuit, ſuam atque eandem, quæ tum temporis aliis etiam Saxoniæ & Weſtphaliæ Provinciis, ut putà Halberſtadienſi, Mindenſi, Paderbornenſi &c. communis fuit, Regulam Auguſtinianam ſaltem in ſubſtantialibus tenuit & obſervavit &c. Et ſic ille, cui iſthìc commodè ſuperaddendus eſt etiam jam ſuprà citatus Anonymus noſter Gallus fol. 319. ita legendus:

Anno 872. dedicatum eſt principale Monaſterium S. Mariæ in Hildensheim ab Alfrido Epiſcopo ejus ædificatore, qui ibi, ut Canonici Regulares Religioſiſſimè viventes ſoli Deo famularentur, inſtituit. Et infrà fol. 329. S. Bernwardus teſte Tangmaro Presbytero Eccleſiæ Hildesheimenſis Canonico & S. Viri quondam Præceptore in vitâ ejusdem cap. 2. & 5. Ordinatus Epiſcopus anno Dominicæ Incarnationis 993. hunc ſibi vitæ intra principale Monaſterium agendæ modum præſcripſit; Curſu primæ horæ expleto quaſi regulariter ſub diſciplinâ conſtitutus Capitulum cum Fratribus, qui ſecum converſabantur, adiit, nomina etiam fratrum, quorum annualis memoria inſtabat, quotidiè recitari jubebat; circà Nonam ad menſam Fratrum conſedit, populique ſtipatus frequentiâ, non pompaticè quidem ſed Religioſó ſilentio cunctis ad lectionem honeſtiſſima diſciplina intentis, quæ inter cænandum non brevis legebatùr, infirmis quidem fratribus & ſenio confectis, benedictionem de manu ſuâ hilariter dirigebat. Plura aliqua poſt aliquantò dicam de Canonicorum Hildesheimenſium Religione. Hoc autem loco non poſſum quotidianam eorum cænam horæ nonæ illigatam non annotare an fortè hoc diſciplinæ ſuæ Regularis caput ex ſecundâ Auguſtini Regulâ expreſſerant. Item infrà fol. 335. Anno 1022. Piæ memoriæ Bernwardus Hildesheimenſis Epiſcopus 12. Cal. Decembris ad Chriſtum migravit, in cujus locum Godehardum Altahenſem priùs Abbatem ſancta Eccleſia ſibi, ſuiſque utiliter ſubrogavit. Qui Bernwardus, dum ad Epiſcopatum Hildesheimenſem fuit elatus, Cœnobii Cathedralis religionem eatenùs rationabiliter, Deo gratias, conſervatam agnovit, omni eam devotionis ſtudio ampliare ſategit. Canonicos Fratres ad ſacræ Religionis obſervantiam Apoſtolicè arguendo & obſecrando, multiciplitérque informando conduxit, non nullos in omni Canonicæ Regulæ obſervatione jure laudabiles impenſiùs dilexit, atque iſta quidem & cætera ejusdem generis in medium afferre volui, ut hoc ſaltem omnibus probent, veteres Canonicos pro Religioſis Regularibúsque Clericis haberi oportere.

HILDESHEIMENSE,

Virorum Monaſterium de Venerabili Congregatione Windeſimenſi commembrum, atque iſtud communiter *S. Bartholomæi in Sulta* cognominatum, ſeu eidem Chriſti Apoſtolo Divo Bartholomæo dicatum & conſecratum, hodiedùm proſtat vix inter mille millenas graviſſimáſque perſecutorum procellas de immenſa Dei gratiâ utcunque ſervatum, atque uberrimam illius deſcriptionem inde gratioſè tranſmiſſam accepimus juxtà tenorem ſequentium.

Monaſterium hoc unum ex ſtatibus Hildeſienſibus inter ſeptem Eccleſias in Comitiis Provincialibus votum habens, Civitati Hildeſienſi ad Orientalem plagam proximè adjacens à S. Godehardo Hildeſienſium Epiſcopo XIV. circà annum 1026. ædificari & fundari inceptum eſt, Sulta vulgariter ſive ad aquas Salinas nuncupatum, propter aquas ibidem antè hac etiam ſalſas ſcaturientes tam copioſè, ut duobus etiam Molendinis ad idem Monaſterium ſpectantibus movendis fuerint ſufficientes, ſed modò totum Monaſterii ambitum circumdant, ac demùm in Civitatem Hildeſienſem per ſubterra-

neum aquæ ductum effluentes, in singulas Civitatis plateas & puteos pro civium necessitate dividuntur pro cujus beneficii recognitione Consulatus Hildesiensis ad dandos singulis annis ex duobus molendinis suis centum modios brasii Hordeacii sese obligavit. Aquæ istæ olim non salsæ tantùm ac impotabiles, sed in ipso ubi scaturiunt loco Dæmonis aut spectri cujusdam inhabitatio fuisse scribuntur, quod Dæmonium, quia homines prætereuntes in aëra multoties sublevabat, ac mirificè multos conterebat, B. Godehardus convocato Clero suo locum illum Deo consecrandum aggressus. Dæmonium per suas suorúmque devotas orationes à loco isto Sulta vocato, ac omnibus finibus ejus exorzizando planè expulit, & aquas, quæ ibidem ex parte salsæ erant & insipidæ, dulces & humano usui plurimùm, ut hodiedum cum maximo Civitatis Hildes. emolumento apparet, benedictione sua reddidit aptas, ædificavit deinde in eodem loco amplam satís, pulchram & ornatam Ecclesiam de sectis lapidibus, columnísque altis magnis & rotundis in honorem S. Bartholomæi Apostoli, & ædificia pro Presbyteris aliquot & Clericis, quibus & ipse aliquamdiu ipso in loco convixit, ad suscipiendos curandósque ibidem pauperes coaptavit.

Verùm D. Bruningus Hildes. electus Episcopus XIX. circa annum 1116. Canonicos Regulares secundùm Regulam S. Augustini ibidem instituit, ædificia, reditúsque ampliavit, & auxit, incorporando eidem Monasterio Archi-Diaconatum Ecclesiæ Parochialis in Luhnde cum Banno suo & universo jure spirituali ac sæculari, resignatóque Episcopatu suo reliquum, quod superfuit, vitæ suæ tempus hic in Sulta devotè & tranquille transegit, & finivit, ac ibidem in Ecclesiâ ante Chorum sepultus est, cujus ossa post trecentos quinquaginta à sepulturâ annos omnia integra & imputrefacta se ibidem invenisse & vidisse testatur lib. 1. reformat. Cap. 6. Joannes Buschius in Sultâ Præpositus circà annum 1648.

Post S. Godehardum & Bruningum Monasterium hoc favoribus, muneribus & privilegiis prosecuti sunt Episcopi Hildesienses nonnulli alii, ut latius patet ex appositis fundationis litteris, quæ sic habent:

BERNARDUS Dei gratiâ Hildesemensis Episcopus officii nostri debito exigimur Ecclesiæ curæ nostræ commissis vigilanti solicitudine intendere. Et ut imposterùm auctoritate Pontificali munitæ tutiores subsistant, opitulante Domino providere. Contherus itaque Religiosæ conversationis Vir & Præpositus Servorum DEI Regularium in Cellâ Beati Bartholomæi ab Orientali parte Civitatis nostræ sitâ, in loco, quem ab aquæ paludosæ circumluitione Sultiam vocant Indigenæ, nos adiens petiit, ut eundem locum privilegii Episcopalis charta cum suis pertinentiis muniremus, ne temporibus futuris qualibet potestate, quod absit, in aliquibus suis utilitatibus imminueretur. Eundem sanè locellum, Dæmonum priùs incursibus horridum, Sanctus Godehardus primùm incoluit, deinde Vir venerabilis Bruningus Ecclesiæ nostræ Electus, aquæ ipsius decursu qua cella ambitur cum piscatu suo ac pascuis, & Ecclesia Baptismali in Luhne cum banno suo & universo jure Spirituali & Sæculari; ita ut præfatæ Cellæ Præpositus curam jam dictæ Ecclesiæ in Luhne jure perpetuo habeat, & quem jusserit de Fratribus Divina ibi persolvat, ita duntaxat, ut de primitivo jure suo tantum retineat, quantum consilio fratrum pro temporum & rerum varietate Præpositus decernat. Novem quoque Mansis in Arberge ac tribus areis cum decimâ illius villæ, & Molendino cum omni utilitate suâ in piscationibus, pratis ac pascuis utilitatibúsque lignorum consensu Cleri & populi ampliavit. Dominus etiam Bartholdus Episcopus Reverendæ memoriæ Prædecessor noster Monasterium ibi dedicans uno manso in Bredenheimb & decima ipsius Viri dotavit. Nos quoque aliquantis, quæ Ministeriales nostri Beneficii jure possederant eidem Cellæ adjumenta pro possibilitate nostrâ contulimus, videlicet in Bredenheimb tres mansos cum decimâ ejusdem villæ, circà locum ipsum ferè quinque mansos & areas circumjacentes cum omni Spirituali Jure ac Sæculari & Sepulturâ, sicut & alia, ejusdem Ecclesiæ pertinentia, quædam à fidelibus Domino oblata, quædam à Viris Religiosis ejusdem loci Præpositis ordine sibi succedentibus à Sæcularibus comparata, videlicet his in Arberge IX. mansos, in Engelshumb septuaginta duo jugera cum tribus areis, in Rethen tres mansos cum area, in Embric & Jesse triginta novem jugera cum una area, contulit præterea Odelricus Canonicus Sanctæ Crucis ad utilitatem fratrum in Bredenheim duodecim jugera, item in eadem villâ mansum unum cum areâ persolvente quatuor solidos hujus monetæ ad lumen in Capellâ Sanctæ Mariæ In Sehnde viginti quatuor jugera cum una area, in Lerthe decimam villæ, in Rheden viginti jugera, in eadem villa quadraginta jugera cum areâ, in Rethene quindecim jugera, in Wackenstede & Lusbecke viginti jugera cum areâ, in Lusbecke

majori

majori manſum, in Odelem quadraginta jugera cum areâ, in Illedehuſen viginti quatuor jugera cum areâ. Quia igitur juſtis petitionibus aures pontificales decet eſſe faciles ſecundùm poſtulationem prænominati Præpoſiti locum præfatum cum prædiis aſcriptis & omnibus ſuis pertinentiis, quæ in præſenti habere videtur, vel in futurum cooperante Domino conceſſione Pontificum, largitione Regum, Ducum, Comitum, vel quorumlibet oblatione fidelium juſtâ quavis occaſione poterit adipiſci, Servorum Dei uſibus profutura in Verbo Dei & virtute Spiritûs Sancti Epiſcopali noſtræ auctoritatis Banno firmamus, & integra firma atque inconvulſa in omnia tempora manere decernimus. Statuimus etiam ſicut & Anteceſſores noſtri ſtatuerunt, ut in eodem loco Regularis Profeſſionis ordo & vitæ communis inſtitutio hactenus à temporibus Domini Bruningi habita ſecundum doctrinam S. Auguſtini deinceps immutabiliter obſervetur, eisdémque fratribus Præpoſiti ſui electio canonica conſervetur, ſiquis autem aut mei Ordinis Succeſſor, aut Sæcularis aliqua perſona, quod abſit, hæc quovis modo infringere vel immutare, ſeu locum ipſum quocunque oppreſſione injuſtâ gravare tentaverit, verbi Dei gladio, niſi reſipuerit, à Corpore Domini ſegregata maledictioni perpetuæ ſubjaceat. Ad cujus rei firmamentum Chartam hanc conſcribi & ſigilli noſtri impreſſione fecimus inſigniri. Actum in Hildenſem Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo Indictione undecima tertio Idus Octobris in plenaria Synodo Anno Epiſcopatus mei 18. Regnante Domino noſtro JEſu Chriſto, cui honor & gloria. Hujus privilegii confirmandæ conſcriptioni teſtes præſentes fuerunt hi. Benno Decanus Eccleſiæ majoris & Præpoſitus S. Crucis, Bruno Præpoſitus de monte S. Petri Goslariæ, Ethdecus Præpoſitus de Bezmkorode, Gerduardus Præpoſitus de Lambſpring, Fridericus Abbas de S. Godehardo, Rudolphus Presbyter & Canonicus, Ribertus Presbyter, Joannes Presbyter, Gerlacus Diaconus, Bernardus Diaconus, Werno Diaconus, hi Canonici Majoris Eccleſiæ, Laici verò, Nobiles Cuno de Arbergen, Haoldus de Burnen, Haoldus de Diſeldeſim, Haoldus de Ruthen, Miniſteriales verò Ludolphus Advocatus, Lippoldus frater Ejus, Ekebertus Camerarius, hi & alii quàm plurimi, qui Generali Synodo interfuerunt.

Plures etiam Summi Pontifices Monaſterium hoc ſub protectione ſuâ ſuſcipientes fundationem ejusdem, immunitatem, bona, & exemptionem confirmârunt: Extat præter alias Bulla Gregorii Decimi tenoris ſequentis.

GREGORIUS Epiſcopus Servus Servorum DEI, Dilectis filiis Præpoſito Eccleſiæ S. Bartholomæi Hildeſemenſis ejusque fratribus tam præſentibus, quàm futuris Regularem vitam Profeſſis in perpetuum. &c. Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incurſus aut eos à propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ Religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Eccleſiam Sancti Bartholomæi Hildeſemenſem Abbatem proprium non habentem, ſed per Præpoſitum ſolitam gubernari, in qua divino eſtis obſequio mancipati ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum & B. Auguſtini Regulam in eâdem Eccleſiâ inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quascunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè & Canonicè poſſidet aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, aut aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis, veſtrisque Succeſſoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, Locum ipſum, in quo præfata Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, quatuor manſos circa ipſam Eccleſiam cum domibus, hortis, areis, terris, poſſeſſionibus, & omnibus pertinentiis ſuis, Jus Patronatûs quod habetis in Luhnde, quinque manſos cum domibus, terris, poſſeſſionibus & pertinentiis ſuis, & alia jura & reditus, quos in Archi-Diaconatu de Luhne & Eccleſia ipſius Archi-Diaconatûs Eccleſia veſtra noſcitur obtinere Eccleſias de Lülene, de Lobeke, de majori Sehnede, & de Hotzenem cum omnibus pertinentiis earundem, quas in proprios uſus juſtè & Canonicè poſſidetis, manſos, terras, areas, poſſeſſiones, & univerſa jura, quæ in ipſarum Eccleſiarum Parochiis obtinetis: Annuum redditum centum modiorum annonæ, quem percipitis in duobus Molendinis poſitis juxtà civitatem Hildeſienſem. In villâ, quæ Arbergen vulgariter nominatur duodecim manſos cum quatuor areis & aliis pertinentiis ſuis, & Decimas, quas in eâdem villâ percipitis. In Hotſenem decem & ſeptem manſos cum novem areis & aliis pertinentiis earundem, & jus infeudandi, quod habetis in duobus manſis ejusdem Loci. In Dillenem manſum unum cum areâ. In Lulene quinque manſos cum Decima earundem & ſex areas, quas

habetis ibidem. In Lobeke tres mansos cum area. In minori Lobeke mansum unum cum area. In Altgermissem tres mansos cum area & Decima earundem. In Loppenstede unum mansum. In Wetzende quadraginta jugera agrorum cum Decimis, quas ibidem habetis. In Umnenem unum mansum. In minori Sehnede mansum unum cum areâ. In Boltzem unum mansum. In Oeslenissen unum mansum. In Lerthe quadraginta jugera agrorum cum area & Decimis, quas ibidem percipitis. In Eddessem tres mansos cum duabus areis. In Machtessem unum mansum cum area. In Schellerten unum mansum, & in Embricke unum mansum, terras, reditus, & possessiones, & universa jura alia, quæ in Civitate & Diœcesi Hildesiensi Ecclesia vestra noscitur obtinere cum pratis, terris, vineis, nemoribus, usuagiis & pascuis, in busco, & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sanè Novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus hactenùs aliquis non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque Vobis Clericos vel Laicos liberos vel absolutos à sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in Ecclesia vestra professionem fas sit sine Præpositi sui licentia de eodem loco nisi arctioris Religionis obtentu discedere. Discedentem verò absque communi litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis janujs, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis suppressâ voce divina officia celebrare, dummodò causam non dederitis Interdicto. Chrisma verò, Oleum sanctum, Consecrationes Altarium seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano suscipietis, Episcopus siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem SS. Romanæ Sedis habuerit, & ea voluerit vobis sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut infrà fines Parochiæ vestræ, si eam habetis, nullus sine assensu Diœcesani Episcopi, & vestrô Capellam, seu Oratorium de novo construere audeat salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archi-Episcopis & Episcopis, Archi-Diaconis seu Decanis aliisque omnibus Ecclesiasticis, sæcularibúsve personis à Vobis omninò fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publicè Usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas prætereà & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur, retinendi & legitimè liberandi de manibus eorum & ad Ecclesias, ad quas pertinent revocandi libera sit vobis de vestrâ auctoritate facultas. Obeunte verò Te nunc ejusdem loci Præposito vel Tuorum quolibet Successorum, nullus ibi qualibet Subreptionis astutiâ seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel Fratrum major pars consilii sanioris, si ad eos duntaxat Præpositi spectat electio secundùm Deum & B. Augustini Regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna imposterùm solicitudine providere volentes auctoritate Apostolica prohibemus, ut infrà clausuras locorum seu Grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, quemquam capere vel interficere seu violentiam audeat exercere. Prætereà omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiæ vestræ concessas, nec non libertates & exemptiones Sæcularium exemptionum à Regibus & Principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, prò quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, Salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesani Episcopi Canonicâ Justitiâ, ac in prædictis Decimis moderatione consilii generalis. Siquæ igitur in futurum Ecclesiastica Sæcularísve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundo, tertióve commonita nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorísque sui careat dignitate, reámque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JEsu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit Pax Domini nostri JEsu Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen.

Sub-

Subſcriptio.

Ego Gregorius Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
Ego frater Joannes Portuenſis ſubſcripſi.
Ego Petrus Tuſculanus Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Vuedo Epiſcopus Preneſ. ſubſcripſi.
Ego frater Petrus Hoſtiens-& Velletren. Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Bertrandus Salmeri Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Simon Titulo S. Martini Presb. Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Aucherus titulo S. Praxedis Presb. Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Simon titulo S. Cæciliæ Presb. Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Bonus titulo S. Adriani Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Jacobus S. Mariæ in Coſmidin Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Gentafridus S. Georgii ad Velum Anr. Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Ubertus S. Euſtachii Diaconus ſubſcripſi.
Ego Mathæus S. Mariæ in Portu Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Datum Lugduni per manum Magiſtri Lafranci Archi-Diaconi Pergamenſis S. R. E. Vice-Cancellarii quarto Idus Septembris Indictione tertia, Incarnationis Dominicæ anno Milleſimo Ducenteſimo Septuageſimô quartô, Pontificatûs verô Domini Gregorii Decimi annô tertiô.

Anno 1440. Monaſterium hòc per Joannem Buſchium Windeſemenſem, conſentiente non modò, ſed plurimùm collaborante D. Magno Hildeſimenſi Epiſcopo XL. in diſciplina regulari fuit reformatum, & Capitulo Windeſemenſi incorporatum, ſicque floruit, ac optimo tam quoad temporalia, reditus, & ædificia, quàm quoad Spiritualia permanſit in ſtatu usque ad annum 1546. quando Civitas Hildeſimenſis heterodoxa introducta Religione maximo in Catholicos, præſertim Religioſos tam intra quàm extra Civitatem furore deſæviens unà cum Carthuſiâ ad alteram Civitatis partem ſitâ Monaſterium hoc ex fundamento, Templum, Domus, & omnia ædificia deſtruxit, ſolóque miſerandum in modum adæquavit, lapidibus templi & ædificiorum in Urbem avectis, ac in munitiones, & mœniorum ſubſidium applicatis: Organo item, libris, aliisque omnibus direptis & ablatis. Subſequentibus quidem annis reparatis ædificiis, novóque propriis ſumptibus extructo templo Monaſterium hoc rurſùs ædificatum eſt, ſed pro dolor ob nimis vicinum mænibus civitatis Hildeſimenſis ſitum Civiúmque in Religioſorum Monaſteria inexplebilem furorem & odium ſtare diu & ſubſiſtere non potuit, nam anno 1626. à Civibus Hildeſienſibus non tantùm exſpoliatum, ita ut damnum illatum 4500. Imperiales exceſſerit, ſed paucis poſt annis, anno nempe 1632. per Bellonæ tumultus partim extrà Civitatem à militibus, partim intrà à civibus, ex oppoſito è regione vallo tormenta ſua ænea in illud explodentibus denuò deſtructum eſt, ut non remanſerit lapis ſuper lapidem. Per iteratam igitur hanc ruinam, miſeram deſolationem, & plurima Canoniæ huic illata damna, bona ejusdem notabiliter ſunt diminuta, gravata, & direpta, & quanquam anno 1643. Pace promulgata factáque à Ducibus Brunſuicenſibus locorum in Diœceſi Hildeſienſi occupatorum reſtitutione, Monaſterium hoc tertiâ, imò quartâ pro vice reædificari & reſtaurari fuerit inceptum, ad primævum tamen ſtatum hucusque & ædificia reduci non potuit, nec conſultum viſum fuit ob minùs tutam experientia nimium comprobante, loci quantumvis amæni ſituationem, unde parvum tantummodò hodiè habet ſacellum, & exigua alia pro Religioſorum habitatione & Oeconomiæ exigentia ædificia.

Catalogus

Reverendiſſimorum ac Ampliſſimorum D D. Præpoſitorum Monaſterii Hildesheimenſis ad S. Bartholomæum in Sulta.

I. Albertus in primum loci hujus Præpoſitum anno gratiæ ſupra milleſimum viceſimo ſexto authoritate conſtitutus novennio præſtitit ac poſt in Domino requievit anno 1035.

II. Theodoricus I. à morte Prædeceſſoris proximus ad regimen intravit anno 1035. quinquennio præſtitit, ac vitam mortalem cum immortalitate commutavit anno Chriſtiano 1040.

III. Tenckerus.

IV. Henricus I.

V. Heidenricus.

VI. Hildo circa annum sæcularem 1200. officium suum & Prælaturam resignavit.

VII. Bernardus I. itidem tempore suo resignavit.

VIII. Bertramus, & is quoque pariter resignavit.

IX. Theodoricus II. Patria Elzensis etiam iste suo munere & honore spontaneâ resignatione cessit.

X. Jacobus de proprio gremio S. Bartholomæi ad regendam Præposituram assumptus, eâdem post annos aliquot ultrò dimissa Prior in Riddagshausen factus.

XI. Wernerus.

XII. Hermannus I.

XIII. Theodoricus III.

XIV. Udalricus.

XV. Hermannus II.

XVI. Hermannus III.

XVII. Theodoricus IV.

XVIII. Bertholdus claruit circà annum 1305.

XIX. Henricus II. claruit in regimine Prælaturæ uno decennio nimirùm ab anno 1305. usque ad annum 1315.

XX. Bernardus II. vixit adhuc anno 1328. præfuit annis 17. tumulo illatus anno 1328.

XXI. Henricus III. decessit, & ad plures abiit anno 1372.

XXII. Theodoricus V. vix delibatis Prælaturæ honoribus Successori locum dedit 1373.

XXIII. Ludolphus Nobilis Heros de Stempne concordibus Suffragantium calculis electus anno 1373. laudabilissimè simul ac utilissimè toto 50. annorum decursu præfuit, quibus expletis in fauces mortis incidit anno 1423.

XXIV. Joannes I. Lampride cognominatus electus anno 1423. sexennio præstitit, & spontè resignavit anno 1429.

XXV. Joannes II. & is pariter resignavit.

XXVI. Joannes III. post spontaneam resignationem factus Pastor Archi-Diaconalis Ecclesiæ in Luhnde jam suprà recensitæ.

XXVII. Joannes IV. cognomento Buschius, ac pius Author famosi Chronici illius Windesimensis typis Coloniensibus in 8. editi, atque Hildesianæ Canoniæ hujus instaurator egregius anno 1440. ipso Festo Hypapante Domini electus, complurium (etiam de aliis Ordinibus) strenuus Reformator & Visitator authoritate Pontificiâ in id delectus, atque saluberrimo hujuscemodi negotio totus quantus immersus, idem ipse post octennium ad Parthenonem Hallæ Saxonicæ immensis votis expetitus, ubi dum immensa laude & pari fructu septennio præstitit, pariter rursùs officio suo cessit, & ad Ascetcrium suum Windesimense digressus, dum anno uno & mensibus aliquot substitit, atque interea temporis Librum de Viris Illustribus Cong. Windesimensis conscripsit, jam secundò Sultanam Canoniam repetiit, undè jam secundo in supremum loci Rectorem, seu Præpositum Hildesiensem electus, annis plus minus 20. ab omnibus honoratus, amatus, & admiratus ad clavem sedit, donec jam senio & labore fessus, tandem cum communi sanctitatis opinione diem suum obiit, qui necdum nobis innotuit. Hildesiæ ibidem honorificentissimè cum ingenti bonorum omnium comploratu repositus.

XXVIII. Arnoldus von Echte gente Saxo, Patria Gandersheimensis ex Canonia (ubi vices Procuratoris plusquàm laudabiliter implevit) Reichenbergensi postulatus post antedictam Joannis Buschii resignationem anno 1448. in Præpositum Sultanum assumptus, annis duobus & mensibus sex laudatus præfuit, Vir omninò devotissimus & disciplinæ Regularis Zelator ferventissimus.

XXIX. Bartholdus Ziegemeier Neostadianus ex proprio gremio S. Bartholomæi anno 1450. delectus resignavit annò 1459. factus Præpositus Sanctimonialium in Heiningen Parthenone jam suprà recensito, ubi disciplinam Claustralem aliquanto tempore utcunque labefactatam, ex Commissione Pontificia & speciali jussu Nicolai de Cusa S. R. E. Cardinalis & S. Sedis Apostolicæ Legati de Latere, simul & ad supplices pedes Venerab. Dominæ Alheidis de Borfeldt ibidem pro tempore Priorissæ anno 1451. strenuè renovavit, atque Religiosum hujuscemodi contubernium etiam in temporalibus plurimùm extulit, inibi apud easdem Moniales in ambitu condigno honore reclinatus.

XXX. Joannes V. Buschius Windesimensis, de quo suprà.

XXXI.

XXXI. Joannes VI. Bobbo condictus ex proprio S. Bartholomæi gremio anno 1479. promotus, seu post secundam ejusdem Joannis Buschii resignationem ex Procuratore Domestico canonica electione dignitati Prælaturæ, seu Claustrali Regimini præfectus, per omnia rem optimè gessit, cæteroquin Scriptor peritissimus, qui quamplures Libros, Vitas Sanctorum prolixè descriptas abundè continentes, indefesso studio atque solerter apparavit, ac demùm in Visitatione Monasterii Reichenbergensis ex insperato morbo correptus, è vivis decessit anno 1484. die 2. Octobris.

XXXII. Tillemannus von Lewenau ex inferiori Hassia progenitus Canonicus Capitularis de gremio S. Bartholomæi in Præpositum nominatus, & Authoritate Superiorum constitutus biennio solùm præstitit, & Pastorali munere spontè dimisso de posthac privatim vivere sibi delegit.

XXXIII. Conradus Coster ex ipsa Episcopali Civitate Monasteriensi progenitus Can. Regularis & Superior Hildesheimensis anno 1486. electus, de concredito sibi Cœnobio pluribus titulis strenuè promeruit, atque inter hæc etiam multis libris emptitiè comparatis Bibliothecam admodùm illustravit, diversis item ædificiis claustrum exornavit, ut & alia plura præclarissimè gessit. Demùm expleto Prælaturæ suæ decennio cum Patribus suis anno 1495. die 14. Augusti in bona pace mortuus & sepultus.

XXXIV. Joannes VII. Kupferschmidt cognominatus, & ex Dursten oppido progenitus anno 1495. in Præpositum Hildesianum electus, tempore Religiosæ Præfecturæ suæ in augmentum Cœnobii sui præclarè satis plurima gessit, reditus augmentavit, Librariam pluribus libris instruxit, ædificia nova magnis sumptibus apparavit, & dum ad Canoniam Hamerslebiensem ex officio follicitus invisit, à Laico quodam protervo & insano contumeliose nimis in puteum dejectus, inibi mortuus & sepultus disparuit.

XXXV. Joannes VIII. de Onelen condictus, Capitularis Domesticus & officio suo Plebanus Archi-Diaconalis Ecclesiæ de Luhnde communi suffragantium calculo in Præpositum nominatus claruit circà annum 1528.

XXXVI. Henningius Meyr Religiosa Professione sua Canonicus Sultanus, & pro tempore Pastor in Luhnde, idem etiam Præpositus in Munchelar, ac demùm labentibus annis in propria sua S. Bartholomæi Ecclesia Canonica Electione Sedi vacanti impositus, post expletum octenne regimen omnem Religiosam potestatem suam ultrò dimisit, suscepto rursum Plebanatu in Luhnde.

XXXVII. Joannes IX. Bunge cognominatus, itidem de proprio gremio delectus, demùm evocatus ad plures abiit anno 1517.

XXXVIII. Joannes X. de Alen in Diœcesi Monasteriensi prognatus, in Sultâ verò Hildesiæ Religiosum Canonicum professus, modico solùm tempore sibi delatos Prælaturæ honores delibavit; cæterùm in actis posteritati parùm notus.

XXXIX. Henricus IV. una eadémque cum Prædecessore suo patria tellure progenitus, sub laudatissimo tamen (quale per omnia fuit) regimine suo in profundissimum miseriarum barathrum vel innocuè fuit delapsus, quando nimirùm anno 1546 uno eodémque die 30. Julii tota heterodoxorum Civium Hildesheimensium caterva Religioso Claustro S. Bartholomæi plusquàm terribiliter illapsa, illud ipsum etiam cum templo, & quidem amplissimo & plusquàm nobiliter exornato, funditùs usque diruit, dissecavit, & annihilavit, tigna item & ligna, lapides item & quævis alia materialia ex busto residua in ipsam memoratam Civitatem suam violenter abripuit, unde optimus Præsul iste tantis malis ex insperato præventus, & plusquàm hostiliter obrutus, nimio terrore perculsus, paulò post animam egit; cujus à morte per tempus aliquod Hildesiana S. Bartholomæi Canonia ista in tam lamentabili rerum statu, Præpositorum nomine suppresso, Procuratores solùm habuit, quibus tota rerum administratio in animam commissa fuit.

XL. Joannes XI. Brinckmann cognominatus, & is quoque miseriarum satur, luctuosum nimis Monasterii sui omninò desolati statum ampliùs sufferre nequiens, tum officio, tum vita ampliùs fungi haud potuit, præ nimia cordis tristitia jamjam ad mortem trahendus, quam tamen citiùs intulit venenum aspidum insanabile, quo ipse Joannes post modicum nempe quatuordecim solùm dierum regimen à Novatoribus intoxicatus, miserrimè vitam liquit temporalem, cujus à morte perduravit Interregnum usque ad annum 1565. merissimo languore perductum, Hartungo quodam Religioso Canonico de Loges cognominato interim Procuratoris saltem vices agente.

XLI. Victor Ebenhoch Magdeburgensis Saxo Canonicum Regularem in Hamersleben professus, connitente plurimùm Reverendissimo ac Illustrissimo Principe ac DD. Burcardo Episcopo Hildesiano in novum Præpositum Sultanum assumptus, optimè quidem de suo hoc Sultano Monasterio promereri cæpit, nam & novum templum construere molitus, quasvis etiam officinas Claustrales pro posse restaurare tentavit, verùm ipse gratiâ perseverantiæ indonatus, in fine pessime corrupit, dum nempe cunctis Monasterii pecoribus clàm abactis, ac furtivè subductis, clavibus etiam Prælaturæ Sæculari Magistratui Hildesiano Acatholico traditis, ab Ordine & Religione fugitivus infamis Apostata factus excessit, erupit, evasit.

XLII. Joannes XII. Sunff cognominatus electus anno 1584.

XLIII. Ludolfus Pauli de gremio Capituli Domestici anno 1615. electus, octennio circiter aut novennio præfedit, graves admodum interim sustinere coactus contradictiones & molestias, ob domum quandam uti vocabant, decimalem in pago Farnensen reædificatam.

XLIV. Nicolaus Molthan, ex Domestico Procuratore admodùm sedulo & accurato, in Præpositum delectus, mortuus est ex vulnere ab inimico homine casualiter inflicto.

XLV. Henricus V. Morbach cognomine dictus, ex Clusa Everhardica vocatus, damnati nominis author, eò quòd Prælaturam suam debitis oneravit sat multis & magnis, & dehinc passim illaudatus devixit anno 1630, vel secundùm alios 1635.

XLVI. Joannes XIII. cognomento Mimberg dictus, ex Canoniâ Bodecensi in Westphalia multis precibus ad suscipiendum Prælaturæ hujus regimen exoratus, qui tamen postmodùm ob perturbatum adeò rerum statum, ad nativam Canoniam suam Bodecensem remeavit; præsertim gravissimis bellorum motibus ad id inductus, quando nimirum ab anno 1631. usque 1641. Duces Brusuicenses heterodoxi totam Diœcesin Hildesianam continuis simul & gravissimis damnis & cædibus afflixerunt, optimo Præsule isto Joanne stabili residentiâ nunquam potitô.

XLVII. Joannes XIV. Sallinger cognominatus, itidem Canonicus Bodecensis, à Supremo Dicasterio Capituli Windesimensis anno 1643. Canoniæ Sultanæ in supremum Rectorem seu Præpositum datus, morte infelici decessisse perhibetur anno 1656.

XLVIII. Christianus Haffert tam origine quàm Religiosa Professione Novesianus, primùm Canoniæ Sultanæ in Procuratorem datus, ac post etiam ibidem in Præpositum delectus & confirmatus, biennio solùm & mensibus sex admodùm laudabiliter præfuit: dum scilicet æs alienum omne dissolvit, ædificia nova sedulò perfecit, inde tamen ad nativam Religiosæ Professionis suæ Domum avidissimè reversus, ibidem in Priorem ordinatus, ab inceptis non tamen nisi laudabiliter (quocunque demùm interveniente errore) præpeditus apud Novesianos suos ùt Prior resignatus defecit, & in bona senectute dormivit cum Patribus suis.

XLIX. Joannes XV. Klumpenhauser Patriâ Novesianus, cui eò quod quasi conditionatè tantùm & erroneè Præpositura fuerit potitus, graves adeò suscitatæ fuerunt lites & controversiæ, quibus nondùm ritè sopitis, anno 1662. die 3. Februarii mors ipsi vitam & litem omnem abrupit, & abscidit.

L. Joannes XVI. Adriani condictus, natione Belga Lovanii ad S. Martinum professus à Superioribus Ordinibus in locum Prædecessoris subrogatus, vitâ naturali decessit anno 1667. die non notato.

LI. Remboldus Jagmann patriâ & Professione Novelianus ex Rectore Rhenobercano in Præpositum loci hujus delectus, novennio in sede Superioritatis suæ constitit, & exinde sub annum 1676. naturæ debitum exsolvit die 13. Decembris.

LII. Theodorus Rox Novesianus natus, in Canoniâ Sultanâ verò istâ Religiosum Ordinem Professus, ex Pastore Ecclesiæ Borsanensis in Præpositum electus, & præfuit annis octo, potioribus debitis passivis feliciter expunctis, sat benè meritus simul ac Regulari disciplinâ strenuè promotâ. Cæterùm & ipse Vir doctus adeò prudens & discretus decessit æger Pleuritide anno 1684. die 20. Septembris.

LIII. Josephus Eulert Hildesheimensis, atque hic ad S. Bartholomæum in Sultâ Professus, in administratione Parochiæ Borsanensis Prædecessori suo subsidiarius vigilantissimus

tissimus anno 1684. die 22. Octobris pro meritis suis omninò maximis in Præpositum Sultanum assumtus, in diebus suis Claustralis Antistes dignissimus, idem jam à pluribus aliquot annis gratiosus per litteras Patronus. Rexit annis viginti quatuor, multis Canoniam suam ornavit ædificiis, solvit contracta ab Antecessoribus suis debita, novisque proventibus rem domesticam auxit. Obiit 8. Martii 1708.

LIV. Joannes Casparus Zeppenfeldt, ex Castro diæcesis Hildesiensis, Steinbruck nuncupato oriundus, qui postquam annis duobus Procuratorem in Sulta, ac annis septem Parochum in Arbergem egerat, 22. Martii anno 1708. in Præpositum Sultanum electus est anno ætatis 35. Professionis in Sulta emissæ 19. Charitate verè Augustiniana præditus, Cor Augustini duplici sagittâ transfixum Abbatiali insigni inseruit.

HIPPOLYTANUM.

Seu glorioso Christi Martyri (cujus memoria seu dies festus in Fastis Ecclesiæ Romanæ undecimo Calendas Septembris annotatur) S. Hippolyto dicatum, longè vetustissimum, æque ac præ pluribus aliis ætate nostra Canonicorum Regularium Diæcesis Pataviensis, in inferiori Austria Collegium sub Pontificatu, qui decennio perduravit nimirùm ab anno Christi 742. usque ad annum 752, Sancti Zachariæ Papæ & Confessoris post immanissimos Hunnos & Avaros à Carolo Magno Imperatore ex universa Austriâ gloriose debellatos & fugatos, primitus fuit fundatum; cui recens condendo pii authores fuerunt Illustrissimi viri Adalbertus & Okarius germani Fratres è Patre N. Bavaro, Matre verò N. Conjuge illius Burgundiæ Principe progeniti; qui iidem pientissimi Duces aliis quoque Cœnobiis noviter instaurandis inter alia fundàrunt etiam magnificentissimum illud Asceterium Monastico-Benedictinum *Tegerenseense* nuncupatum; quod hodiedum plurimùm inclarescit sub diæcesano limite Frisingensi, in extremis Superioris Bojariæ finibus ad confinia ditionis Tyrolensis spectandum; quod ubi inclytissimi Fundatores antedicti abundè satis instruxerunt, & absolverunt, divino afflati Spiritu sæculo renuntiantes, Monasticen sunt professi, quorum primus ipse Adalbertus antè memoratus suprà centum & quinquaginta Religiosos Ascetas Monachos in primum ac proprium Abbatem constitutus; Okarius verò Frater ejus ætate junior statu suo ac Religiosa Professione Laicus, seu(uti vocant)Conversus, Oeconomiæ curam suscepit, ac demùm iidem pluribus annis in servitio divino constantissimè transactis, ad beatam imortalitatem evolàrunt anno & die non notato; quorum sacræ exuviæ in novo Tegerenseensi Ecclesiâ congruo honore repositæ, hodiedum magna devotione servantur, vitam verò illorum sedulò conscriptam habemus apud R. P. Mathæum Raderum in Bavariâ Sanctâ Volum. 2. fol. 63. & sequentibus. Ipsum verò Canonico-Augustinianum istud S. Hippolyti Collegium quod attinet usque modò integrum consistit in ipsa Hippolytana Civitate, quæ priscis quidem sæculis Trasena seu Trasma communiter inaudiit; ex quo verò memorati S. Martyris venerandæ (atque has inter integrum ejusdem Cranium) reliquiæ jam olim per Bertholdum quendam loci hujus Presbyterum ac Regularem Canonicum, ex ipsa alma Urbe isthuc honorificentissimè fuerunt asportatæ, tunc æquè civitas, ac Religiosum, quod ei inest, Collegium S. Tutelaris Patroni S. Hippolyti nomen utrumque assumpsit, ex tunc communiter patriâ voce S. POELTEN appellandum inepta hujusmodi vocis mutilatione ab iisdem desumptâ; quæ eadem civitas antedicta probè situatur in inferiori Austriâ octo circiter milliaribus Germanicis à Viennâ Metropoli Provinciæ sejuncta, tribus verò milliaribus Danubio ad latus relicto, passibus hinc aliquot præterfluit limpidissimus è Styriæ montibus scaturiens fluvius suo nomine TRASENA, seu TRASMA vulgò nuncupatus, idem à melioribus copiosisque variis generis piscibus passim commendatus. Cæterùm Peripheria loci hujus in spatiosam planitiem extenditur, pratis, saltibus, campisque fertilissimis peramænis distinctam, & sic quidem via regia, qua ex Suevia Viennam tenditur, medium secante relictis in utroque latere Dominiis seu Castellis & oppidis sumtuose structis, & apparatis, iisque à novissima Barbarorum devastatione anno 1683. potissima ex parte feliciter illæsis. Si territorialem Jurisdictionem requiras, scito, quod Serenissimos Archi Duces Austriæ ceu Principes terræ sæpefata Hippolytana Civitas ista revereatur, fructus verò fundi capiant Illustrissimi Comites de *Trautson* Domini in *Falckenstein*, civibus tamen inde aliquot liberis & exemptis. Ab hoc ergo tempore seu ab anno circiter 750. in supradicta civitate & novo Claustro Hippolytano Religiosi Canonici Augustiani servitio divino simul, ac fovendæ proximorum saluti jugiter intenti in Ordine suo perstiterunt imperturbati, quousque demùm decurrente sæculo undecimo violenter eos exturbavit, & contumeliose fugavit nefarium illud & fortè præ reliquis omninò gravissimum schisma contra Gregorium VII. (qui sedit ab anno 1073. usque 1086.) legitimum Pontificem per universam Romanam Ecclesiam sti-

mulante Henrico IV. Romanorum Rege sacrilegè suscitatum; quo eodem etiam per plures annos protracto, Hippolytanæ Canoniæ huic sese Marte proprio ac pro tota libidine suâ violenter intruserunt, qui maluerunt adorare bestiam, seu Clementem III. Pseudo-Pontificem, bipedum nequissimi ac homines sceleratissimi, de quibus Synchronos in libello *Vitæ & Miracula SS. Adalberonis Ep. Herbipolensis*, *Altmanni Putaviensis*, *& Gebhardi Archi-Episcopi Salisburgensis* intitulato, eóque demùm anno 1619. typis Augustanis in 12. recuso fol. 18. taliter annuntiat: *In Cœnobio S Hippolyti erant* (tum temporis seu perdurante nefario schismate antedicto) *Clerici ebrietati, voracitati, libidini, & usuris implicati, quos Episcopus Altmannus Canonicâ Censurâ expulit de loco, & Religiosos Viros pro his restituit, quibus præfecit Engelbertum Præpositum, Virum omni prudentia & eloquentia præditum. Porrò Clerici expulsi, furiis comprehensi ægrè ferentes suæ expulsionis opprobrium, sumptis armis audacter ingressi sunt Monasterium, fugatis omnibus Cellariam fratrum effregerunt, & vinum in terram fuderunt; quod facinus statim Ultio divina secuta est; nam in amentiam versi avia petierunt deserti. &c.* Taliter ergò Religiosi Canonici operâ & studiô S. Altmanni Episcopi, ceu Ordinarii sui postliminiò ad S. Hippolytum reducti, de posthac sub ficu & vite suâ continuò substiterunt in Religiosa Charitate firmati; unde nobilissima Canoniæ istius boni odoris, ac virtutum fama longè latè propalata, de gremio isto nonnulli etiam (juxtà constantem traditionem à Majoribus acceptam) vel olim ad diversas diversis in locis Regulares Prælaturas fuerunt assumpti; ex quo tam præcelsæ promotionis testimonio facilè deducitur, qui qualisque in sæpefata Canonia ista nullo non tempore viguerit flos virtutis, & scientiæ, ceu alæ, quibus ad sublimiores Ecclesiæ gradus evolare solent Religiosæ mentes. Accedit insuper, quòd à prima Fundatione sua Hippolytanum Collegium istud usque in præsens Præpositos haud admiserit aut susceperit alios, nisi de proprio gremio datos; quapropter Venerabile Capitulum loci hujus non alia, quàm candidissimâ utitur sigilli cerâ, tanquam illibatæ successionis tesserâ, quod quidem à tot annorum, imò verò sæculorum numerô non tam commendationem S. Hippolyto parit, quàm invidiam sanè felicissimam.

Denique ne Viris Præsulari mitrâ (cujus privilegium & usus jam ab immemoriali tempore apud eundem S. Hippolytum constantissimè tenetur) dignis, quibus sibi vacante Sede opportunè prospiceret, nunquam caruit Canonia Hippolytana. Eadem hæc in simili casu etiam ab extraneis in id exorata; cujus insigne testimonium ultrò dabit Comprovinciale, imò & vicinum S. Andreæ Apostoli Collegium, jam suprà recensitum, cui Superiori perdurante Sæculo, quasi ruinæ proximo tribus videlicet Regularibus Prælatis eò dimissis Viris Religiosæ disciplinæ & Industriæ studiosissimis egregiè suffultum, datâ nimirùm singulis ipsorum sat magnâ æris Hippolytani copiâ, qua S. Andreas tum ab alieno se redimeret, tum collapsam vetustate fabricam restauraret.

Porrò Superiori decurrente sæculo, dum etiam Hippolytana Canonia ista non tam diuturnis quàm immanissimis Bellonæ Suecicæ furiis gravissimè fuit sauciata, post redditam terris pacem, fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes cognomento Fünfleutner, gente Bojus, Patria Schardinganus, quasi Sacerdos ille magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum &c. dignus proinde, cujus vitæ & meritorum series explicatius isthic percenseatur. Adolescens juxtà viam bonam constanter ambulans litterarum studiis in tantum operam dedit, atque eo cum profectu, ut iisdem suprema laurea coronidem imposuerit, creatus nempe Paduæ Medicinæ Doctor; inde Viennam Austriæ Metropolim devenit, ubi cæteris ejusdem facultatis Doctoribus aggregatus, scientiæ suæ praxin dedit adeò salubrem, ut crebrescente Viri famâ Cæsareæ Legationi, Constantinopolim expeditæ, fuerit admotus; Inde posteà reversus celeberrimæ Universitatis Rector Magnificus adsalutatur; Videri hic poterat Joannes patulâ ubivis januâ mundanæ felicitatis viam incessurus. Verùm afflante desuper Spiritu Sancto, qui, ubi vult, spirat, consilium sapientis more in melius commutare statuit. Itaque concepto Religiosæ vocationis Spiritu, Apostolicæ Religionis institutum præ cæteris delegit Regulare Divi Hippolyti Collegium ingressus anno physicæ ætatis quadragesimo. Quadragenarius hic Tyro ea dedit omnigenæ virtutis & præsertim solidioris prudentiæ & dexteritatis specimina, ut, quod in aliis plerumque inconsulto fit, fuerit in Joanne consultissimum, quippe qui sine consuetæ moræ intercapedine feliciter processit de gradu ad gradum, etenim unius quinquennii spatio spectare licuit Professum in Choro Canonicum, in Arâ Mystam inunctum, in curâ animarum Zelotem, in Oeconomicis Martham adeò sollicitam, in Decanatu sedentem secùs pedes Domini Mariam, ac tandem, quod unum supererat, sub Præsulari mitrâ dignissimum Antistitem, nulli secundum. Hic talis tantúsque Vir Optimi Præsulis & amantissimi Patris partes adimplevit ad unam omnes, concreditam sibi Canoniam multis florenorum millibus obæratam, à mo-

à molestissimis creditorum exactionibus redemit feliciter, Collegii sui fabricam quasi ruinæ proximam à fundamentis resuscitavit, Clerum Regularem reducta Canonica disciplina justo numero ampliùs adauxit, studiisque sublimioribus insignivit, adspectans templum omni ex parte renovatum, aris, paramentis sacris, & supellectili sacra, nec non & Organo sumptuose instruxit, erectâ in eo SS. Rosarii insigni Sodalitate, cujus ut Author, ita etiam Protector & Benefactor fuit munificentissimus. Divæ Barbaræ Virginis & Martyris cultui tenerrimè affectus, sub hujus titulo Sacellum Civitati Hippolytanæ vicinum, magnis cum expensis erexit ac locupletavit, legatis tum Viennæ, tum Ducumburgi copiosissimis oblationibus pro hujus Patronæ Virginis Sodalitate vel conservanda vel propaganda; Denique ea fuit optimi Præsulis hujus beneficentia, ne dicam, prodigalitas, ut sæpefatæ Canoniæ suæ sphæram excedens, egerit non nunquam in distans. Meritissimæ laudis hujus testimonium dabit jam suprà sæpiùs memorata S. Andreæ Canonia, quæ redivivum plùs semel statûs sui florem publico gratitudinis anathemate dignissimo Præsuli huic Joanni in acceptis retulit. Præclarum itidem hoc optimi & beneficentissimi Mæcenatis encomium gratissimâ recordatione confirmant RR. PP. Ordinis S. Francisci de strictiori observantia, quorum hac in civitate Hippolytanâ situm Monasterium Vetustate sua propemodum collapsum, sua potissimum ope & opera resuscitavit, Seraphici Ordinis hujus Benefactor optimus, & munificentissimus; qui subinde conversus ad gentes, quæ ostiatim stipem quiritabant, adeò benignus in omnes, beneficus in singulos, ac redivivus ille Joannes Eleemosynarius, & talis etiam ipse passim crederetur, communi omnium voce dictus PATER PAUPERUM, & ADJUTOR ORPHANORUM. Admotus demùm Statibus, rerum omnium summam adeò feliciter pertractavit, ut insolitam Viri dexteritatem admirati Quirites, seu Patriæ Proceres, ipsum Provinciæ Miraculum vocitare non dubitaverint; quo factum, ut accedente integerrima morum comitate summis juxtà ac infimis fuerit omninò commendatissimus, singulorum vel amore vel honore appretiatus.

Denique verba nos deficerent, si quæcunque Viri hujus merita longè præclarissima Posterorum memoriæ commendare contenderemus. Illud interim prætereundum non est, quòd his omnibus, quæ Urbi & Orbi laudanda magis quàm imitanda reliquit, neque in magnis, neque in mirabilibus super se ambulaverit, sui solius constans osor, & laudis propriæ hostis acerrimus. Id quod raro Religiosæ humilitatis exemplo contestatus erat, dato ad Posteros mandato, quo cautum voluit, ne meritorum suorum encomia funebri pro more Panegyri dicerentur è suggestu publico, certè quotquot admirabili suâ industriâ suscitavit Architectonica, eorum nulli nomen aut natalium Insigne incidi concedebat. Verùm ut ut vetuit posthumum suæ laudis testimonium Reverendissimus hic Præsul, noluit tamen Religiosa ejusdem Posteritas turpissima ingratitudinis nota commaculari, quapropter decreta sub Capitulari consessu ad Posteros traditione sancivit Anniversarium obitûs illius diem præmisso de more Defunctorum officio, quot annis repetendum esse pro tot optimi Parentis gratiis & beneficiis memoriam litatura æternam. Nunc coronidis loco consultum videtur pro complemento totius laudis Epinicion marmori inscriptum adnectere, quod sic sonat:

HVnc LapIDeM
Reverendissimo & Amplissimo Domino Domino
Patri suo Amandissimo
Joanni Fünffleuthner Bavaro Schardingano,
Præposito Vigilantissimo,
Philosophiæ & Medicinæ Doctori:
Trium Imperatorum Ferdinandi II. III. & Leopoldi I.
Consiliario Aulico:
Earúmque Cæsarearum Majestatum, Majest. Majest.
Supremo Aulæ Sacellano Hæreditario:
Inclytorum Statuum Austriæ infrà Onasum
Deputato;
Almæ & Antiquissimæ Universitatis Viennensis
Rectori Magnifico:
Totius rei Ecclesiasticæ Cann. Regg. S. Augustini ad S. Hippolytum
Restauratori:

E Septuaginta duorum annorum vitâ anno 1661. die 29. Januarii
Decedenti
Grata posVIt PosterItas.
Heus nunc Viator gradum siste,
Et ad honorum Titulos
Joanni gratiam adde,
Aut
Medico curam adhibeto,
Aut
Consiliario Supremi Principis favorem procura,
Aut
Capellano orationum tuarum offertorium largire,
Aut
Ad arduam rerum Provincialium summam Deputato
Liberationem expedito,
Aut
Universitatis Rectori altiorem locum concede
Aut
Canonicæ Domûs S. Hippolyti mansionem
In cœlis exopta,
Aut
Vitæ Regularis Reformatori celebrem memoriam repone.
Tandem his omnibus & vitâ ipsa defuncto
Resurrectionem felicissimam tuis piis precibus,
Desidera, & Sequere.

Præclarè de Rebus Hippolyt. egit Reverendiss. ac Ampliss. hujus Canoniæ Antistes DD. Christophorus Mullerus. V. Raym. Duellii C. R. Hippol. Lib. 1. Miscell. p. 260. &c.

HOEGELWERTHENSE,

Canonicorum Regularium de Ordine S. P. Aurelii Augustini Monasterium, hodiedum insigniter floret intrà fines Archi - Diœcesis Salisburgensis, medio fermè itinere Traunsteinium inter & Hallam divitem bina Bavariæ inferioris oppida situatum, & in honorem Principum Apostolorum SS. Petri & Pauli (testificante novâ Historiâ Salisburgensi anno 1692. in fol. editâ fol. 1248.) fundatum fuisse perhibetur à Luitoldo Comite de Plein, & Conthorali ejus N. Comitissa de Neuhaus; quod factum est circa annum Sæcularem seu Christi Millesimum; & sic quidem Regularibus Canonicis Ascesin S. P. Aurelii Augustini professis; in qua eadem nova fundatione Reverendissimum ac Illustrissimum Metropolitanum Capitulum Salisburgense quocunque demùm jure vel titulo gloriose sibi vendicavit, quod & postmodum Eidem ipsi in perpetuam possessionem anno 1247. ab Eugenio Papa III. authoritate Pontificiâ firmatum fuit, Principale Jus vacante Sede nominandi seu proprio Marte instituendi Præpositum, quos seu quales vel olim & quidem plerôsque Nobili stemmate fuisse prognatos testatur Hundius in Metropoli tom. 2. fol. 384. atque Eorundem usque ad nostra tempora productus loco antè citato sequens extat

Catalogus

DD. Præpositorum in Högelwerth, Canonicorum Regularium S. Augustini.

I. Rupertus ex gremio Metropolitani Capituli Salisburgensis anno 1148. novæ Ecclesiæ Högelwerthanæ in primum Antistitem datus præfuit usque ad annum 1177.

II. Helmbertus præfuit usque ad annum 1215.

III. Engelbertus I. obiit circa annum 1236.

IV. Henricus perdurante regimine suo titulum & laudem Benefactoris & Oeconomi strenuè promeritus, obiit anno 1248.

V. Engelbertus II. Nobiles ab Aschau prædium *Weiern* emptitiè comparâsse in actis commendatur, item insignem quandam Forestorum seu Sylvarum in Montibus & aliis latifundiis gratuitam donationem à Luitoldo Comite de Plein feliciter obtinuisse laudatus, obiit anno 1274.

VI. Ort.

VI. Ortwinus de anno 1285. Regimini præfuiſſe, cæterum tamen nec quicquam notus, diem ſuum obiit anno 1286.

VII. Fridericus Hager Cœnobio huic de poſthac in Præpoſitum deſignatus præfuit usque ad annum 1312. diverſa quædam bona tum legitimè condigno pretio coëmiſſe, tum alia jam prius ſubtracta, generoſa induſtria ſua ad Clauſtralem œconomiam ſuam recuperâſſe ſingulariter in actis commendatus ad clavum ſedit usque ad annum 1312.

VIII. Leopoldus in Regimine provixit usque ad annum 1327.

IX. Wernherus de Mitterkirch, etſi de geſtis ſeu actis & actitatis omnino ignotus, præfuit tamen usque ad annum 1340.

X. Stephanus diverſa quædam prædia pro augmentando Oeconomiæ ſuæ commodo vel commutâſſe, vel in ampliorem Eccleſiæ ſuæ dotem impetrâſſe commendatus in adminiſtratione Prælatúræ ſuæ conſtitit usque ad annum, quem ſibi fatalem habuit, 1349.

XI. Udlalricus Septennio præſtitit mortuis accenſus anno 1356.

XII. Albertus de Owenſtetten ultra novennium circiter in regimine conſtitit, ad plures translatus anno 1365.

XIII. Hartnidus de Weizeneck usque ad annum 1370. faſces clauſtrales tenuit.

XIV. Zacharias præfuit usque ad annum 1399.

XV. Sighardus Waller ex Collegio Berchtoldsgadenſi translatus, præfuit usque ad annum 1406.

XVI. Georgius de Sanleneck, diverſa quædam prædia coëmiſſe laudatus in proprio templo ſuo ante aram S. Catharinæ Virginis & Martyris, anno 1417. ſepulchro marmoreo honoratus.

XVII. Chriſtianus de Wildeneck ex Choro Metropolitanæ Eccleſiæ Salisburgenſis inſtitutus, vineas quasdam in Auſtria coëmiſſe laudatus, præfuit usque ad annum 1433. poſt mortem ſuam in navi Eccleſiæ Högelwerthanæ reconditus.

XVIII. Benedictus Trauner, quævis Monaſterii ſui privilegia tum Pontificiâ, tum Ordinariâ authoritate renovari ſeu comprobari procuravit, tum etiam prædia quædam ad majus œconomiæ ſuæ incrementum emptitiè comparavit, demùm tumulo illatus, & itidem in navi Eccleſiæ ſuæ Högelwerthanæ ſub marmore ſepultus fuit anno 1474.

XIX. Wilhelmus Steinhauff quinquennis ſolùm Præpoſitus evaſit, poſt fata ſua in veſtibulo propriæ Eccleſiæ ſuæ tumulatus anno 1480.

XX. Chriſtophorus I. Maxlainer cognomine dictus, diverſa quædam prædia in uſum Oeconomiæ procurâſſe commendatus, diem ſuum obiit anno 1512. & juxta altare S. Catharinæ Virginis & Martyris ad cornu Evangelii tumulum accepit.

XXI Chriſtophorus II. Trenpöck cognominatus ex gremio Berchtoldsgadenſi vocatus ad regimen Högelwerthanum intravit, dum priùs inibi multa cum laude rebus forenſibus & Oeconomiæ pluribus annis ſolerter intendit, vitâ terreſtri defecit anno 1523.

XXII. Wolfgangus Grisſtetter primùm Adminiſtrator Baumburgenſis, multa cum laude conſtantiſſimè præfuit, quo usque Præpoſitura Högelwerthana ſpontè dimiſſa Princeps & Præpoſitus Berchtoldsgadenſis evaſit anno 1545.

XXIII. Urbanus Ottenhofer poſt expletum decennale regimen ante Altare S. Crucis condigno honore repoſitus & cum proprio Epitaphio honoratus anno 1566.

XXIV. Balthaſarus ex antiquiſſima & nobiliſſima Urſinorum (vulgò *der Beern*) familia progenitus demùm jam ſenio & labore feſſus Coadjutorem accepit ex Canonia Nicolaitana propè Paſſavium datum, qui etiam poſt mortem ejusdem Balthaſari anno 1591. terris abſorpti, Præpoſituram Högelwerthanam adminiſtravit usque ad annum 1599.

XXV. Richardus Schneeweiſs Regularis Canonicus Berchtoldsgadenſis Præpoſituram Högelwerthanam pleno jure tenendam & regendam ſuſcepit, idem exacto decenni regimine anno 1609. die 24. Octobris in propria Eccleſia ſua ſub ſepulchro marmoreo reconditus.

XXVI. Marquardus Nobilis de Schwendi Metropol. & Cathedral. Eccleſiarum Salisburgenſis, Paſſavienſis, & Auguſtanæ Canonicus & reſpectivè Decanus, dum poſt

mortem Richardi Prædecessoris duo solummodò Capitulares Högelwerthani superstites viverent, & omne ædificium Claustri simul pessimè haberet, seu ruinæ proximum gravissimè periclitaretur, ipse Marquardus carentia Religiosorum Canonicorum sæculares Sacerdotes duos proprio stipendio suo substituit, qui functiones parochiales in rurali Ecclesiâ Oelpergskirchensi & alterâ Pidingensi peragerent, tandem expleto longævo 24. annorum regimine ipse in bonâ senectute miseriarum satur, appositus est ad Patres suos anno 1634.

XXVII. Leonardus Feustling è Monasterio Augustano S. Crucis evocatus, ad restaurandum Canoniæ suæ statum Novitios quidem suscepit, item & alios Religiosos quosdam è Cruce, tumultuante persecutione Suecicâ exulare coactos, in suscepta Monasterii sui restauratione Cœnobii fidissimos Coadjutores habuit, sed quadriennio sui regiminis vix expleto, vitâ terrestri decessit anno 1638.

XXVIII. Felix Faber itidem è S. Cruce Augustana postulatus, admodùm commendatur fuisse Religiosorum Filiorum ac Confratrum suorum semper amantissimus, vita & regimine decessit anno 1644.

XXIX. Casparus Hofinger Professus & officio Novitiorum Magister Baumburgensis, posteà Decanus Högelwerthanus. Hic dum Boni Pastoris officium exequitur, Zelo animarum plenus, providens laborantem pestilenti lue, ipse improvidus sui, naturali horrore concepto, biduo post festum SS. Petri & Pauli Apostolorum, in quo adhuc, sed valdè ægrè Missam solemnem cantavit, anno 1650. die 2. Julii inopinata morte extinctus est. Post cujus mortem Monasterium Capite orbatum mansit usque ad annum 1652.

XXX. Joannes Wolfgangus Zehendtner, post biennem Præpositturæ vacantiam à Reverendissimo ac Illustrissimo Metropolitano Capitulo Salisburgensi præsentatus, & confirmatus totis Viribus strenuè laboravit pro Monasterio suo ex omni parte in totum undequaque restituendo; quem in finem ab Ordinario suo, seu Eminentissimo Principe Guidobaldo S. R. E. Cardinale & Archi Ep. Salisburgensi feliciter impetravit ruralem Decanatum & Parochiam Teissendorffensem administrandam, sed vel maximè fructus utriusque illius inde percipiendos. Erectis igitur à fundamento Ecclesiâ, Dormitorio, & reliquis Claustralibus officinis, imò & rebus per omnia non tam feliciter quàm utiliter ad optatissimum finem perductis post annos undeviginti in regimine laudatissimè traductos, requievit à laboribus suis 4. Nonas Decembris in Parochiali Ecclesia Oelspergensi reconditus.

XXXI. Joannes Adamus Weber, prius in Societate Jesu professus, quam tamen iterum deseruit, ac in Canonia Neocellensi in Tyroli vitam Canonico-Augustinianam est amplexus. Vir omni exceptione major, ob congenitam morum suavitatem summis infimisque unicè pergratus, SS. Theologiæ & SS. Canonum Doctor, S. C. M. Consiliarius, juxta quoque Pauperum & Infirmorum Pater amantissimus, sedulus in vinea Domini, obiit diem suum 75. annorum senio & labore fessus, anno 1686. in antedicta Parochiali Ecclesia Oelspergensi maximo omnium comploratu reconditus. Scripsit multa, quorum Catalogum hic exhibeo.

1. Theoremata Theologica juxta mentem D. Aurelii Augustini, Doctoris Augusti de Deo Uno & Trino. Augustæ 1668.
2. Theoremata Theologica de divina Gratia & Gloria. Augustæ 1668.
3. Iter Cæleste per triplicem viam. Augustæ 1667.
4. Adamas Austriacus. Francofurti 1668.
5. Centum Fontes de arte discurrendi. Norimbergæ. 1671.
6. Discursus Curiosi & fructuosi. Juvavii 1673.
7. Speculum humanæ Naturæ. Viennæ 1672.
8. Spiritus Principalis. ibidem 1671.
9. Annulus memoriæ ex dictaminibus Ethicæ & Politicæ. in 4. Juvavii 1679.
10. Jus Utriusque Monarchiæ in 8. ibidem.
11. Nucleus Juris Episcopalis. Ibidem anno 1681. Dedicavit hunc Librum Eminentissimo ac Celsissimo Principi ac D. D. Anselmo, Francisco Friderico S. Sedis Moguntinæ Archi-Episcopo &c. cujus quondam in Lyceo Herbipolensi Magister fuit, prout ipse sibi gratulatur in Epistola Dedicatoria.
12. Ars Regia seu regendi se & alios. ibidem Anno 1686.
13. Ars conversandi. Ibidem Anno 1682.
14. Historiæ Selectæ & Memorabiles. Augustæ 1669.

XXXII. Pa-

XXXII. Patritius Pichler ex proprio gremio desumptus, & prætacto anno in Præpositum die 29. Octobris constitutus, provixit usque ad annum 1691. Ejus sub regimine & quidem anno 1689. ab Eminentissimo Principe Maximiliano Gandolpho è Comitibus Küenburgensibus S. R. E. Card. S. R. I. Principe & Archi-Episcopo Salisburgensi &c. Ecclesia Cœnobii fuit consecrata.

XXXIII. Joannes Baptista Zächerl, Salisburgensis, & Professus Högelwerthanus secundus ex proprio gremio vocatus, & ab Illustrissimo & Reverendissimo Metropolitano Capitulo Salisburgensi anno 1691. 30. Maii præsentatus, ac ab Ordinario Celsissimo Archi-Episcopo confirmatus. Sub illius regimine anno 1694. die 28. Octob. SS. Reliquiæ S. Martyris Placidi in neo-ædificatam Ecclesiam, & ab eodem erectam Capellam magno hominum concursu translatæ fuerunt. Ecclesiam pluribus Altaribus ornavit, totumque Monasterium necessaria supellectili instruxit. Molendinum è fundamentis ædificavit, ac emptionis jure Arcem Vachenburgianam, unacum triginta septem subditis & annexis Juribus comparavit. Multum alieni æris, ab Antecessoribus contracti, extinxit. Vir fuit prudens, Principi & Archi-Episcopo Salisburgensi apprimè charus, honoratus ab eo fuit Consiliarii Ecclesiastici titulo. Obiit 30. Januarii Anno 1725.

XXXIV. Joannes Baptista Puechner II. hujus Nominis, à Reverendissimo ac Illustrissimo Capitulo Metropolitano tertius ex gremio præsentatus est ad Præposituram post gestum viginti annis Decanatum, Anno 1725. Insignis Librorum Amator Bibliothecam locupletiorem reddidit. Primus inter Status Provinciales assumptus, à Summo Pontifice usum Pontificalium obtinuit, à Celsissimo Archi Episcopo Leopoldo de Firmian in festo S. Thomæ Anno 1733. solenniter benedictus. Domum braxatoriam construxit, ac utiliter præfuit usque ad annum 1743. quo humana deseruit.

XXXV. Anianus Hepfengraber Rosenhaimensis Bavarus quartus ex Gremio anno mox dicto præesse jussus, primus quoque adinstar Abbatis ab Illustrissimo Domino Domino Joanne Bapt. de la Turre, nomine Reverendissimi ac Celsissimi Archi-Episcopi Leopoldi de Firmian solenniter confirmatus, ac ab Episcopo Seccoviensi benedictus fuit. Primus inter Antecessores suos interfuit Electioni Reverendissimi ac Celsissimi Archi-Episcopi Salisburgensis Andreæ Jacobi de Dietrichstein. Cæterum brevi quidem tempore Canoniæ Högelwerthanæ præfuit, profuit tamen summopere, utpote ab omnibus ornamentis, Præsulem decentibus, summè comendandus, vigilantissimus Pater rem œconomicam egregiè administravit. E vivis decessit cum omnium luctu Anno 1749.

XXXVI. Augustinus Esslinger Neoforensis Salisburgensis 10. Maii 1749. à Reverendissimo Capitulo Metropolitano Antecessori suo substitutus est, qui unacum Reverendissimis DD. Præpositis Joachimo Præposito Baumburgensi & Patritio Præposito Augiensi in Ecclesia Cathedrali Salisburgensi solenniter fuit benedictus, Benedictionis munus conferente Celsissimo Archi-Episcopo Andrea Jacobo, interfuit etiam electioni Reverendissimi ac Celsissimi Archi-Episcopi moderni Christophori Sigismundi de Schrattenbach &c. interfuit quoque Benedictioni Reverendissimi ac Celsissimi S. R. I. Principis Berchtoldsgadensis. Usque in hanc diem felicissimè præest omni laude superior, Ordinis Canonici decus, ac ornamentum. Vivat! floreat!

HOERDENSE.

Diœcesis Spirensis, in Palatinatu Heidelbergensi, sub territoriali Præfectura Germersheimensi constitutum Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Cœnobium, hoc tamen jam priori decurrente sæculo decimo sexto cum aliis Comprovincialibus Collegiis sacris â Principe Terræ heterodoxo violenter occupatum, & ad usus peregrinos attractum, à Bruschio de Episcopis Germaniæ Tom. 1. Cap. 6. in Joanne XXXIV. Episcopo Spirensi vel paucis legitur in hæc verba notatum: *Sub hoc ipso Episcopo* (Joanne antedicto qui sedit ab anno 1090. usque ad annum 1104.) *cæpit Hördense Monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini fundatum ab Henrico Comite de Spiegelberg anno* 1104. atque ex eodem hoc Asceterio perdurante etiamnum eodem adhuc memorato sæculo duodecimo videlicet sub annum Christi 1171. Religiosam coloniam ad recens fundatum Monasterium Herbrechtingense paulo suprà recensitum fuisse deductam pluribus dictum est suprà. V. *Herbrechtingense.* Item eidem huic Hœrdensi Monasterio à Conrado hujus nominis quarto ex Comitibus ab Ebersperg S. R. I. Principe & Episcopo Spirensi anno 1235. Jus Patronatus Ecclesiæ ad S. Ægydium in Imperiali Civitate Spirensi fuisse donatum, apertissimè testificantur Donativæ ad perpetuam rei me-

moriam gratiose impertitæ, quarum copias de dato 1228. conscriptas fideliter exhibet Christophorus Lehmann in suo Chronico Spirensi lib. 5. fol. 599. sic legendas.

„In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis amen. Conradus Dei gratia Præpositus, Sifri„dus Decanus, totúmque majoris Ecclesiæ apud Spiram Capitulum universis præsens „scriptum intuentibus salutem in salutis authore. Consuetudinis honestæ & naturæ „ordo approbatus exigit, Confratres Confratrum suorum utilitatibus omnimodè inten„dere, quanquam diversitate locorum ab invicem sequestrentur, ad unam tamen Ma„trem Divino Spiritu devotissimè respectum habentes, de petitionibus eorundem ido„neis præbere consensum benevolum & operam efficacem. Inclinati igitur postulatio„nibus dilectorum nobis in Christo Præpositi atque Capituli Ecclesiæ Hördensis, Spiren„sis Diœcesis inducente etiam nos maximè ad hoc Venerabile Patre Gunthero Spirensis „Ecclesiæ Antistite, piæ recordationis, cujus liberalitatis accessit assensus, sicuti ipsius „litteris attestantibus plenius perspeximus, eis consensum nostrum unanimem & favorem „impertiri decrevimus, concedentes, ut vacante Ecclesia Beati Ægydii extra muros „Spirenses sita, cujus donatio ad ipsos spectare dignoscitur, liceat ipsis duos de ip„sorum Confratribus in eâdem instituere ipsi Ecclesiæ in divino officio deservientes, „& hospitii curam gerentes, ut Præposito vel aliquibus fratribus dictæ Ecclesiæ, Spi„ram accedentibus, pro Ecclesiæ suæ negotiis expediendis, hospitalitatis condigne Mi„nisterium ibidem commodius exhibeatur eisdem, cum honestius sit, & Deo acceptius, „Spirituales fratres Spiritualibus hominibus cohabitare, quàm mundanis, juxta Autho„ritatem Psalmistæ, ecce quàm bonum & quàm jucundum fratres habitare in unum. „Hanc siquidem dicti fratris G. quondam Spirensis Episcopi concessionem ac naturam „non solùm gratam, verùm etiam ratam habentes præsentem paginulam exinde con„scriptam, sigilli nostri munimine dignam duximus roborandam. Actum anno Domini „millesimo ducentesimo vicesimo octavo, pridie Idus Februarii.

HOERNINGENSE.

Venerabilis Congregationis Windesimensis commembrum Diœcesis Hildesianæ, in partibus inferioris Saxoniæ, seu (uti vocant) Westphaliæ, Parthenium Cœnobium, cui nuper multo cum fructu, magnaque sui nominis laude totis 19. annis dignissimè præfuit, qui post spontaneam Prælaturæ suæ resignationem anno 1688. factam curam illius in spiritualibus suscepit, Reverendissimus ac Amplissimus Dominus Joannes Heubs Monasterii Everhardo-Clusani Prior dimissus, idem demùm anno 1697. die 21. Novembris iter æternitatis ingressus. Cæterum ampliorem Hörningensis Cœnobii hujus notitiam ad manus acquirere nobis nondùm licuit, fortè alibi suo tempore producendam.

HOGENSE.

Seu apud *Hogum* vel *Hugum* Leodiensis Diœcesis Monasterium Abbatiale, fundatum à Venerabili Petro Sacerdote & Eremitâ, qui Jerosolymam devotionis & orationis causa profectus, cum oppressionem Christianorum non sine multis lacrymis vidisset, pro Simeone Jerosolymorum Patriarcha ad Romanum Pontificem & Principes Christianos in Europâ degentes legatione functus, omnes Occidentales ad recuperationem Sanctæ Civitatis incitavit, quod & reipsa Deo favente, perfecit. Hic cùm urbem feliciter recuperatam vidisset, in Belgium reversus, in suburbio Hogensi Monasterium Canonicorum fundavit, sumptibus præsertim Cononis Comitis Montis acuti, & Lamberti Comitis Clari Montis, in quo & Prior obiit circa annum 1115. quod postea Abbatiali titulo fuit donatum per Episcopum Leodiensem. Hæc Pennotus in Historia Tripart. lib. 2. cap. 38. n. 6. ex Molano in Natalibus die 15. Julii. Vide etiam Myræum de Cann. Regg. cap. 53. fol. 158.

HOHENBURGENSE

Monasterium S. Othiliæ fundatum circa annum 690. sub Childerico Francorum Rege ab Adelrico S. Othiliæ Patre, Regio tunc in Alsatia Prætore. Hic arcem suam in Monasterium commutavit, & pluribus, haud exiguis dotavit bonis. Primam loci Abbatissam ipsammet Sanctam Othiliam fuisse, inter alios scribit Bernardus Hörzog in Chron. Alsat. L. 3. cap. 9. fol. 21. & vitam vixisse Canonicam dissertè sat probat sæpius laudatus Gallicanæ Can. Reg. Congregationis Author Anonymus in sua Disputatione de Ordine Can. Reg. fol. 125. sic inquiens: *B. Opportuna Monasterioli in Neustria Abbatissæ aliquot annis antecessit B. Odilia Abbatissa Hoenburgensis in Alsatia.* Scripsit de hujus Odiliæ vita Author Anonymus eo tempore, *cum arbores, ipsa Odiliæ manu consitæ umbra*

sua

sua videbantur in ardore æstatis præstare ancillis Christi magnum refrigerium, se per plurimum extendentes spatium; tunc & Canonica vita, & Regularis è regione quadam inter se opponi consuêrant; inde ego quidem conficio, ipsam eandem ante undecimum sæculum vixisse. Is porro, quisquis est Scriptor, sanè gravis, B. Odiliæ, & duorum Cœnobiorum, ab ea initio octavi Sæculi conditorum Sanctimonialibus testimonium dat vitæ Canonicæ ad hunc modum: *Erat autem ei, Odiliæ consuetudo peregrinas ad sanctam conversationem suscipere fœminas Scotiæ, & Britanniæ, & viros religiosissimos, ex diversis provinciis venientes cum gaudio, ex quibus sibi Presbyteros ordinari rogavit, & consummavit utraque Monasteria, & collocavit ibi Sanctimoniales; & postea convocavit omnes sorores, & rogavit eas, ut sibi indicarent, num Canonicam aut Regularem vitam ducere vellent? tunc omnes unanimiter respondere, se Regularem vitam velle ducere: illa autem cum humili mansuetudine respondit: scio, meæ charissimæ sorores, & Matres, vos promptissimas esse ad omnia aspera, & dura pro Christi nomine toleranda; sed timeo, nos, si Regularem vitam elegerimus, maledictionem à successoribus nostris incurrere, quia is, ut scitis, locus valde incompetens est, & laboriosus Regulari vitæ, adeò, ut nec aqua, nisi magno labore adipisci potest; unde mibi videtur, si vestræ placuerit Almitati, melius esse, ut Canonico habitu consistatis. Tunc omnes secundùm Illius verba elegêre Canonicam Regulam,* in qua usque hodie in dictis Monasteriis degentes, præcedentium normam sequentes perseverant. *Hujusmodi testimonium Lector ingenio suo judicet, an æquare possit autboritas unius Monachi Richerii, qui sæculo decimo tertio præterito judicans secundum præsentia, non dubitavit, Ordini suo Odiliam, & socias Ejus sumere. Ita hic Author Anonymus Gallus.* Solidè quidem pro domo sua discurrit Alanus LARGIUS, sive LE LARGE, quem hîc ac in Decursu Operis Anonymum Gallum vocare solet *Germaniæ Canonico-Augustinianæ* Author, ejusdémque Continuatores, cùm Disquisitionibus suis proprium non addiderit nomen; adeò tamen Benedictini Ordinis Scriptoribus Regularem Canonicatum Hohenburgensium Monialium persuadere non potuit, ut à profligata dudum opinione sua desisterent. At verò ab hac, ùt opinor, facilè deflectent, si solidissimam Apologiam legerint, quam *Annalibus Præmonstratensibus* à se editis inseruit Reverendissimus ac Eruditissimus DD. Carolus Ludovicus Hugo Stigaviensis Abbas, Part. I. Tom. II. pag. 411. ubi Celeberrimi Mabillonii, alteriusque Benedictini Humberti Bellhome Argumentis respondet, eáque ponderosissimis rationibus omnino diluit. Nec importunum, nec injucundum Lectoribus hujus Operis fore existimo, totam Doctissimi Stigaviensis Abbatis Apologiam huc de verbo ad verbum transferre, illa enim non tantum serviet pro fortiter asserendo Hohenburgensium Monialium sub Regula S. Augustini quondam militantium Canonicatu, quàm etiam pro aliis Canonici instituti antiquissimis Cœnobiis sacro Ordini nostro vindicandis. Apologiam suam itaque sic orditur & prosequitur:

Quemadmodum olim Panormitanos inter, & Catanenses extitit circa natalem S. Agathæ locum, ita & nunc circa professam à S. Odilia Regulam existit altercatio. Benedictinam fuisse supponit vir, in Republica Litteraria merito celebratus, Mabillonius, tum in Actis SS. Ordinis S. Bened. tum in ejusdem Ordinis Annalibus, invictis, ùt opinatur, fretus argumentis, in præfatione Sæculi II. Benedictini fusè productis. Cùm verò in quibusdam, quæ occurrerant, Diplomatibus & MS. & variis monumentis, ex incendio superstitibus, non ambigua Canonicæ Hohenburgensium vitæ vestigia deprehendisset, respondit, in variis laudatorum operum locis Sanctimonialibus Hohenburgensibus X. Sæculo successisse Canonissas, aut potius illas in Canonissas degenerâsse, retenta tamen Regula Benedictina (a) cujus collapsam disciplinam prætendit à Rilinde, Bergensis Cœnobii, Diœcesis Eistatensis, professa, sub medium XII. Sæculi restitutam: at duplicem hanc metamorphosin multo fulcit argumento vir eruditus. Eandem terunt viam, quotquot ante, & post Mabillonium, Hohenburgensium meminêre Benedictini Scriptores.

Inter eos speciatim nominandus mihi venit vir, eruditione, & aliis dotibus clarissimis maximè commendandus, Reverendissimus *Belhome*, Mediani Monasterii in Vosagiæ partibus Abbas, & Benedictinæ Congregationis SS. Vitoni, & Hidulphi multoties electus Præses, viam universæ carnis nuper ingressus, à quo cùm fuissem sciscitatus, quibus niteretur fulcris Benedictinorum circa professam ab Hohenburgensibus Regulam, opinio, hæc mihi, pro ea, quam tum suis, tum extraneis largè profundebat, humanitate communicavit.

Videlicet asserit, licèt tamen suam modesto DUBII titulo assertionem inscribat, Canonissarum Ordinem desinente tantum VIII. Sæculo inchoatum, & ineunte IX. stabilitum, adeóque seligi non potuisse à S. Odilia illud vitæ genus, utpote necdum adinventum. Antecedens probat

 1. Ex

(a) Tom. 2. Annal. Benedict. pag. 58.

1. Ex omnibus Historiæ Ecclesiasticæ monumentis, in quibus de Canonissarum statu altissimum ante VIII. Sæculi finem haberi contendit silentium.

2. Probat ex Concilio, quod habuit in Germania S. Bonifacius ex mandato Zachariæ Papæ: ubi sic legis: *Decrevimus . . . . ut Monachi, & Ancillæ Dei Monasteriales juxta Regulam S. Benedicti, Cœnobia, vel Xenodochia sua ordinare, gubernare, vivere studeant, & vitam propriam degere secundùm hujus P. ordinationem non negligant.* Nondum ergo, inquit, erant in Ecclesiæ sinu Canonissæ.

3. Ex Moguntini, & Cabilonensis Conciliorum, anno 813. habitorum, verbis, quæ Canonissarum nativitatem, ut ait, aperte insinuant; cum in iis varii Canones ad illarum vitæ genus reformandum, & paulo post in Aquisgranensi, anno 816. multò plures editi fuerint ad illud perficiendum.

4. Ex Concilio, Romæ sub Nicolai II. Pontificatu anno 1059. (a) cujus hæc sunt verba: *Et certe hujusmodi Sanctimonialium,* (loquitur de Canonissis) *institutionem usque nunc tota Asia, Africa, & Europa, excepto minimo angulo Germaniæ, nec scivit, nec recepit; quam quotquot receperunt, à tempore præfati Ludovici recepisse comprobantur. Unde constat ante illum Sanctimoniales ubivis terrarum habuisse, quam sequerentur, Regulam, à SS. PP. conscriptam, velut in latina lingua à B. P. Benedicto, aliquibus dictionibus à virili sexu ad fœmininum translatis: quam utique in sui regni Provinciis inventam nec Ludovicus mutare qualibet ratione debuit, aut potuit sine consensu, & Authoritate S. R. & Apostolicæ Sedis: quia, quamvis Imperator, & devotus, tamen erat Laicus. Sed nec Monachorum quisquam; quia non est illorum, novam in Ecclesia proprio suo magisterio, vel arbitrio regulam introducere, insuperque illi contrariam, quam B. Gregorius testatur discretione præcipuam, & sermone luculentam.* Ex quibus colligit, Canonissarum institutionem Ludovici Pii temporibus haud esse anteriorem, nec unquam ab Ecclesia Romana probatam. En momenta, quibus cum Mabillonio Canonissarum antiquitatem valido velut ariete ratur oppugnandam eruditus Abbas.

Aliud etiam subjungit DUBIUM, num Hohenburgenses, quas ex modo allatis supponit, ab incunabulis Monasterii fuisse Benedictinas, decimo Sæculo Canonicalem statum amplexas, & duodecimo mediante primævo tandem instituto redintegratas, ab introductæ Reformationis Periodo ad Canonicæ Professionis normam, & mitigationes iterum deflexerint? Responsi negativi hæc profert fundamenta.

Medio Sæculo XII. evocata est à Friderico Imperatore ex Bergensi Monasterio Ordinis S. Benedicti pia Kilindis ad suscipiendam Hohenburgensis Parthenonis præfecturam, & restaurandam regularem vitam. Ad quid autem, inquit, Benedictina Reformatrix fuisset Hohenburgum transmissa, nisi, quia hæ militiæ S. Benedicti censebantur adscriptæ?

Medio Sæculo XIII. Richerius Senonensis Monasterii Ord. S. Benedicti Religiosus L. 1. Chron. cap. 14. asserit, Hohenburgenses sub vexillo S. Benedicti militare. Cùm vero sedecim tantum milliaribus à Senonensi Monasterio distet Hohenburgum, fieri nequit, ait Abbas eruditus, ut ignotus fuerit Richerio saltem actualis Hohenburgensium status.

Ineunte Sæculo XIV. Anonymus Author Chronici Colmariensis ad Annum 1279. hæc habet: *In Nidermunster Claustro nigrarum Monialium furtim sublata fuit corona Crucifixi cum Reliquiis multis.* Monachorum nigrorum nomine designabantur olim Benedictini; ergo, inquit, & Monialium nigrarum nomine Benedictinæ. Eadem autem Regula fatentibus omnibus obtinebat apud Hohenburgenses, & Niderburgenses.

Testatur pariter Bruschius in *Chronol. Monast. Germ.* in *Truttenhausio* tum superius, tum inferius Hohenburgum fuisse S. Benedicti legibus obnoxium. Ait, *in umbilico Montis est inferioris Monasterii, vulgo Nidermünster præclarum Nobilium Puellarum, Deo dicatarum, & ei juxta institutum D. Benedicti servientium Cœnobium.* Et de Hohenburgo ait, *Kilindem,* Cœnobii Bergensis Monialem à Friderico Imperatore fuisse translatam *ad instaurandam iterum ibi Monasticæ Congregationis prorsus collapsam disciplinam.* Idem recitat Bucelinus Germ. sac. Parte II. referens factam ab Athico Duce Parthenonis Hohenburgici fundationem, *cui,* inquit, *ejusdem Athici filia S. Odilia in omni sanctitate præfuit, & multas illustrissimas genere Virgines sub Regula S. P. Benedicti congregavit.*

Ex quibus omnibus Abbas eruditus Benedictinam regulam postliminio à Kilinde instauratam apud Hochenburgenses ad interitum usque Monasterii perseverâsse concludit.

Prius-

(a) Tomo 4. Annal. Bened. in append. num. 77.

Priusquam argumentis ab ipso prolatis respondeam, lubet hic alia opponere momenta, quæ in Hohenburgensis Collegii cunis ad occasum usque Canonicam Regulam viguisse demonstrant. Conferat ea Lector, & suum de utrisque interponat judicium.

1. Quidem asserit Codex manuscriptus Vitæ S. Odiliæ metro exaratus cap. 9. & alius pag. 15. & Codex MS. Carthusiæ Molsheimensis scribens de Sanctimonialibus inferioris Hohenburgi, quas constat eidem Regulæ fuisse mancipatas, quam profitebantur superioris Hohenburgi Sorores; quippe, cum ab ejusdem Institutricis regimine gemina penderet familia, & à superiore Parthenio ad inferiorem transmigrâsset Niderburgensis Colonia, hæc habet pag. 180. *Erat tunc*, (loquitur de Caroli M. ævo;) *in inferiore Monasterio S. Congregatio Ancillarum Christi, canonicè secundùm antiquam SS. V. Ottiliæ, Matronæ suæ institutionem, imò religiosissimam ordinationem, sub imperio Abbatissæ religiosissimæ militantium.* Idem affirmat MS. vitæ S. Odiliæ apud Mabillon. in Actis SS. Ord. S. Bened. Sæculi III. parte 2. pag. 493. his verbis: *Post hæc venerabilis Abbatissa* Odilia *convocavit omnes sorores, & rogavit eas, ut sibi indicarent, utrum Canonicam, an regularem vitam ducere vellent? Tunc omnes unanimiter responderunt, se regularem vitam ducere velle, & conversationem habere. Illa autem cum humili mansuetudine respondit: Scio, meæ charissimæ sorores & Matres, vos promptissimas esse ad omnia dura, & aspera pro Christi nomine toleranda, sed timeo, nos, si regularem vitam elegerimus, maledictionem à Successoribus nostris incurrere, quia locus iste, ut scitis, valde incompetens est, & laboriosus regulari vitæ, adeò, ut nec aqua nisi magno labore adipisci possit. Unde mihi videtur, si vestræ placuerit Almitati, melius esse, ut in Canonico habitu consistatis. Tunc omnes, secundùm illius verba elegêre Canonicam Regulam, in qua usque hodie in dictis Monasteriis degentes, præcedentium normam sequentes perseverant.*

2. Canonicæ Professioni addictam fuisse Odiliam demonstrat antiquissima figura, lapide sculpta in moderno Hohenburgensis Monasterii claustro prostans, & exhibens Athicum Ducem, traditione libri conferentem filiæ suæ montem Hohenburgensem cum appenditiis.

Fassus est Mabillonius, vir in antiquariis peritissimus, hanc statuam, cum præsens eam inspiceret, & characterem circum exaratum esse decimi ad minus Sæculi. Forma, vestitus, & capillitium illius non sunt sanè Monialis Benedictinæ. Canonissam pariter exhibent imagines ejusdem Virginis depictæ Obehernemii in Aula majore Judiciorum, & Argentinæ in vetussimis Collegii S. Stephani peristromatibus, tum & alibi conspicuæ.

3. Idem suadet communis Alsatiæ, & finitimarum regionum traditio; cui adstipulantur antiqua Basileensis, Augustanæ, & Argentinensis Diœceseon Breviaria.

4. Idem evincitur ex Bullis SS. Pontificum, & Diplomatibus Imperatorum, in quibus Hohenburgense Monasterium dicitur *Ordinis S. Augustini.* Sic Bulla Lucii III. confirmantis Truttenhausiani Monasterii fundationem, (a) & Innocentii IV. confirmantis Jura, & Privilegia Hohenburgis ab Imperatoribus indulta, (b) & Bulla Commissionis Apostolicæ datæ Præposito in *Ittenweiler*, (c) à Martino V. Pontificatus anno 3. Ita & Carolus IV. Imperator in Diplomate, Hohenburgensibus concesso, in testimonium aperti coram se S. Odiliæ sepulchri. (d) Idem habet Fridericus Imper. Diplomate Brisaci dato (e) anno 1442.

5. Idem adstruit charta donationis quorumdam bonorum, factæ Monasterio Niderburgensi à Joanne de *Hagenowe* coram Judice curiæ Argentinensis anno 1340. (f) Idem docent Gebwilerius in *Vita S. Odiliæ* cap. 7. Ruyr. Antiquit. Vosag. Parte 2. L. 4. cap. 13. 1. Editionis, Schilterus in *Annot. ad Regiovillani Chron.* p. 54. P. Lyra in sua de *Cruce Niderburgensi* Historia, p. 11. his verbis: *vixisse autem D. Odiliam cum prole sua sub legibus, & institutis S. Augustini,* multa adhuc, *quæ supersunt in Archivo Illustrissimi Capituli Argentinensis testantur documenta . . . . Ex quibus facilè scrupulus quorumdam tollitur, existimantium, hunc pium cœtum vivendi normam, & Regulam S. Benedicti fuisse primitus secutum.*

(a) Probat. num. 14.
(b) Prob. num. 10.
(c) Ex Archiv. summi Capituli Argent. Erat Ittenweiler, seu Stienvilla C. R. Præpositura, sex à Schlestadio milliaribus distans, anno 1137. à Conrado Argent. Ecclesiæ Canonico fundata. Grassante per Alsatiam Lutheranismo dispersi sunt Canonici, & proventus Argentin. Episcoporum ditioni cessêre.
(d) Probat. num. 12.
(e) Ex Archiv. Episcop. Argent.
(f) Ex Archiv. summi Capituli Argen. Utriusque chartæ copiam mihi fecit humanissimus D. *Grass*, hujus Nobilis Capituli Consiliarius, & Syndicus.

Excusserat ille præfati Capituli chartas, ut ibidem asserit, adeóque testem de visu se potuit exhibere. Accedunt & Authores Alsaticorum Ordinis S. Benedicti Monasteriorum utriusque sexus, texentes catalogum, cui nullus Hohenburgense inserit domicilium, excepto Bruschio, dubiæ fidei viro.

6. Canonicitatis suæ testimonium ferunt utriusque Odiliani Parthenonis Abbatissæ in chartis, & Instrumentis à se confectis: sic enim habent: *Nos Katarina, Dei providentia Abbatissa Monasterii in* Hohenburg . . . . *Est etiam in hac ordinatione adjectum, quod dicti fratres Stigavienses . . . . interdum celebrabunt, & cantabunt Missam majorem; videlicet . . . . quando inhumatur* Canonica *nostri Conventus . . . . Datum anno* 1312. *mense Februario.* (a) *Mathildis Dei patientia Abbatissa in* Hohenburg *Ordinis S. Augustini Argentinensis Diœcesis.... Actum* 16. *Kal. Januarii anno* 1411. (b)

7. Virginum Odilianarum Canonicitati suffragatur antiquum Stivagiensis Abbatiæ Necrologium pergameneum, in quo per anni curriculum variæ leguntur. Sic Non. Januarii Commemoratio Aleidis Canonicæ in Hombourc.

8. Idus Januarii Commemoratio Luchardis Canonicæ in Hombourc.

Sequuntur aliæ sexaginta & amplius Commemorationes Abbatissarum, & Canonissarum Hohenburgensium, quas in præfato mortuorum Catalogo inseruerunt Stigavienses Canonici, &c. ab initio inter utrumque Collegium reciproco sacrificiorum, & suffragiorum pro decedentibus commercio.

8. Probabilissimum est, ad Argentoratense S. Stephani Monasterium delatam fuisse à S. Attala eandem Regulam, quam fuerat Hohenburgi sub SS. Amitæ discipulatu professa. Viguit autem primitus in eo Stephanensi Parthenone Canonicus Ordo, ut asserit Codex MS. *de corpore Domini* pag. 20. his verbis: *Divina inspirante gratia Dux Adalbertus pater ejus, S. Attalæ, vir Christianissimus, ut imitator bonus fieret patris sui . . . . rationabili deliberatione in urbe Argentina secus flumen Bruschæ Cœnobium construxit, quod ad usum XXX. Canonicarum, & IV. Canonicorum, Deo ibi famulantium multis prædiis copiose ditavit . . . Ad quod Cœnobium S. Attala deducitur . . . Vocatis in unum dilectissimis in Christo Sororibus, Regulam eis* Canonicam *in fæmineo sexu, facilius, quàm S. Benedicti, observabilem earum consensu instituit.* Idem sentit Regiovillanus in Chronico pag. 67. *Adalbertus Dux, pater S. Attalæ, volens construere Cœnobium in aliquo loco sui juris, elegit Castrum Argentoratum, in quo loco vastæ solitudinis in antiquis muralium ruinis secus fluenta Bruschæ Cœnobium struxit ad usum XXX. Canonicarum, & IV. Canonicorum.* Id etiam habet Innocentii IV. Bulla, Stephanensibus data: *Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis in Christo filiabus, Abbatissæ, & Conventui S. Stephani Ordinis S. Augustini Argentinensis Diœcesis . . . . Datum Lugduni* 3. *Nonas Jul. Indict.* 6. *Pontificatus nostri anno* 6. (c)

Suffragantur Guillimannus I. de Episc. Argentin. pag. 63. *S. Stephani authorem supra dedimus, Nobilium Canonicarum.* Huberus in Dissertatione hist. *de Collegio Stephanensi* p. 122. *Albrechtus . . . . alterum, quod extruxit, fuit Nobilium Virginum Monasterium, Ordinis S. Augustini in honorem S. Stephani.* Et Schilterus in *Observat. ad Regiovillani Chronicon p.* 514.

Concinunt illis authoribus Diplomata Lotharii Imperatoris, & Ludovici Germaniæ Regis, quibus Stephanensis Monasterii fundationem confirmant. (d) 1. hoc est: *In nomine D. N. J. C. Lotharius divina ordinante providentia Imperator semper Augustus . . . Dilecta cognata nostra, venerabilis Sanctimonialis, & Abbatissa S. Proto - Martyris Stephani Ruadrut . . . Majestatem nostram adiit . . . Et sicut rogavit, facta antecessorum meorum scriptis, & præceptis confirmavi . . . ut ibi permaneat certus numerus IV. Canonicorum sacerdotum . . . & XXX. Sorores ad ministeria claustri peragenda.* Alterum hoc est: *Ludewicus favente gratia Dei rex . . . Nobilis, & venerabilis Abbatissa Basilla S. Stephani . . . præsentavit nobis . . . authoritatem D. & genitoris nostri Hlodevici, bonæ memoriæ piissimi Augusti, in qua continebatur assertum, quod non solum idem genitor noster, sed & prædecessores ejus Reges Franchorum apud locum jam dictum B. Stephano, & Congregationi Canonicorum IV. sacerdotum, & sanctimonialium XXX. cum necessariis ministris dedicatum sub suo munimine . . . munita fuisset Abbatia.*

Numerus idem Canonicorum, & Canonicarum in Diplomatibus, & citatis authoribus. Equidem in Diplomatibus Sororum, seu Sanctimonialium, non Canonissarum fit mentio, quia, licet Regula, nondum tamen nomenclatura discernebantur ab omnibus Sancti-

(a) Probat. num. 6.
(b) Ex Historia de Cruce Niderburg. pag. 12.
(c) Apud Huber Dissert. Hist. de Monast. S. Stephani p. 137.
(d) Utrumque Diploma dat Schilterus in Observat. ad Regiovillani Chronicon. Primum p. 527. alterum pag. 478.

Sanctimoniales eo Sæculo, seu sub Canonicæ, seu Monasticæ Disciplinæ norma degentes; ut apertum ex Concilio Cabilonensi anni 813. in cujus Canone 53. sic legis: *libuit namque, sacro huic Conventui quasdam admonitiunculas breviter eis Sanctimonialibus scribere, quæ se Canonicas vocant.* Ergo vocabant se *Canonicas;* at eo nomine nondum universim, ut postea, insigniebantur.

Et sanè quis credat, Stephanenses conscientiæ suæ curam *Fratribus Canonicis* fuisse concredituras, nisi propter morum, & Regulæ convenientiam? Virginibus Monasticum Institutum sectantibus pronum fuisset, Monachos potius, quàm Canonicos deligere, spiritualis, & temporalis status Monasterii sui Moderatores, ut in Romarico-Montensium institutione postea contigit.

9. Aliud erui posset argumentum ex silentio omnium Bullarum Apostolicarum, Diplomatum, Instrumentorum, & Litterarum, quæ vel Odilianis concessæ fuêre, vel ab eis emanârunt, in quibus earum Benedictinatus ne apicem quidem reperis. Non parvi ponderis est hoc silentium: nam, cum antiquiores Spinlaensium, Andelacensium, & Romarico-Montensium Chartæ ad Moniales Ordinis S. Benedicti, ibi Deo famulantes dirigantur, signum est non æquivocum, eas tunc celeberrimo huic Ordini fuisse adscriptas. Ergo, cùm tale nil penitus occurrat in Odilianis, quis, nisi immoderatioris votorum mensuræ non tantùm silentibus, sed & reclamantibus veteris ævi documentis, Hohenburgenses â primævo S. Benedicti Spiritu ad Sæculares mores, & habitum X Sæculo transvolâsse, temeratis, & calcatis votorum compedibus, & in eodem â Kilinde resuscitato ad novissimi Collegii suspirium perseverâsse comminiscatur?

Propositis respondetur Argumentis.

Ut verò ad Argumenta in oppositum ab erudito Abbate producta nunc respondeam, stupui, fateor, ad primum, ex prætenso monumentorum Ecclesiasticorum silentio depromptum; vulgatius enim nil est apud Benedictinos Scriptores repetita toties cantilena, Regulam S. Augustini, Epist. 211. novæ Editionis contentam, solis Virginibus fuisse conscriptam. An non eæ, quæso, erant Canonissæ, & quidem Ordinis S. Augustini? Esto, Canonissarum titulo non donentur, modò rem habeam, *voca, quidquid vis, non enim mihi de nominibus laborandum, cùm res aperta sit*, ajebat olim Evodius Augustino. (a) Præterea, si nomen ipsum rei congruum desideres, faciet satis S. Basilius Tractatu de Pœnitentia, post parvas regulas Tomo 2. pag. 530. novæ Editionis. Et Novella 59. cap. 2. 3. 4. ubi Justinianus determinans distributiones inferioribus Ecclesiæ Ministris faciendas, ait: *Quod hactenus datum est laborantibus circa funerum exequias, & deinceps detur, hoc est, per singulum mensem quadringentos solidos, dividendos Decanis, & Acolythis, & Asceteriis, & Canonissis.* Præerat his superior, spiritualis, & temporalis earum status solicitudinem gerens, ùt patet ex sequentibus: *Quod autem contingit Acolythos, & Canonicas, oportet eis dari, qui nunc eis præsunt.* Erant igitur jam in Orientis partibus Canonissæ, & quidem ab Asceteriis distinctæ; nec implicat, quò minus, ut Possidio teste in vita S. Aug. cap. 11. coaluêre protinus in Europa Clericorum Regularium Cætus ad imitationem Monasterii, ab Augustino Episcopo erecti, quos ætas subsecuta Canonicos appellavit, ita & convenerint simul Europææ Virgines, Augustini Regulam Africanarum instar sectantes.

Imò, quod fieri potuit, factum asserit Author *de Origine, & progressu Ordinum* pag. 15. scribens, institutam fuisse Laterani â Gelasio Papa, Augustini discipulo, Virginum Congregationem sub Regula ejusdem Augustini. Legimus & de aliis Canonissis sub S. Augustini Regula â S. Brigitta fundatis, anno 515. Begguinas Flandrenses â S. Begga, secundum eundem Canonem, Andanæ ad Mosam anno 692. stabilitas, constans est traditio, calculum addente Molano in *Indice SS. Belgii.* Item in vita S. Erhardi (b) mentio fit Monasterii Canonissarum, Ratisponæ erecti, ubi humatus est Præsul S. quod & dein in *Monacharum Conventum* agente S. Volfgango transmutatum est. Fundatum etiam fuisse Augustoduni, & â Brunechilde Regina dotatum Canonissarum Parthenonem asserit Jonas, ejusdem urbis Episcopus, & Successor illius, qui Canonissis Moniales suffecerat; ait enim: *Notum est, qualiter in urbe sedis nostræ ab antiquo constructum sit Monasterium Sanctimonialium, ubi Domino sacratæ sub Canonico habitu vitam duxeré temporalem pro perceptione sempiternæ. Sed, quia abundante iniquitate multorum, quod refrigescente charitate idem Ordo ibi vacillare videbatur, Prædecessor meus S. recordationis Motboinus Episcopus eundem, divina tactus inspiratione in Regularem, & Monasticum transferre ibi studuit ... Datum* 13. *Kal. Junii anno* 18. *regnante*

(a) L. de quantit. animæ Cap. 6. Opera S. Aug. novæ Edit. Col. 301.
(b) Apud Bolland. tomo 1. Januarii pag. 538. &c.

gnante Carolo glorioso Rege. (a) Denique videmus, nullum virorum Ordinem in Ecclesia exortum, quin protinus devotas post se traxerit mulieres, pietatis æmulas; quidni ergo primævus Canonicorum fervor ad se, suique exemplum allexerit Canonissas?

Equidem haud ita expatiatum est subito Canonissarum, ut Monacharum nascens institutum, & ideo rarior illarum, quàm istarum in Ecclesiasticis monumentis habetur mentio, maximè, cùm utrique statui, ut supra dixi, nominibus designativis nondum tunc discreto conveniant plurimæ, quæ illorum temporum supersunt, Canonum ordinationes: at, ùt primum latius extendit propagines suas Canonica Virginum professio, clarior etiam illius, ut à Monastico statu distincti facta est expressio. Hinc Vener. Beda discrimen id aperit in suo Tractatu de remediis peccatorum (b) tit. de Clericorum pœnitentia: *Clericus sine voto Monachi fornicatus .... cum Canonica, duos annos pœniteat.* Titulo autem de fornicatione jam dixerat: *Si Monacham Laicus, duos annos pœniteat.* Distinguit ergo Monachas â Canonissis. Eandem distinctionem astruit antiquus *Ordo Romanus* cap. cui titulus: *in capite Jejunii*, ubi ritum Confessionis audiendæ, & pœnitentiæ injungendæ sic tradit: *Sacerdos .... inter virginem, & fœminam, Canonicam, & Sanctimonialem .... discernat.* (c) Item in Concilio Francofordiensi can. 47. decernitur, ut de Abbatissis, quæ canonicè, aut regulariter non vivunt, Episcopi inquirant, & Regi annuntient, ut honore priventur. (d) Anno etiam imperii sui 2. Carolus M. (e) *Missis* dedit in mandatis, ut inquirerent *de Monasteriis puellarum, num secundùm regulam, an canonicè vivant?* (f) Et in Addit. 11. Capitularium ejusdem Imperatoris cap. 19. *Quia etiam comperimus, quosdam Canonicos, & Monachos, posthabito Religionis suæ pudore Monasteria Sanctimonialium Monacharum, & Canonicarum inconsulto Episcopo suo imprudenter, & irreverenter adire &c.* (g)

Notatu dignum est mandatum illud Imperatoris, & Francofordensis Concilii decretum, Canonissarum antiquitatem apertè redolentia: nec enim tam citò nascentis Ordinis elanguet observantia regularis, ut calcaribus indigeant primi ejus professores, nec, nisi processu temporis sat diuturno, fervoris in locum ingerit se tepiditas. Cùm igitur Caroli M. ætate dubium esset, num Canonissarum Monasteria canonicè viverent, & de inobservata clausura querelæ moverentur, indicium est, huic instituto varias jam tunc temporum successiones accrevisse.

Conclusio ex Germani Concilii verbis è meritissimo Abbate illata evidenter innuit, eruditos viros â præjudiciorum altè præconceptorum fascinatione non semper alienos existere.

1. Enim vocibus illis *Ancillæ Dei Monasteriales* nemo non videt intelligendas esse Monasticorum Ordinum SS. Hieronymi, Basilii, Columbani professas &c. quibus injungitur, ut ad S. Benedicti Regulæ libellum Cænobia, vel Xenodochia sua componant, *vitámque propriam degere secundùm prædicti Patris ordinationem non negligant.* Suadet aperte sensum hunc ipsiusmet Concilii scopus; voluit nempe uniformitatem in omnibus Ordinis Monastici claustris, quæ Mabillonio fatente (h) singula propriis tunc administrabantur legibus, & statutis, inducere, illorúmque habitatrices uni Regulæ S. Benedicti, quæ vix hucusque Cisalpinis innotuerat, (i) subiicere. Propagandi ergo Benedictini Ordinis causa, in Monasteriis, alteri Monasticæ Regulæ mancipatis, laudatus Canon editus est, in Concilio Germano, curis potissimum S. Bonifacii Præsidis, Benedictini Ascetæ, & Carolomanni, Francorum Principis, qui sacrum hunc Ordinem singulari deperibat affectu, cuique haud multo post relicta Sæculi pompa fuit cooptatus. Verùm, sicut Canonicos, quorum officium, & nomen jam dudum erat in rerum natura, nullatenus attingit præfatus Canon, sed solos Monachos, ita & solas Monachas, nulla autem modo Canonissas.

2. Si

(a) Tomo 4. Gall. Christ. vet. Edit. pag. 42.
(b) Tomo 8. pag. 965.
(c) Tomo 13. Biblioth. PP. pag. 669.
(d) Celebratum est hoc Concilium anno 794.
(e) *Missi* proprie dicebantur, qui e palatio in civitates, & provincias extra ordinem mittebantur â Principe cum amplissima potestate, ut de omnibus causis, quæ ad correctionem pertinere viderentur, quanto possent, studio per semetipsos Regia authoritate cognoscerent. Ex Capitul. 111. Lud. Pii Cap. 3. 4. 5.
(f) Tomo 1. Capitular. Col. 375.
(g) Ibid. Col. 1139.
(h) Præfat. Tomi 1. Annal. Benedict. num. 18.
(i) Marthamus Præfat. Tomi 1. Monastic. Anglic. ait, se non sat scire, an Fuldensi vetustius extra Italiam sub S. Benedicti Regula conditum sit Monasterium. Vide etiam Cointii Annales, & Albericum ad annum 930.

2. Si in latitudine illius phrasis *Ancillæ Dei Monasteriales* ipsæ quoque, ut Benedictinis arridet, includerentur Canonissæ, supponendum esset, Germanorum Episcoporum in eo Canone condendo intentionem fuisse, vel proscribendi Canonissarum statum jam natum, vel prohibendi nascendum, neutrum dici potest.

Non primum: aliàs eruditi Abbatis objectio non esset ad rem, nempe ad procrastinanda usque ad VIII. Sæculi finem Canonissarum natalitia probationem adhiberet, ex qua sequeretur, eodem ineunte jam extitisse Canonissas. Secundum verò quis somniarit? Conciliorum enim mos nunquam fuit, edere Canones ad regulandum aliquid, cui nec aderat, nec ad futura existentia probabiliter saltem præsciebatur: conscios alioquin futuri fuisse oportuisset laudatos Antistites, ut prævidèrent orituram sequioribus ævis Canonissarum sectam, cujus nativitati deberent speciali Canone in antecessum obviare. Quo quid næniis proximius? Præterea imaginariam hanc intentionem, prohibendi Canonissarum statum nondum existentem, iisdem Præsulibus affingere, vetant citationes, & Capitularia, & Francofordiensis Concilii decretum, superius allegata, ex quibus evidenter colligitur, plurima tunc extitisse Monasteria, ubi Canone dicto non obstante, canonicè vivebatur, quæ sanè fungorum instar uno die non prodiêre. Denique in illis Capitularibus, & Canonibus, Francofordiensi 47. & 13. Moguntino anni 813. Virgines â Monialibus, seu *regulariter* viventibus distinctæ, non ad Benedictinæ, sed *Canonicæ* Legis normam *Cœnobia sua ordinare jubentur:* illudne, obsecro, mandâssent Imperator, Conciliorum decretis addictissimus, & Francofordienses, & subsequentium Synodorum Præsules, si prohibitum in nupero Germaniæ cætu Canonissarum Institutum autumâssent? apage commentum!

Ad 3. Argumentum ex Moguntino, Cabilonensi, & Aquisgranensi Conciliis ineunte nono Sæculo celebratis accersitum, respondeo, nequidem admotis Syracusani Senis machinis Canonissarum Instituti novitatem inde trahi posse. Quod ut planum fiat, Canones illorum laudari solitos breviter expendamus

Hæc habent Moguntini Patres Can. 13. *Quæ verò professionem S. Regulæ Benedicti fecêre, regulariter vivant; sin autem, canonicè vivant pleniter, & sub diligente cura custodiam habeant, & in claustris permaneant.* Promant Adversarii, quid hæc sonent verba, *Canonicè vivant pleniter*, an vitam cujuslibet proprio permissam arbitrio, nullisque legum, aut Constitutionum repagulis coercitam? Item, *sub diligente cura custodiam* habere, & in claustris permanere jubentur, Canonissæ; at, si nullius adhuc regulæ jugo colla submisissent, ùt placet Adversariis, istúdne solum, laxatis, quantum ad alia, frænis, postulâssent ab eis virginibus Episcopi, quorum auspiciis exstruebantur Parthenones, & quorum Jurisdictioni plane suberant Parthenonum habitatrices, ab Ordinariorum cura, privilegiis deinceps extortis nondum emancipatæ? Rursum, sicut ea verba, *regulariter vivant*, de Monialibus Benedictinis dicta, innuebant, eas ad Regulæ S. Benedicti normam vivere debere, quidni & hæc *canonice vivant pleniter*, ad Canonissas directa significabant, istas ad Canonicæ, quam profitebantur, Regulæ mensuram debere vitam suam exigere?

Sic autem loquuntur Patres Cabilonenses Can. 53 *tribuit namque sacro huic Conventui quasdam admonitiunculas breviter eis Sanctimonialibus scribere, quæ se Canonicas vocant.* Siccine, quæso, fantur, & brevibus tantùm admonitiunculis uti solent, qui Ordini nascenti suas præscribunt Constitutiones? Præterea ante illius Concilii tempora existebant illæ Sanctimoniales, quæ se Canonicas vocabant, & â centum quidem ad minus annis, ùt patet ex authoritatibus supra allatis: at totóne illo ad hunc usque Conventum interstitio Sarabaitarum more vivebant exleges? Et quid sibi voluissent Carolus M. cum PP. Francofurti, decernentes, ut inquireretur *de Monasteriis Puellarum num canonicè viverent*, nî jam sancita fuisset iis Lex, & Canon, cui sua facta, & mores tenerentur ad amussim conformare, & â cujus orbita si deviarent Abbatissæ, suo venirent honore privandæ?

Nec dicant, ex sequentibus Cabilonensis Concilii verbis, *quoniam hæ, quæ sub Monasticæ Regulæ norma degunt, totius vitæ suæ ordinem in ea, quam profitentur, Regula scriptum habent*, evidenter sequi, Monialibus quidem suam tunc adfuisse Regulam, Canonissis autem nullam; respondeo enim, ex iis evinci solùm id, quod ultro fatemur, nempe in ea, quam Canonissæ amplectebantur, Regula totius vitæ illarum ordinem non fuisse scriptum; nam S. Augustinus illius Author, tantùm generalia morum præcepta erat in ea complexus, nec modum clausuræ, victus, & vestitus, nec quotidianam temporis distributionem, nec alia plura, in Regulis Monasticis expressa sigillatim adnotârat: hinc

 omissio-

omiſſionem illam Cabilonenſe, & paulo poſt Aquisgranenſe Concilia ſuperadditis Conſtitutionibus duxêre ſupplendam. Alias, ſi Canoniſſarum inſtitutionis ortum, & vagientem ætatem argueret facta illa per dictos PP. Cætus Canonum in gratiam Canonicè viventium congeries, Benedictini pariter inſtituti vagitum arguerent octoginta illa generalia capita, quæ *Ludovicus Imp.* teſte Leone Oſtienſi in Chron. Caſſinat. L. 1. Cap. 16. *quarto imperii ſui anno*, Chriſti vero 817. *Aquisgrani in Palatio, cum pluribus totius Franciæ Abbatibus, & Religioſis Monachis Concilium faciens, utiliſſima noſtri* Benedictini *Ordinis obſervationi inſtituit: quæ omnia apud nos perinde fere, ac Regula S. Benedicti obſervantur.* Ut ergo iſta Benedictinum, ſic & illa Canoniſſarum Inſtituti cunas non redolent, ſed correctionem tantùm, vel fuſiorem, ſi placet, Regulæ explanationem.

Huic autem opinioni, nempe in Cabilonenſi Concilio ſermonem haberi de Sanctimonialibus, Auguſtini Regulam ſectantibus, jam antea manus dedêre illuſtris Gloſſarii Author Tomo 1. pag. 842. & Hoffmannus in ſuo Lexico univerſali Tomo 1. pag. 690. Et hæc quidem dicta ſufficiant in exſufflationem Argumenti, ex Canonibus Aquisgranenſibus inducti: quibus tamen non nulla placet inſuper adnectere; ſi enim, ùt arbitratur poſt Mabillonium eruditus Abbas, Canoniſſis Regulam deſcribere mens fuiſſet PP. Aquisgrani, cùm ex Athanaſii, Cypriani, Hieronymi, & Cæſarii ſcriptis ea deflorârunt, quæ ipſarum inſtitutioni videbantur apprime convenire, cur nil ex S. Auguſtini Libris decerpsêre? Unde ſaltem tam altum de ipſius *ad Sorores* epiſtola ſilentium, maximè, cùm Regulam in ea contentam Canonico ſtatui formando, perficiendóve peridoneam eſſe demonſtrari plurium Sæculorum experientia? probabiliorem aliam hujuſce ſilentii cauſam non excogitabis, niſi, quòd ſupervacaneum fuiſſet virginibus hanc, quam profeſſæ erant, Regulam rurſus occinere.

Præterea Aquisgranenſes objectæ Conſtitutiones, ſi mente præjudiciis vacua diſcutiantur, non innuunt naſcentem, ſed potius delapſum â primævo rigore ſtatum, cujus redintegrationi adlaborandum duxêre præfati Præſules, eſſentialia quædam accuratius inculcando; quædam verò, equidem imperfecta, ſed attentis circumſtantiis curatu vix poſſibilia, *per conniventiam*, ùt ajunt, tolerando. Sicut enim Clericis communiter viventibus, ſic & Canoniſſis tantæ infirmitatis vitium tunc inoleverat, *ut poſſeſſionibus ſuis renuntiare nequirent*, de quo jam antea ſui temporis Canonicos poſtulârat Julianus Pomerius, ſeu Author *vitæ contemplat.* L. 2. Cap. 12.

Ad Argumentum ex Concilio Romano, ſub Nicolao II. quæſitum reſpondeo, â Patribus tunc Canoniſſarum inſtitutionem, ut Aquisgranenſi mitigatione deformatam reprehendi velut novam, & Imperatoris Ludovici tempore adinventam. Reprehenſionis cauſam propalant ibi laudati PP. his verbis: *Quia inſtitutio illa, vel Regula, ùt dicitur, nulli inſtitutioni Apoſtolorum, vel SS. PP. concordare noſcitur, in eo maximè, quod in Congregatione viventibus ſtatuit, ut ſimul Eccleſiaſticis facultatibus, & ſuis proprietatibus decenter utantur: ſiquidem â tempore Apoſtolorum usque ad præfatum Imper. Ludovicum nulli profeſſioni Sanctimonialium virginum, vel viduarum conſtat ab aliquo SS. PP. iſtud fuiſſe conceſſum, vel permiſſum.* En querimoniæ motivum: clamant ii PP. in Aquisgranenſis Regulæ, *proprietatem* permittentis abuſum; nunquid & abuſu reſecto ſimiliter in inſtitutum declamâſſent? minimè prorſus, quippe, cùm albos dent calculos diverſis Regulis, quas virginibus conſcripſerant Patres: *conſtat*, ajunt, *ante illum* Imperatores *Sanctimoniales ubivis terrarum habuiſſe, quam ſequerentur, Regulam, â SS. PP. ſibi conſcriptam.* Inter eas autem locum habet Regula S. Auguſtini, Virginibus data, quam dubio procul haud carpebat Concilium.

Hanc eſſe PP. illius Concilii mentem, aperiunt hæç verba: *Et certe hujusmodi Sanctimonialium inſtitutionem .... quotquot recepêre, â tempore præfati Ludovici recepiſſe comprobantur.* Ex quibus ſic arguo: vel Canoniſſarum inſtituti ſubſtantiam, & natalitiorum epocham attingunt Romani Præſules, aſſerendo, illud non eſſe Imperatoris Ludovici tempore anterius; vel exagitant ſolùm permiſſam ab Aquisgranenſibus *per conniventiam* paupertatis votatæ ſolutionem: ſi primum: falſa dixêre, & ideo dictis eorum omnis eſſet abroganda fides; florebat enim Canoniſſarum ſtatus permultis ante Ludovicum luſtris, ùt ſatis, ſuperque ſupra probavi. Si ſecundum: non militat contra theſin noſtram objectio; cùm ultro concedamus, voluntariæ paupertatis voto, cæteriſque religioſæ vitæ obſervantiis adſtrictas fuiſſe, prioribus inſtituti ſui temporibus, Canoniſſas, quemadmodum iiſdem etiamnum Canoniſſæ Regulares adſtringuntur, ùt apertè colligis ex his Epiſt. S. Auguſtini 211. novæ Editionis verbis, quæ Canoniſſarum Regulam complectitur: *Hæc ſunt, quæ ut obſervetis, præcipimus in Monaſterio conſtitutæ. Primum, propter quod in unum eſtis congregatæ,*

gregatæ, ut unanimes habitetis in domo .... & non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur unicuique vestrum á Præposita vestra victus, & tegumentum .... Sicut cuique opus fuerit ... Quæ aliquid habebant in Sæculo, quando ingressa sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune .... Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerint, nec de suis divitiis magis superbiant, quia eas in Monasterio partiuntur, quàm si eis in Sæculo fruerentur. Ita S. Augustinus votatæ Canonissarum suarum paupertatis modum exponens.

Responsi veritas elucet ex eo, quòd, non obstante illo Romani Concilii decreto Alexander II. Nicolai II. successor tribus post illud Concilium annis probârit, & confirmârit vigentem jam â pluribus centuriis Canonissarum Lateranensium sub S. Augustini statutis formam. (a) Quod argumento est, Canonissarum instituti substantiam in Concilio Romano nequaquam fuisse improbatam.

Ex his omnibus perpende, Lector, quâm stramineæ sint rationes affirmantium, ante VIII. Sæculi finem nullas extitisse Canonissas.

Trutinanda nunc alterius DUBII momenta, quibus innixus Abbas eruditus, Monasticam S. Benedicti disciplinam â Reformatrice Kilinde, ùt opinatur, Hohenburgi restauratam ad incineratum usque Parthenonem constanter ibi floruisse contendit.

Primum ducit ex præfata Reformatione, Hohenburgum introducta curis, & zelo dictæ Kilindis, Benedictinæ Monialis; ex quo infert, Hohenburgenses fuisse pariter Benedictinas. Consequentiæ illius inanitatem indicant pares, nec raræ Monialium evocationes è proprio Monasterio ad aliud, licèt instituti plane diversi regendum, & reformandum. Et, nisi forent notiora, plurima recentia, & antiqua exempla similium utriusque sexus translationum possem hìc congerere. Unicum ejusdem ævi, & paris speciei hìc proponam.

Canonicam Præmonstratensium Regulam XII. desinente Sæculo professa in Doxanensi Parthenone B. Agnes Wladislai II. Bohemiæ Regis filia, tam uberes edidit sanctitatis fructus, ut hujus Parthenonis gubernaculis admota, & deinceps ad reformandum S. Georgii, Monialium Ordinis S. Benedicti Cœnobium Pragam cum Antistitæ dignitate fuerit evocata. (b)

Quod autem Monastici ritus, & mores non fuerint Hohenburgum à Kilinde revocati, ut arridet Mabillonio, & erudito Abbati, probat fundatum Can. Præmonstratensium in S. Gorgonii loco anno 1178. & Canonicorum Marbacensium in Truttenhausio anno 1182. ab Herrat Abbatissa, Kilindi proximè suffecta Collegium: quis enim sibi suadeat, accersitos fuisse ad sacra sibi, & suis facienda, & ex propriis Monasterii fundis dotatos à Benedictina Moniali Canonicos Regulares? idem evincit Necrologium Stigaviense, ubi eadem Herrat dicitur Canonica.

10. Kal. Augusti *Commemoratio Herrat Canonicæ, & Abbatissæ in Homburc.* Idem & conficit pius ejusdem Herratis Liber MS. cui titulus est: *Hortus deliciarum*, ubi singulas manu sua depinxit Parthenonis sui Sanctimoniales, habitum Canonicum gestantes. Tam minimo sanè temporis intervallo Benedictinæ Regulæ jugum non excussissent Hohenburgenses, si pia Kilindis industria fuisset ipsarum humeris impositum, maximè cum Herratis non minori, quàm Kilindis fuerit regularitatis, & disciplinæ zelo succensa. Denique idem evidenter adstruit Bulla Lucii III. confirmantis sæpe dictam Truttenhausii Fundationem; dicitur enim in ea Ecclesiam Hohenburgensem ad honorem Dei prudenter, & honorifice à Kilinde reformatam, & omnem divinæ Religionis, *& Canonicæ disciplinæ rigorem secundum Regulam B. Aug.* ibi fuisse pleniter informatum. Ex quibus novum exsurgit Argumentum, primævæ Hohenburgensium Canonicitati favens; si enim Regulari, seu Monasticæ vitæ fuissent à primordiis Hohenburgenses addictæ, collapsam illius disciplinam dubio procul revocâsset Reformatrix Kilindis Benedictina, Imperatoris Friderici authoritate suffulta; nec Reformatio dici deberet transitio à rigidiori, seu Monastico ad laxiorem, seu Canonicalem statum. Ergo, cum & reformavit, & *Canonicæ* disciplinæ rigorem Hohenburgi informavit, patet, Canoni-

Sss 2 calem

(a) Anonymus L. de origine, & progressu Ordinum Religiosorum p. 15.

(b) Ex Archiv. S. Georgii mortuario Doxan. MS. & Balbino, Epitome rerum Boëm. pag. 256.

calem ſtatum apud Odilianas ab initio viguiſſe, à cujus tamen rigore proceſſu temporis deflectentes Reformatione indiguerint.

Authorum, ab erudito Abbate citatorum hallucinationem ad oculum denudant varia, jam laudata, & in Probationibus danda monumenta. Nam, quantum ad Richerium Senonenſem, primum omnium quem ſciam, Benedictinatus Hohenburgenſis fabulam contexentem, & Anonymum Chronici Colmarienſis Authorem, falſi revincuntur ex Bullis Lucii III. anno 1185. & Innocentii IV. anno 1249. quæ Hohenburgenſes dicunt *Ordinis S. Auguſtini*: Canonicam autem Regulam ab eo tempore in gemino Parthenone ad utriusque deliquium, caſúmve perduráſſe demonſtrant ea, ſupra allegata teſtimonia, nempe Elizabethæ, anno 1295. Catharinæ 1312. Mathildis 1329. Judicis Curiæ Argent. 1340. Caroli Imperatoris 1353. Suſannæ ex *Rathſenhauſen* 1411. Martini V. P. M. 1420. & alia multo plura, quæ videri poſſunt in Archiviis Epiſcopatus Argentinenſis, & Illuſtriſſimi ſummi Capituli ejusdem urbis.

Vice verſa ſententiæ noſtræ impugnatores vel unicum proferant Inſtrumentum Hohenburgenſium Canonicitati repugnans, & eorum opinioni me daturum manus profiteor. Quæ ſi poſſibilitatis excedant metas, deſinant ergo S. Odiliam in ſua caſtra pertrahere, deſinant, quod non licet, Apoſtaſeos nota ſine ullo penitus fundamento filias ejusdem S. Virginis X. florentes Sæculo inurere.

Hæc tamen dixi non ridiculo, & inſano pruritu deprimendæ gloriæ celeberrimi Ordinis Benedictini, quem maximè ſincero veneror affectu, & qui falſis non eget, pluribus aliis clariſſimis nobilitatus honorum titulis, ſed ſolo amore veritatis, cui præſcribere non debet patrocinium perſonarum. Hucusque eruditiſſimus Abbas, ex quo etiam deſumptus eſt ſequens, ſed contractior

Syllabus Abbatiſſarum.

I. S. Odilia, Athici, Ducis Alſatiæ, & Sueviæ, & Bereſindæ, ſeu Bruſwindæ filia.

II. S. Eugenia, B. Odiliæ neptis ex Adalberto fratre. Subſcripſit anno 722. Luitfridi & Eberhardi fratrum ſuorum donationi.

III. Verentrudis.

IV. Adala. Illius fit mentio in Charta Donationis ab Odeſinde facta, anno XV. Regnante Carolo Rege, in qua dicitur *in Regimine idonea, ſed & moribus Religioſis ſanctæ converſationis ornata.*

V. Odilia. Hermanni Comitis & Mathildis filia, erat *Abbatiſſa Ancillarum Dei*, in Monte S. Odiliæ, undecimo ineunte Sæculo. Obiit inter verba Orationis anno 1006.

VI. Bertha.

VII. Kilindis vel Rilindis, Virgo Virtutibus & Litteris ornatiſſima, ex Bergenſi cui præerat, Monaſterio Ordinis S. Benedicti, Diœceſis Euſtätenſis, ad Hohenburgenſe reformandum ac regendum, duodecimo mediante Sæculo ab Imperatore Friderico tranſlata. Poſtquam *egregie omnem* Hohenburgi *divinæ Religionis ac Canonicæ diſciplinæ rigorem ſecundùm Regulam B. Auguſtini inibi pleniter informavit.* Vivere deſiit anno 1167. Videatur apud cit. Abbatem Stigavienſem Charta in Prob. Num. XIV.

VIII. Herradis, ex Nobiliſſima Landſpergiorum familia. Sorores ut ad pietatem informaret piiſſima Abbatiſſa edidit Librum ſub titulo *Hortus deliciarum*, ex quo Idyllion elegantiſſimum habes apud Bruſchium in Deſcriptione hujus Cœnobii. Obiit circa annum 1195. 23. Julii.

IX. Edelindis. Præerat anno 1200. luxerat anno ſuperiori triſte Parthenonis hujus incendium.

X. Attala. Circa annum 1206.

XI. Elizabeth I. tranſigit anno 1332. cum Magiſtratibus Urbis Rodesheimenſis.

XII.

XII. V. legitur Abbatissa Hohenburgensis in Instrumento anno 1239. XVII. Kal. Julii.

XIII. Elizabeth II. anno 1249. obtinuit ab Imperatore Wilhelmo restitutionem Juris Patronatus Ecclesiæ Obeherneimensis. Præterea Hohenburgensem Ecclesiam, *tum propter excellentiam ipsius, tum propter Religionis observantiam honorare volens* idem Imperator, possessiones & prærogativas ipsius amplo Diplomate confirmavit.

XIV. Margarita I. Sennin, de consensu Bertholdi, Basileensis Episcopi, parochialem Ecclesiam de *Gertweiler* suo annexuit Monasterio.

XVI. Agnes I. sedebat ad clavum anno 1256. anno 1263.

XVI. Gerlindis. Obtinuit à Rudolpho Imperatore investituram feudorum Regalium, & Administrationem temporalium Principatus & Ecclesiæ Hohenburgensis anno 1273.

XVII. Agnes II. occurrit in Charta anni 1277.

XVIII. Elizabeth III. de consensu Episcopi Argentinensis quasdam bonorum portiones alienavit anno 1299.

XIX. Catharina, præerat anno 1304. Stigaviensibus Canonicis triginta solidos denariorum Argentinensium in meliorationem suarum præbendarum concessit.

XX. Elizabeth IV. ad cujus preces confirmavit Ludovicus Imperator anno 1328. privilegia & Libertates ab Antecessoribus concessas.

XXI. Mathildis. Circa annum 1329.

XXII. Agnes III. de Strouffenberg. Tribunum in Urbe Rodersheimensi creavit anno 1350. sub illius Regimine defecit Regularis disciplina.

XXIII. Margaretha II. memoratur in Chartis annorum 1362. 1369. & 1385.
XXIV. Agnes de Strouffenberg. 1388. 1390.
XXV. Margareta III. legitur præfuisse anno 1347.
XXVI. Clara, ex Nobili familia Equitum de Lutzelburg. Regebat anno 1443. anno 1453. Nobilem Eberhardum ab Andlau feudi ab Hohenburgensi Parthenio pendentis Juribus investivit.
XXVII. Susanna ex Hohenstein, Claræ suffecta, non nisi decimo post electionem anno, id est 1463. Confirmationem à Pio II. & ab Argentinensi Episcopo, impetravit.
XXVIII. Margarita IV. de Kanelle, anno 1489.
XXIX Veronica ab Andlau, ex Nobili familia Equitum ab Andlau, Civitatis ejusdem nominis Toparcharum, etiamnum maximè florente; præerat anno 1508. obiit 15. Aprilis 1524.
XXX. Anastasia ex Oberkirk. vivere desiit anno 1529.
XXXI. Ursula ex Equestri familia de Rathsamhausen. 1534.
XXXII. Agnes V. ex illustri familia Equitum de Zucmantel. Obiit 1542. 29. Jan.
XXXIII. Agnes VI. ex Equestri familia d'Oberkirk. ultima Abbatissa.

Præter enumeratas Abbatissas, recensentur insuper in Necrologio Stigaviensi sequentes.
XXXIV. Cunegundis. 17. Januarii.
XXXV. Mathildis. 21. Junii.
XXXVI. Clara. 12. Junii.
XXXVII. Mathildis. 20. Julii.
XXXVIII. Catharina. 15. August.
XXXIX. Aleidis. 17. August.
XL. Cunegundis. 21. August.
XLI. Olizenna de Luxembourg. 7. Decembris. Verùm quo ordine, quove tempore præsederint, incompertum est.

Post fatale incendium, quod sub Agnete VI. ultima Abbatissa Hohenburgensem Ecclesiam cum Cœnobio in cineres (excepta sola S. Odiliæ Capella, in qua sanctæ hujus Canonissæ sacræ quiescunt Exuviæ) redegit, Agnes & Desiderius Abbas Stigaviensis in eam convenêre sententiam, ut Agrorum dicti Monasterii fructus, vectigalia, censuúmque proventus ERASMO, Argentinensium Episcopo ea conditione consignarent, ut

idem Epiſcopus alienata recuperare, ædificia igne abſumpta de novo reſtituere, Monaſterium ab omnibus debitis liberare, cultúmque divinum in eo, cum primum fieri poſſet, inſtaurare teneretur. Conventionem hanc Zelo Religionis & divini cultus etiam acceptavit Antiſtes, quam Authoritate ſua, etiam confirmavit Cardinalis Sfondratus in Partibus Germaniæ à latere Legatus anno 1548. Quam totam Codici Probationum Nro. XIII. inſeruit ſæpe laudatus Ludovicus Hugo Stigavienſis Abbas, qui pariter recenſet, quo pacto Hohenburgenſis Abbatia tandem tota Præmonſtratenſibus ceſſerit, ſuntque etiam hodie Abbates Stigavienſes Odiliani Monaſterii Patres Abbates.

Horreum.

Nunc quidem Ordinis S. Benedicti, ſed olim Canoniſſarum Regularium Monaſterium, Treviris, hoc nomen ſortitum, quia ex Dagoberti Galliarum Regis horreo in Cœnobium fuit mutatum. In honorem B. V. Mariæ temporibus Modowaldi Trevirorum Archi-Epiſcopi fundatum eſt anno Domini 606 locupletatum verò anno Domini 645. à Dagoberti Galliarum Regis ex Mathilde filia, Domina *Irmina*. Haſce Canoniſſas ab omni voto liberas fuiſſe denuo contendit Bruſchius, ſed absque tabulis, & quia ita placuit, addit tamen hujus Loci Canoniſſas aliquoties relicta Benedictina Regula CANONISSAS REGULARES factas fuiſſe. Saltem ex hoc titulo, ſi etiam abeſſent cætera, jure in GERMANIA CANONICO - AUGUSTINIANA hoc Horreum meretur locum.

FINIS.

ADDEN-

ADDENDA.

Tomo III. pag. 95.

Post verba: In Abbatem Agaunensem initiatus, *addantur sequentia:*

Anno 1693. & die 23. mensis Febr. tantum incendium, furentibus ventis, excitatum fuit, ut urbs, & tota Abbatia cum Ecclesia, Campanis, pretiosis Ornamentis, suppellectili, Bibliotheca &c. cum multis titulis, seu juribus misere perierint. Silentio non est prætereundum, quod Sacristiâ, ac soliis Canentium in choro igne penitus consumptis, janua sacelli, in quo asservantur Reliquiæ SS. Mauritii, & sociorum Martyrum Thebæorum, aliorumque sanctorum, ac sanctarum, quæ vix intervallo unius pedis â soliis sejungitur, illæsa, sacerque Thesaurus miraculosè servatus fuit. Damnum, quod in hoc incendio passa est Abbatia, taxatum est ad duodecim millia aureorum. In his Calamitatibus transacto quinquennio ultimum in Domino diem clausit prima Maii anno 1698.

LXXVI. *Nicolaus Zurthannen* Helvetius, Civis Patricius Friburgensis, Canonicus Agaunensis, & Curatus ejusdem loci, Abbas electus est tertia Maii anno 1698. Sed quoniam renuit acceptare quasdam hactenus inauditas Conditiones, quas supremus Vallesiæ senatus (cujus Abbates Agaunenses sunt Clientes beneficiarii strictiores) ipsi præscribere volebat in præjudicium Jurium, & Exemptionis suæ Abbatiæ, ab Eodem senatu Vallesiâ expulsus, die 13. Decembris 1699. una cum Reverendo Francisco Pittet Friburgensi, Canonico & Priore Agaunensi, Friburgum Helvetiorum patriam suam se recepit. Ubi Confirmationem suæ electionis â Clemente undecimo obtinuit 13. cal. Junii 1701. Obiit paralysi Friburgi die 21. Martii anno 1704.

LXXVII *Nicolaus Camanis* Agaunensis, Canonicus, & Procurator hujus monasterii, electus fuit Abbas 21. *Aprilis* 1704. Jam Procurator multa incendii supra memorati detrimenta reparavit, Abbas factus majora perfecit. Anno etenim 1707. ædificium totius Monasterii à fundamentis cœptum ad apicem (fere ut hodie cernitur) demptâ Ecclesiâ, quam reparavit, & non nulla alia construi fecit. Debita persolvit, plura & majora Præsule digna fecisset, nisi morte præmatura, omnibus allachrymantibus, è medio fuisset sublatus die 13. Febr. Anno 1715. ætatis suæ 42.

Anno 1711. & prima Julii. Dum fodiebantur ultima fundamenta versus rupem, cui innitebatur antiqua, & prima Ecclesia Agauni, repertum est sepulchrum in introitu Catacumbarum, cum hac sequenti inscriptione AD. AB. L. R. ✠. 70V. Qui Characteres videntur optimè interpretari, & intelligi, ut sequitur. *Anno Domini, Abbas Ludulphus, requiescit*, seu *requievit*, *in Domino*, *septingentesimo quinto.* Hæc interpretatio convenit cum chronologiâ Monasterii, quæ ad id tempus meminit, & refert eundem Abbatem Ludulphum.

LXXVIII. *Franciscus de fago* Agaunensis, Canonicus & Curatus Vallis Bagnearum, Abbás electus fuit 22. Febr. 1715. Verùm obortis circa validitatem ejus electionis quibusdam difficultatibus, Romam profectus, ibidem confirmatus fuit pridie Idus Julii 1716. Obtinuit unionem hujus Abbatiæ cum Congregatione Lateranensi. Obiit 20. Septembr. Anno 1719.

LXXIX. *Ludovicus Nicolaus Charleti* Agaunensis, Canonicus & Rector Xenodochii Agaunensis, electus die 24. Sept. 1719. à S. Sede confirmatus fuit 3. Calend. Junii 1721. non superbus philosophus, forma gregis factus, omnibus bono præibat exemplo. Sanctuarium cum altari, & sacro - sanctæ Eucharistiæ tabernaculo ex marmore fieri fecit, & Organa renovari. Restauravit quoque Castrum de Bagnes, & in Equitum Sanctorum Mauritii, & Lazari numero adscriptus fuit à Victore Amedeo Rege Sardiniæ, cum adjecta Conditione, quod Abbates successores eodem honore, ac dignitate potirentur. Obiit 9. Decembr. 1736.

LXXX. *Joannes Josephus Claret* Vallesius, ex Tribus torrentibus, inter Canonicos Agaunenses cooptatus anno 1709, Procuratoris sexdecim annis, Prioris Claustralis tribus, et Rectoris Xenodochii quinque munere optimé functus, in Abbatem electus est

die

die 24. Januarii anno 1737. Confirmatus pridie Idus Junii, & Benedictus in propria Ecclesia 15. Sept. ejusdem anni, perhonorifice dignitatem gerit Abbatialem. Acerrimus Libertatum, Immunitatum Ecclesiasticarum, Juriumque Abbatiæ defensor, feudum Mandamenti Granæ redintegravit, Comites de Challand ad debitum Abbatibus Agaunensibus homagium præstandum compellendo, alia Jura vetera renovavit, deperdita recuperavit, labentia stabilivit, facellum S. Mauritii à fundamentis erexit, nonnulla ædificia, aut ex integro condidit, aut innovavit, tantoque etiamnum exæstuat zelo domus amplificandæ, ac ritè undequaque componendæ, ut nullus à labore desistat. Verè dignus cui apprecemur Nestoreos annos. Fiat!

Tomo IV. pag. 173.

Post verba: 1698. Calendis Junii. Suppleatur Abbatum Catalogus.

XLV. Gelasius unanimi verè, & omnium Capitularium suffragiis ad Clavum Garsensis Ecclesiæ, & Infulam per Canonicam Electionem assumptus, cui Anno Virginei Partûs 1667. 2. Novembr. Natales dedit Hala, Tyroleos Civitas, Patre è nobili Ludwigiorum familia oriundo. Egregius Philosophus, præstans Jurista, insignis Theologus, dum domi suos religiosos discipulos Jura peripatetica strenuè defendere docet, in arte Magister, Jure ad Jus Prælaturæ vocatus, Jura Archi-Diaconalis Collegii Garsensis graviter tutatus est. Pro Maxima habebat: *ut bene quis imperet, sibi ipsi imperare debet.* Hinc ex una parte plena sui ipsius abdicatio, totalis sensuum exteriorum mortificatio, & omnimoda interioris hominis coram Domino Deo Annihilatio: Ex altera parte Exercitia religiosa, præprimis quotidiana Meditatio, quam *religiosi hominis vitam* dicebat, antiquam (nempe primam) apud illum gravissimis licet distentum negotiis, ad ultimum usque vitæ halitum tenuerunt stationem. Potens verbo, opere, & Exemplo, Patris optimi, Pastoris vigilantissimi, & Eximii Præsulis officium ex amussi adimplens subditorum Corda in funiculis Charitatis non tam traxit, quàm ad se rapuit, communia onera communi onere supportando. Inter exteros varios rerum Casus, sinistros eventus, domuum Parochialium conflagrationes, aliáque sexcenta in bonis fortunæ, mala, immutato animo eodémque vultu divinæ ordinationi, atque Providentiæ sese committebat, præsertim ultimis belli turbis. Quanta insuper cura pastorali, & Archi-diaconali suo muneri invigilârit, ad oculum demonstrant exactæ causarum discussiones, litium decisiones, pia monita, & salubres Exhortationes, quas partim in Synodis annuis, partim in Collationibus domesticis, spiritu, sapientia, & discretione, & ascesi plenas ad nos direxit, quibus noxias morum corruptelas fortiter amovit, impendentes repressit, & ad honestam vitæ compositionem omnes feliciter permovit, salutémque Proximi, ac gloriam Dei fideliter promovit. Hinc quia sic docebat, dicebat cum fructu, & quia etiam delectabat, audiebatur cum plausu.

Decorem domûs Dei additis nobilibus Ecclesiæ Ornamentis augendo diligebat, & dum Collegii sui commodis, ac Emolumentis totus insudabat, venerabili Clero, cui summis semper in honoribus erat & amoribus, pro viribus inserviebat. Pauperum necessitatibus admirabilem in modum subveniebat, atque in aliorum utilitatem, quà corporalem, quà spiritualem se totum insumebat, sicque omnibus omnia fiebat. Anno 1736. 25. Novembris Omnipotenti Deo sacræ Religionis secundò solenne vovit sacramentum, expletis in religiosa Palæstra quinquaginta annis. Nobilem spiritum, postquam religiosos suos filios, quemadmodum antea opere, & Exemplo, ita tunc ultimis verbis potenter ad sui sequelam invitârat, Conditori suo reddidit 17. April. Anno 1742. plenus dierum, & meritorum, Anno ætatis 75. Sacræ Professionis 56. Sacerdotii 48. Præsularis regiminis 44.

XLVI. Reverendissimus Perillustris ac Amplissimus Dominus Paulus Hölzl. Cui anno 1742. Abbatialis Infula omnibus applaudentibus fuit imposita, quam tamen anno 1751. per spontaneam resignationem iterum deposuit. Deo nunc soli vacans optimam hanc Laudem adhuc vivens est consecutus, quòd *optimè de Canonia Garsensi sit meritus.*

XLVII. Reverendissimus Perillustris ac Amplissimus Dominus Josephus per Canonicam Electionem anno 1751. decimo septimo Novembris Abbatialem Dignitatem consecutus est, ac hodiedum felicissimè præest, cui omnigenam felicitatem ac vitam longævam vovemus ex animo.

INDEX.

INDEX.

A.

B.

C.

D.

Halber-

INDEX.

Errata quædam Notabiliora.

Pag.	Linea.	Erratum.	Lege.
189.	19.	illata.	illatæ.
197.	49.	Zuchingerus.	Zwingerus.
204.	19.	sine præservatione.	sive præservatione.
204.	40.	addit.	addit novum robur.
204.	52.	Knappen.	Kappen.
207.	21.	elegantionis.	elegantioris.
228.	40.	*Lutriæ.*	*Latriæ.*
228.	42.	*Dultu Dulia.*	*Cultu Duliæ.*
254.	21.	demonstrari.	demonstrârit.

Cæterâ Benevolus Lector corrigat.